

XXVIII-574. folios - 1. pagina

XXXV - 1. libro

35. Romanos - 17. folios

pligados

Conte a. d. d. del ...

ANTONINI
AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPO ...

OPERA OMNIA

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading and water damage.

k 00001533309

F.A. 061


v. 1

Es de la librería del m

**A N T O N I I
A U G U S T I N I**

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

OPERA OMNIA.



8



ANTONIO AVGVSTINI
ARCHIEPISCOPO
TARRACONENSI
P.

Car: Bianconi inv: e dis: 1764

Ferd: Pambini Inc:

ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

OPERA OMNIA

Quae multa adhibita diligentia colligi potuerunt.

Volumen Primum

QUO

DE LEGIBUS ET SENATUSCONSULTIS

TUM

DE NOMINIBUS PROPRIIS TOT ΠΑΝΔΕΚΤΟΤ FLORENTINI

LIBRI

CUM NOTATIONIBUS

Continentur.



L U C Æ M D C C L X V .

TYPIS JOSEPHI ROCCHII

CENSORIBUS APPROBANTIBUS.





AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO PRÆSULI
THOMÆ ASPURRIO
CÆSARAUGUSTANO

ROMÆ

PRO ARRAGONENSI REGNO

LITIBUS JUDICANDIS XIIVIRO

JOSEPHUS ROCCHIUS TYPOGRAPHUS

S. D.



*St hoc apud typographos in mo-
re positum, Amplissime Aspuri,
ut præstantissima quæque sub clarissimo-
rum hominum nomine emittere soleant: At-*
que

que eum quidem usum inde arbitror esse profectum, quod quum primis temporibus multam pareret admirationem ars typographica, ideo magnis viris gratissimum accideret sibi ejusmodi munera a typographis exhiberi. Neque vero quamquam diuturnus usus artificii admirationem imminueret, ea tamen obsolevit consuetudo; sed postea hoc honoris, obsequiique genere sunt patrocinia quaesita. Itaque quum ego eruditissimi viri Antonii Augustini Tarraconensis Pontificis scripta colligere omnia, unaque in publicum proferre constituiissem, considerabam mecum ipse cui potissimum id opus mittere, consecrareque deberem. Nam & ea scripta, quae doctrina plane abundarent, doctissimum exposcebant virum; & mihi, qui primus tantam rem aggressus sim, proptereaue multorum excita- verim invidiam, patrono opus erat, qui plurimum auctoritate valeret. Hæc mihi cogitanti facile magni tui ingenii, tuæ singularis doctrinae, tuæque summæ amplitudinis in mentem venit, Aspurri Clarissime: Qui eandem sane præstantem orbis terrarum partem Hispaniam, quinimò eandem egregiam urbem Cæsaraugustam, quam Augustinus, patriam habuisti; & eundem Romæ, quem ille, magistratum geris. Nec vero eum magistratus bo-

norem, cæteraque omnia, quæ magna ac præclara consecutus es; unde ad majora, atque adeo ad præstantissima tibi facilis est via patefacta; ut plerique, gratia & obsequiis es adeptus; sed, quod raro contingere videmus, ingenio doctrina virtutibusque tuis. Non tu itaque fortunam es ducem sequutus; sed tua plane admirabilis virtus, tuusque in litterarum studiis, & præsertim ad perfectam juris cognitionem expeditus omnino cursus fortunam habuit comitem, atque adjutricem. At quidem id unum honoris, ac dignitatis genus vera laus veraque gloria, velut umbra corpus, consecrari solet: Reliqua autem popularem habent plausum, non virorum commendationem sapientum, quæ una vera gloria est. Sed me quidem tuas diutius pertractare laudes, ut deberem & cumprimis vellem, tua, Aspurri, modestia non patitur. Itaque; quod ad rem attinet; tantum dicam, te mihi videri in his omnibus Antonii Augustini esse simillimum. Quapropter quum tot nominibus tibi viri inter Hispanos doctissimi scripta deberentur, ego male & mihi, & operis dignitati consuluissem, si minus illa tibi dicassem uni. Reliquum est, ut & libros, quos ad te mitto, lubenti excipias animo, & ob eam rem singulare mihi

patrocinium existimes porrigendum: Ut si qui sunt, qui mihi, quòd rem tantam susceperim, obtrectare velint, ii vel tui magnitudine nominis, vel tuæ defensionis auctoritate deterriti conticescant. Ac me quidem id sperare debere tua facit singularis humanitas, Amplissime Aspurri: Qua maximè fretus alacrius ego quidè, libentiusque animum induxi, ut opus in lucem emitterem, quod sane permultis non modò gratum, sed etiam utile intelligebam futurum. Vale.

Calend. Januar. an. MDCCLXV. Lucae.

JOSEPHI ROCCHII TYPOGRAPHI

P R Æ F A T I O,

CUm veterum typographorum ingenia soleo mirari, qui artem novam, eandemque perdifficilem non multis annis ad summum splendorem perduxerint: tum contra non satis illud intelligo, cur iidem egregii artifices sæpe hominum doctissimorum, qui ætate floruerunt sua, scripta colligere, unàque in publicum proferre neglexerint. Namque ea res impedimento certe fuisset, quominus nunc præstantissimis multorum scriptis maximâ litterarum jacturâ careremus: etenim multa misere periisse scimus; multa nonnisi ab barbaris hominibus corrupta in nostras pervenerunt manus; multa etiam in bibliothecis abdita vel nullâ omnino ratione viris doctis patent, vel certe sine maximo impendio, maximisque difficultatibus haberi non possunt. Et sane nisi id res nos ipsa docuisset, vix credi posset, typographicâ arte inventâ doctorum hominum adhuc nonnulla scripta interiisse, vel ab imperitis fuisse foedata; nec satis id genus incommoda tali excogitato artificio devitata fuisse. Quæ quidem omnia veteres illos typographos, qui & ingenio, & doctrinâ excellerent, animis oportet consideravisse. Sed credo ego illos tantopere in veterum latinorum, & græcorum libris colligendis, emendandis, edendisque fuisse occupatos, ut propterea de eorum, qui tunc viverent, scriptis minus impensè cogitare potuerint, eamque rem in aliud tempus rejecerint: vel forte ipsa etiam scriptorum voluntate, modestiaque nonnunquam vetabantur. Postea autem ejusmodi tempora consecuta fuerunt, quibus non admodum hæc ars floreret; verâque scribendi relictâ elegantia omnia, quæ ad litteras spectarent, fere jacuerunt. Itaque perpauca tunc typographorum præclara opera extitisse videmus. Tum verò patrum nostrorum memoriâ utilissimæ arti vetus dignitas restituta, atque adeo magno opere aucta fuit. Quapropter ea tempestate pro se quisque magna aggredi, doctorum scripta viro- rum colligere, multa eademque præstantissima edere cœpit. Nostris vero temporibus eo res adducta mihi esse videtur, ut jam quidem altius provehi non possit. Nunc enim præclara omnia multo doctorum hominum labore e tenebris eruuntur, colliguntur, emendantur, pervulgantur. Multa fuerunt non sine magnâ utilitate detecta, atque illustrata: multa ad scientiarum, litterarumque auxilium divinitus fuerunt inventa, atque parata: omnia vero typis publicata fuerunt; & mehercules tali ratione fuerunt pleraque publicata, ut nihil vel ad dignitatem, splendoremque, vel ad utilitatem addi posse videatur.

Quocirca jampridem ego illud mirabar quid esset, cur in tantâ animorum contentione, qua quisque rempublicam juvare studet, nemo adhuc unus Viri doctissimi, ejusdemque de litteris optime meriti, qui ducentis ferme abhinc annis floruerit, ANTONII AUGUSTINI Tarraconensis Pontificis præstantissima collegerit scripta, unàque in publicum emisit. Considerabam enim non sine magno reipublicæ damno, magnâque litterarum jacturâ ea, quæ Vir doctissimus perlongo annorum cursu incredibili eruditione scripsisset, & sejuncta invicem omnia vagari, & rarissima esse facta. Mihi itaque hæc cogitanti facilè opus aggredi sane præstantissimum in men-

tem venit; sed rei nimirum magnitudine, & perficiendi deterrebar difficultate. Nam quum mecum totam rem attente consideraviffem, plane agnoscebam quid effret cauffa, quare typographi nobiliffimi numquam id confilii cœpiffent. Sed pofteaquam ad voluntatem ipfam meam hominum doctiffimorum, quorum maxima effret apud me auctoritas, cohortationes accessiffent, omni dubitatione præcifâ rem difficillimam mihi fufcipiendam cenfui. Ita factum effret, ut Viri Hispanorum litteratiffimi egregie fcripta, quæ difjuncta, ac rariffima vagarentur, Lucenfis homo fe colligere poffe, typifque omnia publicare confiderit.

Atque hic fortaffe typographorum morem me fequi oporteret, qui tum libros, quos edunt, tum imprimis fcriptores fummis efferre laudibus confueverunt. Quod fane fi quando aliàs luculenter, & uberrime fieri potuit, id mihi fateor in præfentia contingere, qui de eo Viro dicere debeam, cujus doctrina multiplex, & copiofa folis luce clarior fit: ut non tam cogitandum mihi effret, unde potiffimum orationis initium ducerem, quam qui dicendi finis futurus effret. Sed quid ego jejunos homo de tanti Viri laudibus prædicem? Tantum dicam, planeque confirmabo, ea, quæ fcripfit, omnia effre eruditionis, doctrinæ, utilitatis pleniffima. Omnino præter pauca quædam ad litteras humaniores fpectantia, reliqua ad jus vel civile, vel pontificium, & ad hiftoriam pertinent. Etenim excellenti Vir ingenio magnum ftudium, multamque operam in juris tum civilis, tum pontificii cognitionem contulit. Reftituebatur tunc temporis, in Italia maximè, juris fcientiæ vetus urbanitatis, atque elegantia splendor: & fuperiorum ætatum barbarie dejectâ iterum, Alciati aliorumque induftriâ, legum difciplinæ hiftoria, mitioresque litteræ jungebantur. Ergo ex Hispania ufque Auguftinus in Italiam, nempe ad hanc ftudiorum & artium, quæ femper effret habita, matrem altricemque advolavit. Bononiæ, & Patavii in civili & pontificio jure totus fuit. Quamobrem, quum ad magnitudinem ingenii affiduum adjeciffet laborem, tum etiam doctiffimorum difciplinam virorum, nihil plane in tam ampla, tamque multiplici facultate latere eum potuit. Plurimum pofuit operæ in veterum fcriptorum libris: attulit ad ftudia juris perfectam latinarum, non mediocrem verò græcarum litterarum cognitionem, &, quod utiliffimum effret, legum & morum antiquitatis notitiam, præceptaque philofophiæ. Qua ex re multi orti funt libri, quibus utriusque juris doctrinam egregie interpretatus effret, & magnopere illustravit. Qui quidem non dicam quantum habeant utilitatis: quòd fatis abunde res de fe ipfa prædicare videatur.

Nemo enim ignorat, in jure civili ea omnia contineri, quæ civitatis tranquillitatem parere, civesque beatos efficere poffint. Itaque fatis patet, optime de hominum focietate meritos effre, qui illud interpretantur, & explicant, five utcumque illuftrant. Sed facilè adparet quam fit omnibus in ea re Auguftinus anteponendus. Animadverterat affiduis lætationibus ea juris civilis volumina, quæ Digefta appellantur, menda habere quamplurima, propterea quod ea fuperioribus temporibus librarii imperitiffimi turpiter fœdaverant. Non pepercit homo veritatis cognofcendæ amantiffimus labori. Contulit exempla, quæ vulgo circumferebantur, illudque imprimis, cui nomen Haloandrino, five etiam Norico effret, cum vetuffiffimo illo exemplari, quod Pifis expugnatis, advectum Florentiam fuit, atque, quod ibi adfervetur, Florentinum volumen dici folet. Verba corrupta, numeros mendofe mutatos, librorum & capitum ordinem perturbatum in fuum locum reftituit: unde aurei illi quattuor libri ortum habuerunt, qui EMENDATIONUM ET OPINIONUM infcribuntur. Jam vero quid hoc fit leges librariorum vitio corruptas ad veritatem reducere, nemo non videt. Nulla enim poteft effre legis vis, nullus ex

ea fructus haberi potest, nulla denique ipsa lex est, quæ talis amplius non habeatur, qualis lata fuit. Quæ igitur esse potest legum explanatio, interpretatioque, quæ cum ejusmodi lucubratione conferenda videatur? Nimius effem si de reliquis etiam libris, quibus jus civile illustravit, orationem vellem instituire.

Ad jus vero pontificium quod attinet, quam illud præclarum est ea omnia e tenebris erui, explanari, illustrari, quæ ad religionem tuendam, & declarandam pertinent? ea, quæ honores Deo Opt. Max. habendos præscribunt? ea denique, quæ Dei Immort. delubra, aras, sacra, sacerdotia designant, distribuunt, circumscribunt? Sed Ant. Augustinus multa ex his in lucem protulit, quæ ante latuerant, multa emendavit, explanavit, ornavit, multa novo ordine donavit. Affiduo noverat usu, illud juris pontificii volumen, quod Gratiani Decretum vocatur, diurnitate temporis, & librariorum imprimis errore mirum in modum fuisse scædatum. Itaque sæpius, ut veritatem eliceret, ipsa earum legum, quibus id Gratiani volumen constat, exemplaria cum in Italia, tum in Hispania sibi adeunda esse non dubitavit. Quare multa collegit, quæ emendanda in eo volumine essent: Atque cum Romæ Gregorius XIII. Pontifex Maximus de eo corrigendo volumine attentius cogitaret, ipse ea omnia, quæ notaverat, duobus illis libris diserte sane comprehendit, quos inscripsit DE EMENDATIONE GRATIANI. Mitto quantum JURIS PONTIFICII VETERIS EPITOME, quantum ANTIQUÆ COLLECTIONES DECRETALIU, quantum alia de pontificio jure permulta habeant utilitatis. Nam singula perfequi hujus nec loci, nec temporis esse puto.

Jam vero vir doctissimus historiam, artium & vitæ magistrum, auxit magnopere, & illustravit. Uni DIALOGI ANTIQUITATUM ROMANARUM HISPANARUMQUE IN NUMMIS VETERUM eruditione incredibili, multâque elegantia referti quantopere ad aperiendam, & declarandam historiam pertinent!

Tandem; quod ad litteras attinet humaniores; carmina Ant. Augustini habemus lætissima: habemus epistolas quamplurimas hispanicas, & latinas, tum etiam duas græcas, quæ quidem omnes apud eruditos homines in magno sunt precio. Sed quid ego plura de hominis doctissimi laudibus? Nam quod spero fore, ut hæc viri docti in manus sumant, notuas ferre Athenas videri nolim. Illud tamen non est mihi ullo modo prætereundum, Antonium Augustinum in latine scribendo & mirum imprimis nitorem, miramque elegantiam, & numerosam quandam gravitatem semper servasse. Quæ quidem cum semper magna scriptorum laus habenda sit, tum major etiam ad Augustinum, aliosque illius ætatis referri debet: qui post horridiorem scribendi consuetudinem, quæ diu ante obtinuerat, non sine magna ingenii vi; magnisque conatibus sese ex imperite scribentium turba eripere, veteremque elegantiam assequi potuissent.

Sed jam ad illud revertar, unde me verissimæ Augustini laudes abstulerunt. Itaque non sum nescius, multa esse Viri summi scripta, quæ nunquam typis publicata fuerunt; multa, quæ rarissima sint, ac in perpauca abdita bibliothecis; nonnulla etiam, quæ misere deperiisse credendum sit. Quamobrem quum extemplò hoc consilii inirem, rei, ut dictum supra est, difficultate deterrebar. Probe enim noveram, munus id esse multi laboris, multæque industriæ. Laborem certe pro meo in rempublicam amore quemvis libenter suscipere constitutum mihi erat. Equidem de industria eram vehementer sollicitus: non enim audebam meis confidere viribus. Sed me verò consolabantur magnopere hominum clarissimorum non cohortationes tantum,

sed, quæ pollicebantur, auxilia. Quibus quidem fretus credo, me, quod cœpi, ex sententia perfecturum.

Ac quoniam ad hunc locum scribendo perveni, illud certe ab officio meo non abhorrebit, ut eorum virorum, qui mihi opem humanissime ferant, nomina memoriæ prodam: ut noscant omnes, quid existimandum de tanta re sit, cui ipsi adsint fautores. Primo namque habeo, quibus authoribus rem susceperim, adjutoribusque conficiam, Nobiles Viros Patricios Lucenses Fabium Cenamium, & Joannem Baptistam Montecatinium, qui hæc dictabat. His etiam viris instantibus opem mihi est liberaliter pollicitus Vir omnium eruditissimus Joannes Dominicus Mansius, qui nuper fuit Lucensis Pontifex renuntiatus, eoque honore, qui suis præclarissimis virtutibus, doctrinæque plane mirificæ jamdiu debebatur, est auctus. Jamque is summa fecit benignitate, ut quorundam Augustini librorum exemplis optimis, atque rarissimis uterer, quæ apud illum in bibliotheca erant. Tum vero ab extremis usque Batavis auxilia mihi liberalitate admirabili est ultro pollicitus doctissimus Vir Gerardus Meermanus Roterodamensis. Hominis certe non oportet me laudare ingenium, laudare doctrinam, laudare virtutes, atque eum monstrare virum, quem virtus ipsa, quem litteræ in quadam illustri specula posuerunt. Itaque tantum dicam multa fuisse apud eum præclara, eademque rarissima Ant. Augustini scripta, quæ homo plane liberalis navi sponte omnia imposuit, atque ad me misit; jamque ea facta & tecta in meas pervenerunt manus. Tandem; quod maxime ad rem attinet; amplissimus Vir Gregorius Mayansius Siscarius Valentinus, qui Antonii Augustini scriptorum arca quædam, vel thesaurus dici jure ac merito potest, jam ad me de re, quæ sibi carissima accidat, litteras dedit accuratissime scriptas. Omnino consilium meum exquisitissimis laudavit verbis; sententiam mihi suam aperuit; viam, quæ sibi optima videretur, monstravit; nihil in sua esse dixit potestate, quod non ipse mihi libenter polliceretur, atque petenti repræsentaturus sit. Ego verò quantum jam fere omnia mihi suppetunt, video tamen incredibili cum voluptate, hominem mihi præsto esse, qui maxima semper sedulitate, maximaque industria de Ant. Augustini scriptis pervestigavit; atque adeo plurimum novit. Itaque cum sim ab tantorum virorum auxiliis paratissimus, si quæ adhuc haberi non poterunt, ea certe credendum erit vel revera perisse, vel ita illitteratorum hominum errore, vel certe casu abdi, ut idem plane sit ac si vere periissent: Quæ tamen, si unquam forte e tenebris eruentur, statim typis ego excribam, hisque adiciam voluminibus.

Age vero doctissimus ille Vir Mayansius Ant. Augustini vitæ historiam luculenter & diferte hispanico scripsit sermone, eamque in vulgus edidit Madriti an. MDCCXXXIV. typis Joannis Zunnigenensis simul cum eo Augustini libro, qui inscribitur DE INSIGNIBUS ET FAMILIIS NOBILITATIS HISPANICÆ. Ei historiæ duos Mayansius addidit Ant. Augustini scriptorum Indices mira diligentia confectos: Prior namque exhibet ea Augustini scripta, quæ typis extant publicata; alter vero illa exhibet, quæ nunquam typis edita fuerunt. Itaque nunquam mihi dubium fuit, quin ejusmodi historia locum in hisce voluminibus habere deberet, quippe qua Mayansius omnia, quæcunque ad Augustini vitam, atque ad ejus scripta pertinere possunt, diligentissimè persecutus est; imo verò ei priorem in hoc primo volumine locum tribuere mihi erat statutum. Quare illam, quod hispanicæ litteræ in orbe terrarum minus late pateant, latine jam converterant duo illi viri, de quibus supra dixi, Fabius Cenamius, & Jo. Bapt. Montecatinius. Sed me verò ipse Mayansius admonuit, sese ei historiæ multa addidisse, nonnulla etiam immutasse, quæ omnia

ad

ad me se missurum esse recepit: quapropter e re fore scripsit, si minus eam typis describerem, antequam illa additamenta, illæque immutationes in meas pervenerint manus, atque suis aptentur locis. Ego igitur dum hæc exspecto, primi voluminis editionem diutius nolui desiderari, ne cum diligentia laudem quæro, minus propterea fidem præstare videar. Verumtamen hoc etiam atque etiam confirmo, eam historiam absque dubio priorem in secundo volumine locum habituram esse. Neque vero dubitare possum, quin antè illa Mayansii additamenta ad me deferantur: sed si forte haud perferrentur, ego quum multa, quæ illi historiae addi possint, multa etiam, quæ debeant immutari, animadverterim, mihi certe non deero; atque hæc omnia, quæ notavi, locis, quibus oportuerit, subiiciam.

Jam vero in hoc volumine pro eo Mayansii commentario primum obtinet locum oratio splendida sane atque gravis, quam Andreas Schottus Antuerpiensis habuit in funere Ant. Augustini. Illam sequuntur orationem quamplurima, eademque amplissima hominum clarissimorum de Ant. Augustino judicia, quæ aliàs multi collegerunt, ego autem quæ essent omnium præclarissima selegi atque cumulavi; ut scilicet ab typographorum more, institutoque ne discederem. Postea vero Augustini extat liber, qui DE LEGIBUS ET SENATUSCONSULTIS inscribitur, cui quidem multa adjecit Fulvius Ursinus magni nominis vir. Primum exhibet is liber tractationem de legibus, & de legum ferendarum ratione absolutam, planeque auream: tantum in ea elucet doctrinæ, eruditionis, elegantia. Ea continet capita omnino XVIII. Deinde persequitur in eo libro Augustinus cum diligenter, tum imprimis docte omnes Romanorum leges, omniaque senatusconsulta, de quibus veterum scriptorum, vel lapidum, vel æris monumenta mentionem faciunt: illas leges, illaque senatusconsulta explicat, interpretatur, exornat. Sunt autem leges, de quibus differit, CLXXXIV. præter disputationem, quæ peculiaris habetur de XII. tabulis. Senatusconsulta vero XXIX. Post hæc adparent tabulæ quamplurimæ multo certe nitore expressæ, quibus ea, quæ de iis legibus atque senatusconsultis monumenta lapidum, vel æris Augustinus viderat, continentur. Ad hæc Fulvius Ursinus, ut paullo ante dicebam, multa adjecit ex monumentis vetustissimis deprompta, quæ fortasse Augustinum effugerant. Hunc porro de Legibus librum ego ex exemplis optimis plurimis, simul diligentissime conlatis, exscripsi. Ut autem libro de Legibus priorem locum tribuerim, ea ratio fecit, quod cum mihi jam esset deliberatum in operis divisione juri civili primas dare, tum in ipso jure civili necesse esse putavi ab eo libro exordiri, qui generalem, eandemque præclarissimam de legibus disputationem præferret. Alteram voluminis partem tenet is liber, præstantissimus ille quidem, qui DE PROPRIIS NOMINIBUS TOT ΠΑΝΔΕΚΤΟΥ FLORENTINI nuncupatur. Collegit enim diligentissime Augustinus omnia nomina propria jurisconsultorum, aliaque innumerabilia, de quibus in voluminibus, quæ Digesta dicuntur, commemoratio habetur: eaque, quasi genus, in octo species divisit. Ad unumquodque vero nomen verba legum apposuit, in quibus legibus illud nomen reperitur. Eorum quoque nominum nonnullis quædam notanda subjecit utilitatis plenissima, quæ sæpius a typographis in libri finem rejecta, a me divisa, atque singula singulis, quibus oportebat, locis exscripta fuerunt. Hunc ego de Propriis Nominibus librum ex illo exemplari exscripsi, quod omnium princeps habetur & est, quodque editum fuit Tarracone typis Philippi Mey an. MDLXXIX. Jam vero nemo non novit, doctissimum virum Everardum Ottonem in iis voluminibus, quæ Thesaurum Juris nuncupari voluit, hunc Augustini de Propriis Nominibus librum divulgasse, tum

etiam in eorum voluminum Præfatione multa, eademque præclara de ipso Augustini libro scripta reliquisse. Itaque ego, qui, quod ad fedulitatem attinet, nihil omnino reliquum facere vellem, ex tota illa Ottonis Præfatione ea omnia excerpti, quæ ad Augustini librum pertinebant, eaque huc sub Everardi Ottonis Notationum nomine addidi; quod sane legentibus spero fore gratum. Denique volumen claudit locupletissimus Index rerum & verborum omnium, quæ in toto volumine notari debeant, a me qua potui maxima diligentia comparatus.

Omnino hæc habebam, quæ cum de re tota, tum præsertim de hoc primo volumine mihi essent dicenda. Quod reliquum est, cætera ego fortunæ committam; mihi vero satisfactum esse putabo, si doctis viris, quorum summa etiam humanitas esse solet, mea vel industria, vel certe voluntas probabitur.



I N F U N E R E
 ANTONII AUGUSTINI
 ANDREÆ SCHOTTI
 O R A T I O.

CUm multa divinitus heroicis illis temporibus, viri ornatissimi, a priscis inventa, atque instituta, & a majoribus nostris religiose ad hanc diem servata sunt, tum nihil vel ad vivorum solatium jucundius, vel ad eorum, qui vixerunt, memoriam honorificentius excogitari potuit, quam bene de Republica meritos, domi, militiæque illustres, cum mortem obiissent, pro funere laudari, atque ad posteritatis memoriam commendari. Græci enim, optimis & disciplinis exculti & legibus instituti, eum morem Athenis Atticis jam inde a Solone Legislatore traxisse creduntur, Romani vero, qua nulla gens alia vel moribus legibusque melius temperata, vel exteris gentibus ad vitam moresque formandos plura exempla suppeditavit, jam inde ab exactis Urbe Regibus, (laudato fortissimo viro L. Bruto, qui pro patriæ libertate occubuerat, a collega Valerio Poplicola) hunc sitis in funere honorem perpetuo habendum censuerunt. Et recte quidem pieque, si verum fateri volumus, utriusque judicant; cum ne qui mortem obiissent, debita virtuti laude fraudarentur; tum ut heredes, atque superstites ad majorum imitationem, resque præclare gerendas tanquam calcariis incitarentur ardentius quam fumosis familiarum ex cera imaginibus, quas & in atriis collocare & gestare in funere solebant. Verum enim vero cum ego ad pium hoc quidem postremumque officium, sed perdifficile, persolvendum non satis idoneus delectus sum, dum, ut debeo, meo me ipse pede metior, vehementius pertimesco. Quæ enim res summos etiam oratores conturbare singulari solent, locus ad dicendum amplissimus, & rei, qua de verba faciendi sunt gravitas, eæ mihi hodierno die sese offerunt universæ. Si enim in causis gravioribus, ut accepimus, initio dicendi M. Tullius atque Demosthenes, summi oratores, commoveri solent vehementius quam vel ætas illorum vel usus exercitatioque postulabat: quid mirum, juvenem me, qui cum illis non sum comparandus, & frequenti hoc vestro conspectu & pudore mihi innato perturbari? Verum tot tantaque exstant amplissimi Præfulis Antonii Augustini, quem more institutoque majorum laudandum precibus victus suscepi, in me exterum hominem humanitatis ac benevolentiae officia, ut officium hodie deseruisse videar, & ingratus jure haberi debeam, nisi diuturni silentii mei finem hic dies tandem aliquando attulisse videatur. Equidem non ignorabam nihil huc nisi perfectum ingenio elaboratumque industria adferri oportere. Verum manum mihi iniiciebat qui mihi ad hæc studia urguenda & recolenda auctor & princeps exstitisset, in quibus ipsis humanitatis, ut sunt & appellatur, literis si quid possum, quantum id est, quod sentio quam sit exiguum, id omne repetere a me suo jure potest. Jacta itaque esto alea, & quidem nominis mei periculo, dum optime de me meriti Manibus satisfecisse, ac parentis potius quam nominis rationem videar habuisse; in quo illud in primis mihi lætandum esse video, me de ejus viri laudibus dicere ingressum, in quo prædicando nemini, ne indiferto quidem, oratio deesse possit, sitque adeo difficilior exitum quam principium invenire. Dicendum est enim breviter, pace vestra, auditores, cum de Antonii Augustini Præfulis nostri amplissimi vita & moribus, hoc est, de singulari eximiaque virtute, tum de doctrina & scriptis ad posteritatis utilitatem comparatis. Denique perfecti ut Jurisconsulti, sic & Episcopi exemplar, tanquam speculum, ante oculos proponam. Quare ut attente nos patienterque audiat, ejusque, quem vivum parentis loco duxistis jam mortui laudes libentibus auribus animisque accipiat, vos queso obtestor. Quod si a vobis, ut spero & opto, impetravero, futurum est ut nec me in dicendo laborasse, nec vos tanti viri memoriam grata animi recordatione revocasse pœniteat. Illud enim Romane moreque majorum, id est, ingenue vereque confirmare audeo, dubitare me vehementer an parem Augustino, aut multis retro annis majorem secula tulerint, aut quæ consecutura est posterorum ætas, datura similem sit virum, qui in his ipsis juris antiquitatibusque disciplinis virtutumque, ornamentis proinde excellat, cæterosque, ut hic noster, æquales longo post se relinquet intervallo. Q. Cæcilius Metellum, cognomento Macedonicum, memoriæ proditum est, cum tristem nuncium accepisset, P. Scipionem Æmilianum, cui etiam virtutis everseque Carthaginis Africani cognomen addiderat, domi suæ incerto auctore esse interfectum, a quo tamen de Republica æmulatione, ut sit, gloriæ sine acerbitate dissenserat, foras profugisse, & in hanc veritatis plenam, ut ab æmulo profectam, vocem prorupisse: *Concurrite, inquit, concurrite, cives Romani. Urbis enim nostræ mœnia conciderunt.* Eundemque ferunt filiis quatuor Consularibus, a quibus & ipse magno felicitatis humanæ argumento post elatus est, negotium dedisse, ut Scipionis Africani funus non deducerent solum, sed etiam esserent, humerosque pheretro subiicerent, hoc addito elogio exsequiis digno: *Non fore ut in posterum postremum id officium excellentiori ulli civi ampliusque de omni Republica merito imperatori præstarent.* Idem mihi hodierno die exclamare jus fasque est. Quin potius, cum toga armis præstantior sit, resque bellicas consilia superent, & animus corpori longe antecellat, eo verius justiusque pronunciaro: *Concurrite Tarraconenses, omnisque adeo Hispania citerior, ulterior. Mœnia nostra, extincto Antonio Augustino, everfa sunt; nec spes est fore, ut alteri præstantiori viro postremum hoc officium, mortuo debitum, persolvamus.* Cum illo enim spes omnium nostrum, auditores, resque publica & patria elata esse videntur; inopum subsidia, atque fortunas jam video concidisse. O igitur fallaces hominum spes! O inanes mortalium cogitationes! Sed hoc agamus. Atque ut inde oratio mea profiscatur, unde ætatum initia ducuntur, a capite arcessam narrationem, si quis forte adit adeo ignarus

*Plutarc. in
Poplicola.*

*Plutarc. in
Apoph. Val.
Max. lib. 4.
cap. 1.
Plinius lib. 7.
cap. 44.*

tem-

Anno CHRIS-
TI 1517.

Fl. Popiscus
in Carini
vita.

Tuscul. I.

Anno 1365.
Jo. Genesius
Sepulveda in
hist. Bonon.
Collegil.

An. 1535.

An. 1530.

Emendat. Ju-
ris lib. 2. cap
1. & 2.
Ann. 1536.
Car. Sig-
nius lib. II.
de regno Ita-
liae. Angel.
Polit. lib. 10.
epist. 4. &
Miscell. cap.
41. Viglius
Zuichemus
pref. Theo-
pbili & Ant.
August. lib.
1. Emendat.
juris.

temporum, & in familiis illustrium virorum hospes, ut hæc ignoret. Ætatis itaque memoriam replicans ultimam, inde usque repetens, comperi natum esse domo nobili AUGUSTINORUM, & excellentibus viris in gerenda Republica claris, Cæsaraugustæ, Celtiberorum urbe celebri & copiosa, nunc etiam studiis ingeniisque affluente. Patre ad hæc Antonio Augustino Pro-cancellario Aragoniæ finitimorumque regnorum. Quæ dignitas hodie apud Reges secundas tenet. Augustorum quoque Romanorum temporibus, ut ex annali-um memoria & Carini Imperatoris vita observare memini, plena in administrandis rebus publicis & honoris & auctoritatis Cancellarii potestas perpetuo fuit. Vixdum ex ephebis filius excefferat, tinctus iis artibus, quibus prima ætas ad humanitatem informari solet, natu licet minimus, tamen, ob singularem indolem, maxima in spe, deliciisque parenti, Complutum, quæ in Carpetanis princeps academia est, ad uberiores ingenii cultum missus est, ubi celeriter antecellere æqualibus ingenii gloria contigit. Verum assiduis bellorum tempestatibus jacebant adhuc humanitatis studia, Ciceronis nomen vix in scholis tum audiebatur. Nondum satis culta bene dicendi facultas, Græcæ literæ mutæ doctorum carebant. Sine quibus tamen disciplinis in jure civili enucleando excellere nemo potest, & reliquæ scientiæ gravioribus quasi conticescunt. Senfa enim mentis commode eloqui non posse, nec ad posteros transmittere nisi rustice & inquinata posse hominis est, vel M. Tullio iudice, intemperanter abuten- tis & otio & literis. Studia vero hæc in Italia disciplinarum parente jam tum colebantur vehemen- tius quam in Hispanicis academiis; sive id soli, cœlive genio, sive hominum indoli & industriæ, sive otio denique & tranquillitati Republicæ acceptum est referendum. Salmanticam hinc a parente missus, prima ibi jurisprudentiæ fundamenta jecit gnæviter. Verum ut exoticæ merces & peregrinæ domesticis fere gratiores, & plantæ alto cœlo cultæ, atque insitæ suaviores sæpe uberioresque esse solent, miles denique is optimus qui patria procul stipendia fecit, idem in præstantibus ingenii usu venire accepimus. Alieno enim cœlo studiorum labor & industria fit major. Exacuitur enim & quasi usu exteriorum splendescit ingenium, prudentiaque paratur. Magna itaque Italicorum ingeniorum subtilitate, doctri- na, & eloquentia, honesta quadam laudis contentione, quæ stimulos optimis ingenii addere solet, excitatus, cum de posteritate serio cogitaret, cui se vixisse testatum aliquando facere vellet, Bononiam, eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis, juris præsertim civilis, affluentem, cogitabat, quo in oppido collegium ingentibus olim sumptibus amplissimum fortissimumque virum Ægidium Albornotium Cardinalem in Hispanicæ gentis gratiam sua pecunia exadificandum curasse inaudierat, quo erudiendi gratia ex omnibus fere Hispaniæ urbibus præstantissima ingenia quotannis vocarentur alerenturque li- beraliter. Magnam hic studiorum segetem ex æmulatione, ut fieri amat, ingeniorum mutua colligi, assiduas hic differendi exercitationes scholasque haberi acceperat; ex quo ludo, tanquam ex equo Tro- jano, meri heroes, qui de jure consultoribus responderent, prodissent; quorum e numero nonnemo Hispaniæ clavum nostra memoria summo cum imperio tenuisset. Bononiam itaque, parentum permis- su, excelsi animi & laboriosi juvenis tandem pervenit anno altero Pauli tertii Pont. Maximi. Ea in urbe paucis ante annis Carolus Cæsar Imp. a Clemente VII. P. M. frequenti hominum concursu & quasi orbis terræ panegyri diademate coronatus inunctusque fuerat, more majorum, Augustus. Quæ res urbem cætera claram per se & nobilem, ut pontificiæ ditionis, reddiderat illustriorem. Hic in collegium ultro invitatus Augustinus, licet suis sese sumptibus alere commode posset, commigravit; opibus ta- men patriis valere iussis, ne his fisis negligentius, ut fit, in studiis versaretur. Sic pontes a tergo militibus abrumpere solitos duces, ne qua fugæ spes relinquatur timidis, adolescens legerat. Nactus hic eos est doctores qui cæteris omnibus ingenii gloria antecellerent. Paulo enim Parisio juris ponti- ficii celebri interpreti assidue operam dedit, qui ob singularem pietati conjunctam eruditionem mox in patrum purpuratorum senatum lectus est. Cui Andreas Alciatus Insuber, ut in bello defessis integri recentefque submitti ab imperatore solent, susceptus, de superiori loco docendi personam sustinuit, accitus insigni honorario, princeps cum esset ejus ætatis antecessorum, propterea quod eloquentiam Græcarumque literarum, quæ perpauorum hominum semper fuerunt, peritiam ad jus illustrandum at- tulisset, ingenioque cum intendisset, & poetica, ut Jani Parrhasii discipulum possis adgnosceret, plu- rimum valeret. Biturigas enim, quod hodieque gymnasium Jacobo Cujacio Tolosæ Jurisconsultorum coryphæo floret, Ticinum item & Bononiam academias docendo Alciatus mirifice ea tempestate, ut & jus ipsum scriptis editis, illustravit, eductis, vel ut verius dicam, genitis summis aliquot, juris sa- cerdotibus, in quibus Augustinus noster familiam ducebat, quod in iis ipsis juris enucleandi vestigiis pedem ponere cogitaret. Viglius item Zuichemus Frisius princeps erat; qui Galliæ Belgicæ Præses, negotiorum mole a scribendo, ut feliciter cœperat, abruptus est. His igitur auditoribus, ut imperator spoliis opimis, merito gloriabatur Alciatus. Antonius vero feriis, quibus proferri res solent, cessatur- que æstivis mensibus, ardente canicula, Patavium, celebritate commotus, discendi gratia, dum se æstus solis frangeret, secessit, mensisque octo ibi hæsit, cum doctoris auctoritate, tum loci amœnitate captus. Marianum enim Socinum minorem diligenter audivit. Quæ quidem Socinorum familia tres continenter insignes Jurisconsultos edidit, Marianum majorem & Bartholomæum, libris editis cla- ros, quales Jurisconsultos vix singulos singulæ ætates ferre solent. Sic olim & Muciorum gens, quæ tot una prudentes juris emisisset, quot satis multis civitatibus esse possent, in cœlum laudibus ferri solet. Idem & Augustinorum gentis decus fuisse ut plures ea Jurisconsultos, patrem, avum, proavum de- derit, annalium Celtiberiæ memoriam evolvens, comperi. Hic & subsecivis horis, quas alii tribuunt aleæ, intempestivis conviviis, aut somno, literas amœniores libenter respexit, & Lazarum Bona- micum, disertum hominem, Græcos etiam doctores, Fazellum & Romulum Amasæum audivit. M. enim Porcium Catonem admodum senem Græcæ discere non erubuisse acceperat. Et vero sine his artibus eruditisque linguis, historiarum antiquitatisque memoria, perfectum Jurisconsultum evadere pos- se neminem, & sæpe ipse differuit, & scripto edito, ut posteritas posset exaudire, testatum reliquit. Decurso jam studiorum curriculo feliciter, Florentiam Erruriæ metropolim se contulit cum Jo. Me- tello Sequano homine eruditissimo, qui cum ex studiorum, ut fit, similitudine vetus necessitudo in- tercesserat, & Pandectarum juris civilis volumen immensum, Justiniani Imp. jussu a Triboniano col- lectum, ejusque temporibus, ut creditur, priscis admodum literis exaratum (qui thesaurus olim Pisis allatus est quantivis precii, religioseque a Ducibus asservatus, tanquam Apollinis oraculum consu- litur) cum Norica & nupera Gregorii Haloandri editione summa fide, diligentiaque comparavit. Hic Lælio Taurello, egregio & diserto ejus ætatis Jurisconsulto, Florentiæ usus est familiarissime, doctif- simo

sumo item, candidissimoque, & de literis bene merito Petro Victorio. Hinc doctoris sui Alciati vestigiis insistens, quod incredibile & ipse juvanda foris privatimque Reipublicæ & Philologiæ cupiditate flagraret, discrepantes lectiones & emendationes earumque rationes, illas quidem ex membranis antiquis, has a se excogitatas, in eum libellum conjecit, quem hinc *Emendationum juris* titulo inscripsit; moxque, non tam popularis auræ captandæ, quam bene merendi studio, excidere adolescenti sibi, annos vix nato quinque & viginti, passus est. Quo libello, si molem spectes, in speciem exiguo, sin rerum utilitatem, ponderumque momenta æstimes, sinuosus aliorum voluminibus anteponendo (magnum enim librum magnum Aristophanes Criticus appellabat: Domitius vero Piso libros thesauros esse debere judicabat) Italiam, qua patet, nominis fama conturbavit, nomenque cum omni posteritate adæquavit. Ad hæc plurimos externos homines suo juvandæ jurisprudentiæ exemplo incitavit, ut iidem ingressi vestigiis Itali, Galli, & Belgæ homines doctissimi politioem illam (qua hodie seculi aurei felicitate, depulsa omni barbarie, fruimur) juris civilis tractationem amplecterentur. Hoc amplius effectum est; ut nostra etiam memoria Galli & Belgæ, juris antiqui studiosissimi, quos honoris causa libenter nomino, Balduini, Rævardi, Curtii, Duareni, Contii, Connanii, Goveani, Hotomanni, Ruffardi, Cujacii, cæteri, scriptis ad immortalitatem comparatis, jus vetus, adhibita philologia, mirifice illustrarint. Hac tanta celebritate famæ absentibus etiam, qui aliquid de ingeniis studiisque judicare aut possent, aut vellent, notus Augustinus, Romam venit, quam urbium dominam terrarumque deam esse, Urbem etiam æternam indigitari didicerat, Paulo tertio decimum jam annum Ecclesiæ Christianæ clavum tenente: moxque singulari hominis doctrina explorata, duodecim-Viris Sclitium judicandarum, hoc est, sacri Palatii iudicibus, adscriptus, omniumque suffragiis delectus, Lud. Gometio J. C. Hispano & Episcopo successit. Pontifici & Ecclesiæ fidelem operam navavit, ea integritate atque innocentia, ut difficile sit dictu abstinentiæ majore vixerit, an in jure dicundo severitate graviore sit usus. Julius tertius P. M. sextum post annum susceptus, adeo Antonium dilexit, ut & intimis consiliis adhibuerit, Legatumque summa cum auctoritate in Britanniam insulam opibus florentissimam miserit, cum Rex vere Catholicus Philippus secundus Mariam Reginam, Catholicorum regum Ferdinandi & Isabellæ neptem, duxit uxorem, Reginaldi Poli Cardinalis præstantissimi auspiciis: & insulanis pacem Ecclesiæ tranquillitatemque, exorians veluti sol, attulit. Sed o rerum inconstantiam, miramque vicissitudinem! Ut nihil est in rebus humanis proprium, nihil perpetuo bonum! Nec enim diu gaudere paceque frui datum. Immatura enim Regiæ femiæ lectissima mors ætatis octavo & tricesimo (nata enim uno ante Augustinum anno) Ecclesiæ Dei, rei que publicæ ex insperata læticia summum attulit mœrorem. Sed & alterum tristitiæ argumentum oblatum. Hac enim tempestate, flagrante bello Gallia, Carolus mundi vanitatum pertæsus, & regnorum mole fessus, tot victoriis de Gallo & Turca, rebusque gestis, omnibus qui ante illum fuerunt, Augustis comparandus, imperio sua sponte abdicavit, fasces deposuit, filioque tradidit, & apud Carpetanos in solitudinem, ut quod reliquum esset vitæ curriculum, totum rerum divinarum contemplationi precibusque ad Deum Opt. M. fufis impenderet, sese abdidit: raro ac pene inaudito ætatum omnium exemplo post Lotharium Imp. Caroli Magni nepotem: qui tamen, ut creditur, tædio rerum adversarum victus, cum Ludovico, a Carolo fratre altero, post quintum decimum imperii annum monasticam vitam amplexus est. Diocletianus vero cum collega Maximiano, immanes tyranni & feræ crudelissimæ, imperii quidem insignia & ipsi posuerunt, hic Nicomediæ, alter Mediolani; sed si veram causam querimus, desperatione quadam adducti opprimendi, in quos impotenter sæviebant, Christianos. Amurathes item Turcarum Rex, majorum nostrorum memoria, Mahumeti Othomano filio, paulo ante captam Constantinopolim, Orientis imperium concessit. Verum neque metu, neque animi perturbatione, aut quod laborem periculaque defugeret, Carolus fecerit; sed solum pietatis innata studium, ut rationem gesti imperii Deo judici reddendam longe ante subduceret, in eam mentem impulisse videtur. At unde digressa est, revocetur oratio. Revertit ex Anglia Romam Augustinus Paulumque ejus nominis quartum apostolicæ navis gubernaculo admotum comperit, Urbemque armis militaribus Hispanorum circummetuque nuperæ direptionis consternatam. Tandem armis positis redditur Ecclesiæ otium atque tranquillitas. Post ab ipso Allifanus Episcopus creatus, missusque pontificia auctoritate ad Ferdinandum Cæsarem in Germaniam. Qua honorifice obita legatione, gregem sibi creditum adiit, eumque omni humanitatis genere & liberalitatis est prosecutus. Hinc non diu, ut motoriam egisse fabulam suis ingratis videatur, Siciliam insulam, opibus florentem & frugibus, ut horreum Italiæ atque Hispaniæ appellandum videatur, Philippi Regis Catholici auctoritate atque auspiciis lustrare iussus, integre id munus obivit, ut & Regi gratum officium præstiterit, & insulanis jus sancte administrarint. Reverius iterum in Hispaniam est, ut optimo Regi, cui debebatur, rei gestæ ratio redderetur. *Ea est enim imperandi optima conditio*, inquit Tacitus, *ut non aliter ratio constet quam si uni reddatur*. Mox Ilerdensium episcopatus a Pio quarto nec opinanti traditur & repugnanti. Sed victus precibus cessit. Nam & Petrus Augustinus, natu major frater, eo ipso tempore Oscam (non procul inde sitam antiquissimam Hispaniæ academiam, quo jam inde a Q. Sertorii temporibus Hispanica juvenus erudiendi gratia mitti solet) Episcopus tenebat. Inde Tridentum uterque profectus est, quo, indicta synodo œcumenica, tanquam ad panegyrim ex omnibus orbis partibus doctissimorum simul ac pientissimorum hominum, faciendæ Ecclesiæ catholicæ concordiæ, conventus fiebant. Augustinus itaque, ut erat ecclesiasticarum rerum usu peritissimus, sacerdotum illis temporibus mores paululum a majorum gravitate degenerantes, solutamque disciplinam ad pristinum decus, continentiamque revocandam censuit, ratus, quod res est, hinc tanquam a capite, corporis medicinam, ut membra convalescant, inchoandam. *Propter nos*, inquit cum Jona Propheta, *hæc tempestas in Gallia Germanique exorta est. A domo itaque Dei auspiciandum. Occurrite, Patres, labenti Reipublicæ*. Præclare Augustinus; & perhonestæ oratio. Meminerat enim Numantiam Carthaginemque superari evertique a Scipione Africano minore non ante potuisse, quam correcta militum, qui jam luxu, otio, deliciisque pridem enervati languebant, disciplina. Legibus itaque de ordinum disciplina faciendis adfuit, juvitque in partem. Anno post tertio rursus in Hispaniam navigavit, & Ilerdæ Ecclesiam rexit optimis & legibus, & institutis. Ecclesiasticos ritus precesque, quibus sacerdotes affueverant, composuit; & Collectionem canonum antiquam Anselmi Lucensis, quarti juris pontificii compilatoris, edidit. Annos ipsos sedecim ei sacerdotio summa pietate ac religione præfuit. Post, longo satis intervallo, a Gregorio tertio-decimo, Pontifice vere

An. 1543.

Atheneus
Plinius pr.Martial. &
Frontinus 2.
De aque du-
bitis urbis
Rom.

1550.

1554.

1516.

1555.

Circa annum
Christi 850.An. Christi
304.
Anno 1450.

An. 1555.

An. 1527.
ad 7. Id.
Maii.Tacit. lib. 1.
Annal.Plut. in Ser-
torio.

Jona 1. d.

Livius lib. 31
& 37.

Anno. 1576.

maximo, & honorum omnium parente optimo, Tarraconensis Archiepiscopus renunciatus, hanc Ecclesiam ad extremum usque spiritum Præful quartus & tricesimus sancte, innocenterque, ut scitis, administravit; vixitque jucunde in hac urbe, propter antiquitatis Romanæ impressa vestigia, theatrum, circum, titulos, nummos, & inscriptiones, quibus referra urbs est, ut & moenia omnia Romæ loqui videantur. Romanorum enim hic portus nobilis, hæc statio, huc cursus fuit; eratque, ut vos non fugit, ceterioris olim Hispaniæ caput Tarraco; quæ pars ulteriorem, Bæticam nimirum & Lusitaniam, magnitudine longe superabat. Hæc illa illa est Tarraco, (patiamini me, quæso, auditores, animo meo morem gerere, & hæc breviter perfringere, quando me in hoc dicendi genere tam diligenter attenditis) hæc inquam Tarraco est jam inde a veterum Scipionum temporibus clara urbs, cum populus Romanus cum Carthaginensibus de imperio totius Hispaniæ, vitæque contenderet; ut de Græcis

Polyb. lib. 1. Polybius, prudentissimus revera scriptor, de Latinis Livius, memoriæ prodiderunt. C. item Plinius
Livius lib. 28. major Scipionum opus appellare non dubitat. Sed institutum urgeamus, quando ad extremum usque
Plinius lib. 3. vitæ actum fabulæque catastrophæ, tristem illam quidem, sed in qua sunt omnia, pervenimus. Obiit enim Augustinus naturæque concessit, sibi quidem suo tempore, (dici enim non potest quam corpore
c. 3. his compagibus cum Paulo solvi optaret) Reipublica vero Ecclesiæque Dei laboranti nobisque nimis præpropere. Etatis quidem septuagesimo abiit e vita: qui fere humanæ vitæ terminus ab antiquis philosophis, doctissimis hominibus, angustus sane nimisque brevis, circumscribitur. Exstat & divinum regii vatis oraculum; *Dies*, inquit, *amorum ejus septuaginta anni. Si autem in potentatibus*, (hoc est, ut Hebræi legunt, si admodum robustus fuerit) *octoginta anni. Amplius eorum labor & dolor.* id est, ut iidem interpretantur, pars ætatis princeps, juvenia, dolorum plena est & molestiarum. O brevem igitur hominis vitam! O exiguum nimis curriculum! O miseram hominum conditionem! Quamobrem præstans ille philosophus Theophrastus moriens cum Natura exoptulavit, brutis animantibus, quorum nihil intererat, longam ætatem concedi, ut cervo, ut cornicibus, ut phœnici, teste Hesiodo; homini vero, qui rationis sit & orationis particeps, nimis angustiis temporum spaciis vitam concludi. Verum est in promptu quid respondeam, & ad consolationem facit plurimum, sic placitum Deo imperatori, qui nos in hac vitæ statione collocavit ea conditione, ut cum vellet hinc evocaret, & quasi rude donatos ad felicioram vitam transferret, æternam, finisque expertem. Sed & Sallustius philosopho illi pro me respondeat. *Dux*, inquit, *atque imperator vitæ mortalium animus est, qui ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque & clarus est.* Ratio igitur & animi morte carentis industria & vires corporis & longævæ ætatis durationem, quibus a brutis animantibus superamur, facile pensant longeque vincunt. Quæ cum ita fiat, Antonio gratulandum potius quam lacrymis indulgendum esse censeo. Ille enim jam tum cum erat inclusus in corpore, cœlestia assidue animo præcepit, & ea quæ, supra erant contemplans, quam maxime se a corpore abduxit. Nunc vero voti sui compos ex corporum vinculis tanquam ex carcere evolavit. Nostra vero hæc, quæ dicitur vita, mors est appellanda. O te felicem igitur, Antoni, o terque quaterque beatum, qui his vitæ laboribus in tam laboriosa ac diuturna peregrinatione a cœlesti patria defunctus, requiem capies sempiternam! Nos contra miseri, qui superstites sumus, tot malis, quibus hæc mortalium vita referta est, morborum, ægritudinum, bellorum, pestis, famis, dolorum denique omnium obnoxii. Recte itaque Thraces, cætera barbari, pueros recens natos lacrymis excipiebant, humoque lacrymantes tollebant; vita vero functos gaudio efferebant, omnique lætitiæ genere deducebant, quod malis omnibus defuncti morte esse viderentur. Quid nos humanitate excultos facere par est, auditores? Quanto rectius poeta Ennius, Rudinus homo, qui mortem suam lugeri lacrimisque decorari vetat quod eam immortalitas consequatur. *Cur?* inquit. *Volito docta per ora virum.* Sic Antonii nomen excipiet omnis, quæ consecutura est, ætas posterorum. Sed efferor studio, longiusque opinione provectus sum. Ad me redeo. Verum quando satis Latina in his temporum angustiis dixisse videor de vita Præfulis amplissimi, reliquum est ut de perfecti Jurisconsulti & Episcopi munere breviter dicendum esse videatur. Cum enim domicilium Romæ Antonius haberet, pontificiarum causarum iudex æquissimus, & quasi rerum ac fortunarum suarum sedem ibi, si arbitrato suo perpetuo vivere licuisset, horis subsecivis, quibus a negotiis publicis laxamenti aliquid dabatur ad corporis animique relaxationem, cum eruditissimis hominibus, qui domum ejus assidue discendi gratia frequentabant, Octavio Pantagatho, Gabriele Faerno, Basilio Zanchi, Onuphrio Panvinio, Pyrrho Ligorio, Paulo Manutio Aldi F. Carolo Sigonio, & qui hodie vivunt, Latino Latinio & Fulvio Ursino, Metello item Sequano, qui XI. ipsos annos in illius contubernio jucundissime vixit, cæterisque domi suæ, quæ illis oraculum, verius Delphico, esse videbatur, de urbis Romæ antiquitatibus, inscriptionibus, numismatis, rerum gestarum memoria, & scriptoribus antiquis Græcis atque Latinis, omnique adeo philologia & interioribus litteris libenter diserebat, & instar apes undique decerpebat, quibus Spartam, quod ajunt, illustraret suam. Hoc otium M. Varronem & Festum Pompejum illustravit, aliique ut legi & intelligi possint, & calamistris inurerent ii, qui majori & otio abundabant & subsidio, in manus tradidit: nullum denique acroama jucundius quam hujusmodi literatissimorum virorum in hexedra confesum atque coronam, nullum senatum præstantiorem sibi videri dicebat. Memoria teneo cum diceret (sæpe enim de perfecti Jurisconsulti officio, qualem Oratorem M. Tullius, & qualem Reip. ideam Plato ille divinus quæsit, graviter ac diserte differere solebat) eas, quæ vere, ut sunt, ita appellantur, humanitatis disciplinas suppeditare prudentibus, ubi animus ex forensi strepitu reficiatur, hominesque paulo politiores juris interpretum quorundam rustico & incondito sermone defessos hic conquiescere & debere & solere; nec ferre animos posse tantam contentionem, nisi amœniori oratorum, poetarum, & historicorum lectione relaxentur, atque adeo ex his & philosophorum spaciis, incredibile dictu esse quantum crescat hæc ars, judicandique facultas. Poeticam iccirco adolescens attigit; pangebaturque interduum carmen, alternis versibus longiusculis, non invito Apolline. *Equidem de me*, inquit, *confitebor ingenue, nunquam me ab his studiis abhorruisse sed ad illa respectum habere, sine quibus litteris nihil diu victurum posterorum memoriæ prodi potest. Nec me pudet, nec cur pudere debeat video. Cæteros pudeat qui ea fere, quæ ingenii tarditate, vel ignavia consequi non potuerunt, in aliis damnare solent, & vitio vertere, ne se ipsi ignavia vel inscientiæ condemnare tacito quodam præjudicio cogantur. O tempora! O mores! O insipiens hoc seculum & inficetum! Jaceret profecto jurisprudentia, reliqueque disciplina pessum irent densa tenebrarum caligine involuta, nisi litterarum lumen accederet.* Sic ille. Quamobrem nulla Antonii ingenium, doctrinam-

Polyb. lib. 1.
Livius lib. 28.
Plinius lib. 3.
c. 3.
An. 1586.
Philipp. 1. 6.
Macrob. lib. 1.
Somni. Scipion. cap. 6.
Psal. 89.

Cic. Tuscul.

Hesiod. apud Plut. De oracul. defectu.

Sallust. initio Jugur.

Cicero in Catione.

De perfecto Jurisconsulto.

namque posteritatis oblivio obscurabit, editis tot ingenii monumentis ad jus antiquum Romanum recte enucleandum. Nec enim fletur admirabilis quædam, ac pene divina ipsius in legibus interpretandis, qualis ne in Servio quidem Sulpicio major exstitit, scientia, in odorando, unde partes a Triboniano misere divulsæ essent, sagacitas, in depravatis locis ad sanitatem revocandis felicitas, in falsis sententiis refellendis modestia, in omnibus, qui quidem aliquid vel mediocre in commune contulissent, laudandis singularis, ac pene propria illi humanitas. Denique de illius ad verum evadendi incredibili prudentia nulla unquam ætas conticescet. Veritas enim & ratio ipsa, quæ legum esse anima perhibetur, in Democriti puteo demersa, non a quibusvis erui potest; sed summa opus industria, maximumque studium est adhibendum. Omnes certe ex omni ætate (liceat enim mihi apud vos præfiscine, quod sentio dicere) qui intelligentiam juris habuerunt, vix sunt ad Antonium Augustinum comparandi; aut si quem æquare studeas, præferas certe neminem, quod felici hoc & aureo literarum seculo, bella modo civilia conquiescerent, & eruditissimis hominibus affluente, nemo fortasse ad jus sacrum profanumque illustrandum, ad artemque redigendum, & dispersa melius colligenda, aut majores animos aut plura literarum subsidia, cum ab Antonio discessero, Cujacium semper excipio, attulisse videatur. Neque magis juris quam justitiæ consultus fuit in æquitate explicanda summa animi constantia, ut pro libidine leges ac refrigerare minime sibi licere existimaverit: non actiones ampliandas, non lites ex litibus ferendas, more hujus ætatis, judicabat; quod hominum genus olim legulejos, rabulas forenses, vulturesque togatos appellabant. Merito itaque a nostri seculi prudentibus Augustinus, ut apud M. Tullium Q. Mucius Scævula, Jurisperitorum eloquentissimus, & eloquentium juris peritissimus publicis in scholis (fremant licet omnes, æmuli & indocti homines) honoris gratia nominatur. Magna vero & pene incredibilis in eo ad extremum usque spiritum memoria, quæ est Jurisconsultorum propria, semper viguit, aucta assiduis lucubrationibus discendique cupiditate qua una re veterum videatur concessisse nemini, ut quantum ætate mala vires magis minuebantur, eo animus in dies magis magisque crescebat doctrina; & hebetata oculorum acie, animus verum cernebat acutius. Ut enim homini propria est veri inquisitio, atque in vestigatio, trahimurque omnes & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem; sic major in iis existere ea solet & debet qui onera Reipublicæ sustinent graviora, quique vastum illud juris pelagum conscendere parant. Solon Atheniensium legislator, & unus in septem Græciæ sapientibus, senescere se multa in dies addiscentem gloriabatur. Idem etiam animam agens audire & discere exoptabat. Sed quid externa Græcorum, cum suppeditent domestica Romanorum Jurisconsultorum, exempla commemoro? Pomponius enim J. C. *Ego discendi, inquit, cupiditate, quam solam vivendi rationem optimam in octavum & septuagesimum ætatis annum duxi, memor sum hujus sententiæ, quam dixisse fertur Julianus: Etsi, inquit, alterum pedem in sepulcro haberem, adhuc addiscere quædam vellem.* Hæc ille. Ut autem adolelescens jus civile egregie & illustravit Augustinus, & aliis viam, quam insisterent, monstravit munivitque; sic matura jam ætate atque judicio jus quoque pontificium, eadem animi alacritate, ut sacerdotem, Episcopum, atque adeo Christianum Jurisconsultum decebat, accurate sibi recensendum emendandumque putavit. Ad hæc, ex quo Tridentino Concilio domum revertit, Concilia œcumenica quatuor, quæ beatus Gregorius P. M. quatuor Evangeliiis subungere & æquare non dubitavit, collectis in Italia ex omnibus bibliothecis exemplaribus Græcis, Græce edere cogitabat, quod ea canonum collectio eo magis indigere hac lucubratione videretur, quo infeliciori nata erat seculo, ex compilationibus Burchardi Wormaciensis, Ivonis Carnotensis, Deusdedit Cardinalis, Anselmi Lucensis, & Gratiani monachi, qui & ipsi ex sanctorum patrum Ecclesiæ catholicæ scriptis hinc inde sententias in classes redigere & ad capita revocare conati sunt; quemadmodum antea ex infinitis prope veterum prudentium responsis Tribonianus J. C. Justiniani Imperatoris jussu Pandectarum volumen collegerat, extinctis veterum, unde tabulas illas naufragii desumpserat, libris. Sed cum utrique a librariis temporumque injuria male accepti sint, melior tamen Gratiani conditio fuit, quod ejus fontes integri existent, Pandectarum vero maximam partem perierint, exceptis nuper in Gallia repertis Caii & Ulpiani Institutionibus fragmentisque legum. Juliani item Antecessoris Constitutiones & Theodosianus codex in partem juvant. Juvant & Græci, qui Romanorum leges Græce exscripserunt, Theophilus, Harmenopulus, & βροπληνὰ quæ vocantur. Sacro vero juri illustrando, post duos Antonios Gallos Democharem & Contium, qui in Gratiani collectaneis elaborarunt, Ilerdæ Collectiones antiquas integras Anselmi Lucensis, ut dixi, foras dedit, opus rarum & utile. Quadraginta ad hæc dialogis de Gratiani emendatione differuit. Ea vero tempestate commodum optimus Pontifex Gregorius tertius-decimus, qui & ipse juvenis Bononiæ suæ Juris Antecessor fuerat, supplicibus præterea libellis rogatus Michaelis Thomasi (qui nuper, ut scitis, Ilerdensis Episcopus, magno sui relicto desiderio, vita decessit) de sacrorum canonum Gratiani collectione ad fontes exigenda, restituendaque negotium & doctis hominibus Romæ, in his Petro Ciacconio, homini ut doctissimo, sic ad antiquos scriptores instaurandos bono publico tanquam de cælo delapso, & academiis omnibus dederat; perfectumque est tandem aliquando, ut nunc minus turbide rivuli illi decurrant, multas tamen ut Antonio spicas legendas his ipsis duobus libris reliquisse videantur. Nec his contentus, ad artem redigere, quod in jure civili M. Tullius aliquando cogitavit, cœpit Antonius jus sacrum, nimis diffuse, nec satis via & ordine traditum, edita nunc Epitome juris canonici, ad artem, methodumque revocata ea parte, quæ de personis est. Altera enim de rebus ipsis, & tertia de actionibus atque judiciis, quo ordine Justinianus Imp. Institutiones edendas curavit, in adversariis adhuc latent, lituris plenæ. Verendum itaque, quod invitus refero, atque utinam falsus augur aliquando deprehendar, ne parentis immaturo interitu partus ille aut posthumus sit, nec satis politus exuat, aut, quod Deus ne siverit, perpetuo delitescat. Quam enim partem Veneris Apelles inchoatam reliquit, nemo pictor est inventus qui absolvere audeat. Habetis, auditores humanissimi, quæ de perfecto Jurisconsulto pro re nata breviter mihi leviter his tincto in mentem venire potuerunt. Accipite nunc Episcopi, optimique pastoris personam, quam ad imitandum, tanquam expressam imaginem, liceat intueri. Non enim eorum solum hominum, qui nunc sunt, quique aliis erunt in annis, gloriam Augustinus superavit, sed & veteres aliquot virtute doctrinaque adæquavit. Divus enim Paulus, vas illud electionis Tito Cretæ, atque Timotheo Ephesi Episcopi exemplar optimi Ecclesiæ Præfultis adumbravit, quem omni reprehensione notisque ignominia carere oporteret. Ei potissimum tres has res inesse oportere tradit, doctrinam, virtutem, & auctoritatem. De quibus cum breviter disseruero, finem dicendi faciam. Quis igitur hoc ho-

Cic. Philipp. 9.

Ab Ann. Marcell. Appuleio, & Petronio. In Bruto.

Valer. Max. lib. 8. cap. 7. Lib. 11. Pandect. Tit. De fideicom. libert. cap. apud Julianum. Jus canonicum.

Cic. 3. Offic.

Episcopi minus.

Ad Titum I. I. Ad Tim. 3.

mine nostra, parentumque memoria doctior? Quis omnis antiquitatis, etiam ecclesiasticæ, peritior? Quis in docendo, scribendoque disertior? Quod scriptorum genus sacerdoti necessarium non attigit, non ad unguem tenuit, non literis exornavit? Clamant, & pro me testimonium dicunt tot scripta ab illo prudenter, accurate, cogitateque meditata, & ad veterum normam revocata. Quæ idcirco consulto prætereo quod ea vos colligere animoque repetere (sunt enim in promptu, manibusque gestantur) possitis. Tarraconensium enim Episcoporum decreta illustravit, pœnitentiæque canones edidit. Synodum ad hæc Episcoporum nuper in hac ipsa æde sacra coegit, utiliterque multa sancivit. Justitiæ vero ejus publica hæc documenta habeo, cum, in civili Republica, tum Ecclesia adminittrauda. Raros enim & nisi natu jam grandiores, vitæque castæ & innocenter acta probatos, altaribus admovebat. Quod tantum abest ut vitio verti, ut summæ etiam laudi, atque constantiæ tribuendum censeam, censentque omnes, qui ordinis sacri mysteriorumque Ecclesiæ dignitatem, majestatemque animo perspectam habuerint, meminertintque avitis illis & incorruptis nascentis Ecclesiæ temporibus, ut a fordibus cum avaritiæ tum libidinum alieni ad altare remque divinam accedebant, sic plerumque munus hoc arduum per se ac difficile sacerdotii & Episcopi fuga in loca sola vitabant primi illi heroes, homines divini, a Gregorius, b Chrysostomus, c Martinus, d Ambrosius, e Augustinus, cæteri. Nonnemo etiam, ut accipimus, sacris, quibus se indignum esse judicabat, initiari cogebatur, abscisso pollice dextero, officium declinavit. f Paulus etiam Timotheum, collegam pene suum, itinerumque comitem, hortatur: *Manus cito*, inquit, *nemini imposueris, atque communicaveris peccatis alienis. Te ipsum castum custodi*: significans fore, ut, si temere quosvis ad sacra illotis, quod ajunt, manibus, pedibusque irrumpentes consecrarent, ejusdem criminis reus sit, scelerique participet. Integrum itaque & incorruptum a muneribus se fervet hortatur. Quin & ethnicos majore religione in suis detestandis idolorum sacris usos deprehendi. g Aristoteles enim in eo, quem conformabat, optimo Reipublicæ statu, non adolescentibus rerum imperitis & solutis, sed senibus cultum rerum sacrarum demandandum, qui sacris operentur, suadet. Quid non, corrupto hoc seculo, facere par est? Doctos itaque, qui rari admodum in his oris, & natu grandiores, castos denique sacris admovebat, quibus opus esse maxime videretur, ne icutiles ventres alerent bona pauperum; ut hi in lege Domini meditarentur die ac nocte, literis imbuti, hoc agerent, Deoque toti vacarent, precibus, jejniis, seque a vulgo vitiisque abducerent. Profanos itaque jure arcebat a sacris, proculque abesse jubebat; *Odi*, inquit, *profanum vulgus, & arceo. Favete linguis* h. Nimirum nascentis Ecclesiæ, quæ, quo propius aberat ob origine, eo verum acutius cernebat, severitatem continentiamque revocare studebat. Valeant igitur, valeant qui ea calumniauunt quæ summæ sint laudi tribuenda. Nunc reliquas virtutes perstringamus. Quanta in eo Præsule integritas? nihil ut gratiæ, ne in proximis quidem agnatis, unquam tribuerit. Tros Tyriusque illi nullo discrimine habitus. Quanta temperantia in victu cultuque corporis, quanta comitas & morum facilitas, quanta gravitati conjuncta humanitas, quanta in rebus maximis ac difficillimis aggrediendis gerendisque animi excellentia, ad exitumque perducendis constantia, quanta in jure dicendo æquitas, in providendo acumen, in omnibus denique rebus æquabilitas! Idem semper vultus, sive adversa sive secunda inciderent; eadem frons, eademque mens. Nemo domesticorum viginti retro annis iratum vidit. Adeo domitas animi perturbationes habebat. Castitas vero tanta ut feminam nunquam credatur attigisse. Cum libris enim fidei sodalibus assidue colloquens, otium commerciumque matronarum devitabat. Singularis vero illius & prædicatione digna maxime semper existit in pauperes beneficentia ac liberalitas, quos & audiebat ipse libentissime stipem postulantes & queritantes de injuria potentiorum. Quare a congressu suo arceri prohibebat, quod CHRISTI membra esse prædicaret, ejusque personam hic sustinere, se bonorum Ecclesiæ dispensatorem esse duntaxat. *Utinam*, inquit, *satis idoneus reperiar. Res hæc, ut & vita hæc vitalis, non mancipio sed usui tantum datur a principe illo Deo, in quo vivimus, movemur, & sumus. Ei subducenda erit ad assem esse, extremo judicii die, quo omnes nos manifestari ante tribunal illius oportet.* Hi sermones illius quotidiani hæc cogitationes, hic mens defixa, humana omnia, principumque amicitias, quæ donis alitur augeanturque, facile contemnebat. Calices itaque & vasa argentea pignori opponi, libros etiam, quos & optimos & innumeros pecunia sua undique collegerat, & tanquam mutos magistros auro cariiores habebat, alienari jubebat, si in annonæ caritate pecunia deesset alendis pauperibus; quibus hic ager, ut scitis, abundat. Hac vero, quæ vera est, liberalitate, ne singula, quæ sunt innumera, consecrari videar, effectum est ut tam inops a pecunia decesserit Augustinus ut ei, divo Augustino, quem sedulo, ut nomine, sic & re ipsa vitæque exprimebat, vix suppetat sumptus quo efferri honeste queat. Thefaurizabat nimirum in cælo, ubi nec fur, nec tinea damnus opibus adferre possunt. Auctoritate denique, quod tertium caput propositum erat, tanta valuit justitiæque fama, de qua & alterum me civilis Reipublicæ exemplum allaturum promiseram, ut etiam adventus sui nuncio expectationeque prædones agri Tarraconensis omnes terruerit fugarique. Quis enim antea vicus satis tutus ab illorum injuria videbatur? Quis non ager grassantium sicariorum insolentiam formidavit? Quis, quæso, iter faciebat qui non se in latronum fore potestatem timeret? Hic Antonius, ut alter Hercules, monstrorum domitor, Augiæ stabulum perpurgavit, agrum lolio & zizaniis, oram omnem monstris liberavit. Ut enim Sol tenebras radiis suis discutit, sic adventu suo agrum latrocinii infamem pacavit. Alii captivi latrones adducti vincis post terga manibus, alii ultro ejus sese potestati dederunt, pœnas plerique more majorum dederunt. Proh Deum immortalem! Tantane unius hominis, & quidem togati, in studiisque educati, incredibilis virtus, fama que justitiæ & severitatis, tantam tam brevi tempore lucem tranquillitatemque Reipublicæ adferre potuit? Eat nunc Pompejus, qui suam in bellis conficiendis celeritatem summam jactabat, quod intra quinquagesimum diem bellum Piraticum cum Cilicibus prædonibus & grave & periculosum confecerit. Cedat huic Antonio quantum arma togæ & laurea laudi Ciceronis concessit. Noster enim citius agrum hunc latrocinii, furtis, rapinis, stuprisque infestum purgavit, ignominieque nota exemit. Ignoscebat, qui deliquisset prudens, nemini, ne quidem si nobilis, si proximus cognatus is esset; ne & quid ipse tale posthac committeret, & cæteri essent ad injuriam tardiores, a flagitiisque exemplo deterriti abstinere; ratus, quod res est, non posse alios in officio continere eum, qui se ipse non continet ab avaritiæ fordibus & cupiditate; neque severum esse judicem in alios posse qui sibi ipse non imperet, nec animi perturbationes domitas habeat, neque alios in se severos esse judices velit. Erat ad hæc, quando & id ad auctoritatem conciliandam pertinet, summa in eo corporis dignitas, statura procera, egregia corporis, membrorumque habitudo, robusta ad extre-

man

a Paulus
Diaconus in
ejus vita.
b Metaphra-
ses.
c Severus
Sulpicius.
d Paulinus
in ejus vita.
e Augustin.
epist. 148.
ad Valerium.
f Possidius
in ejus vita.
g 1. Timoth.
5. d.
h Aristot.
lib. 7. Politic.
i Horatius
lib. 3. Oda 1.

AElor. 17. f.

Roman. 14.
b. 2. Corint.
5. b.

Ado Treve-
rens. in Mar-
tyrol. 28. Au-
gusti.
Matth. 6. c.

mam ætatem valetudo ac firmitas, incessus gravis, in aspectu gravitas comitati conjuncta, in fermone lepor concinnaque brevitatis. Jocis etiam urbanis interdum & salibus utebatur, sed cum literatis hominibus. Ocelli perexigui, & flava coma; hebetata, ut sit, assiduis lucubrationibus oculorum acies. Vitreis itaque perpetuo usus est. Denique in toto corpore ea dignitas eluxit quam imperio dignam Euripides judicavit. Te, te igitur appello, Antoni, (est enim, ut credimus, in morte sensus) quando est hoc in more positum institutoque majorum, ut qui bene de Republica meriti, vita functi essent, pro funere laudarentur, si cuiquam justus honos Episcopo in morte habitus est, si quæ justa cum lacrymis persoluta sunt, nulli justius, quam tibi, mea quidem sententia, postremum hoc officium deberi videatur. Salve igitur & vale. Difficillimis Reipublicæ temporibus extinctus es, rebusque ereptus humanis, ne ad interitum festinantis patriæ Cæsaraugustæ, intestinis bellis adolescentulorum opera labefactatæ, ruinam videre, & gravissimum, acerbissimumque casum lugere cogereris. Ad cœlestem nimirum patriam festinabas, quam multis ante annis animo præceperas, æternam illam beatitudinem, qua beati ævo sempiterno fruuntur, assiduis votis exoptans, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis venire potuit. Te, te igitur postremum appellabo, antistes optime, iis verbis, quibus M. Varronem tuum, togatorum doctissimum, M. Tullius olim affatus est, & divum Isidorum Braulium patriæ tuæ Episcopus; quos tu singulares viros unus hac ætate repræsentabas. *Tui nos libri in orbe & urbe peregrinantes errantesque tanquam hospites quasi domum deduxerunt, ut possimus aliquando qui & ubi essemus agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sacerdotum munera, tu domesticam publicamque disciplinam, tu sedem regionum & locorum, tu omnium divinatum, humanarumque verum nomina, genera, officia, causas aperuisti; plurimumque doctis hominibus, omninoque Latinis litteris luminis attulisti, & juri cum divino tum civili facem prætulisti.* Et quoniam nemini vestrum, auditores, meus dolor concedit, nunc de me confitebor ingenue. Equidem ita hujus viri morte sum affectus, ut nemo unquam unici filii mortem magis doluerit, quam ego hujus viri ita de me bonisque omnibus meriti ut parentis loco, dum vixero, sim habiturus, Deumque venerans assidue, bene precaturus Manibus tanti viri; cujus ego fermone biennium totum ita cupide fruebar quasi jam divinarem, id quod evenit, illo extincto, unde tanta discerem fore neminem. Maxima enim in illo, ut dixi, cognitio antiquitatis, summa scientia juris antiqui legumque Romanarum & familiarum; multæ in eo, ut Romæ natus videretur, literæ & elegantia sermonis Latini. Ciceronem etiam senex legebat assidue, ut eloquentiæ principem. Juris vero tanta in eo accuratio, ut veterum aliquis, præstantissimorumque prudentum, Paulus, Ulpianus, aut Papinianus ab inferis existisse ac revixisse, vel animam, ex Pithagoræ sententia, recepisse illorum videretur. Quanta porro historiarum, antiquarumque rerum Græciæ & Italiæ explicata cognitio! Jus pontificium & civile ita illustravit, hoc adolescens, senex illud, ut principem illum Jurisconsultorum, nostrique ævi florem delibatum uno ore gentes omnes prædicent. Memoriam proditum Q. Catulum, clarum Romæ oratorem, cum de belli Mithridatici (quod & genere necessarium, & magnitudine periculosum, magna varietate terra marique gestum est) Imperatore deligendo ageretur, quæsiisse ex populo Romano, si in uno Cn. Pompejo omnia ponerent, si quid illi, ut sæpe fit militiæ, humanitus accideret, in quo spem essent habituri, eo ipso die sui de Magno judicii, ac pietatis hunc fructum retulisse, ut uno omnes ore cives in ipso uno spem habituros responderint. Sed nos tanti viri jactura, hoc amisso patrono, hoc parente optimo sublato, quem respiciemus, quem appellabimus? Te, te inquam, Joannes Terefi, qui jam Dertusanus Episcopus designatus cum esses, hacque commodum iter haberes, peropportune accidit, ut Antonio in morte postrema illa officia exhiberes, Ecclesiæque catholice matris nostræ sacramenta illi conferres omnia, quibus juvari morituri, more majorum, solent. Ille vero, ut spero & opto, in beatorum sedibus, ubi summa felicitas est, Dei Opt. Max. aspectu assidue perfruetur; quem quidem nunc tantum videmus in speculo & ænigmate, illic autem facie ad faciem, sicuti est, videbimus. Equidem, ad me quod attinet, si pro immortalibus ejus in me officiis parum cumulate satisfecisse cito videar, (quis enim præstare hoc possit?) quæso a vobis, auditores, obtestorque, ut & ingenii mei tenuitati & brevitati temporis mihi ad me comparandum dati dandam esse veniam putetis, dum & ætatis incremento, & uberiori anni proventu, studiorumque progressu majora a me pietatis officia, mortuo debita, de vita illius sancte, innocenterque acta, scriptisque ad immortalitatem comparatis, longe his copiosiora expectare possitis. DIXI.

Apud Porphyrium & Stobæum.

Πρώτου
μὲν εἶδος
ἀξίον τυ-
ραννίδος.

Isaie 64. b.
1. Corinb.
2. b.

Cic. in Aca-
dem. quæst.
Braul. præ-
fat. Etymol.
Isidori.

Cic. in Mani-
liana.

1. Corinb.
13. d.



D. O. M. S.

ANT. AVGVSTINO DOMO CAESARA VG.
 ROMA E OLIM IN VRBIS ET ORBIS LVCE.
 XII. VIRO STLITIVM IVDICAND.
 EX ALLIFANO ET ILERDENS. EPISC.
 TARRACON. ARCHIEP. IN PAVPERES MVNIFIC.
 O. B. DE ANTIQVIT. ET LITTERIS MER.
 IVRIS CIVIL. ET PONTIFICI INSTAVRAT.
 IN **H**OC AEDIS SACRAE D. THECLAE VIRG. ET MART.
 A SE AMPLIATAE MEMBRO ET AD ARAM.
 CORPORI CHRISTI CONSECRAT.
 IN SPEM RESVRRECT. QVIESCENTI.
 S. P. Q. TARRAC. P. H. C. ET COLLEG. CANONIC.
 PARENTI OPT. LIB. MER.
 PON. CVR.

VIXIT. ANN. LXX. M. III. D. III. OBIT DAMNO PVBLIC.
 PRID. KAL. IVNIAS ∞. I. LXXXVI.

Mortalis cum sis, mortuo bene precare.

JUDICIA
DOCTISSIMORUM VIRORUM
DE ANTONIO AUGUSTINO
ARCHIEPISCOPO TARRACONENSI.

HADRIANUS TURNEBUS *lib. xxxiii. Advers. cap. xvii.*

Antonius Augustinus vir & eruditissimus, & optime de literis elegantioribus meritis, Varronis vero vindex, assertor, patronusque unicus habendus; imo vero ejus potius Æsculapius existimandus.

JOSEPHUS SCALIGER JUL. CÆS. F. *præfat. in Varronem.*

Non ignoro quantus vir sit Augustinus, quem sane eruditissimum ex suis scriptis expertus sum: & scio longe felicius eum potuisse tractare hoc negotium, si voluisset.

ANDREAS PATRICIUS POLONUS & CAROLUS SIGONIUS *in Frag. Ciceronis Orat. in Toga candida.*

Auctoritas sane eruditissimi Antonii Augustini Ilerdæ Episcopi penitus eam opinionem eximit: qui, ut in posterioribus suis scholiis adnotavit Sigonius, pro *avunculus* legit acutissima nimis conjectura, *a te Baculus.*

HIERONYMUS OSSORIUS LUSITANUS *de Gloria Lib. I.*

„ Antonius Augustinus Cæsaraugustanus, quem propter mores suavissimos, & multiplicem „ eruditionem valde amabam.

BASILIUS ZANCHUS CANONICUS ORDINIS LATERANENSIS *Notationum in Biblia Ant. „ Augustino inscriptarum Proœmio.*

„ Ea potissimum de causa tibi inscripsi, ut quantum in me est, summam observantiam erga „ Te meam non his solum, quæ nunc sunt, sed futuris omnibus, ad quos mea scripta perventura „ sunt, perpetuo declarem; ad Te, inquam, mea mitto, Virum excellenti virtute, & litteratura „ cumulate, atque insigniter ornatum; quæ quidem ambæ inter se immortalis quodam, atque in- „ dissolubili vinculo copulatæ, Te ad istum clarissimi muneris gradum, quo tot annos in Pontifi- „ cio Palatio Auditor summa cum omnium laudatione, atque approbatione perfungeris, evexerunt. „ Cui Tu tantum splendoris attulisti, quantum honestissimæ familiæ Tuæ, quæ per se semper præ- „ clara fuit, quantum illustri patriæ Hispaniæ, quantum huic omnium terrarum primariæ ac flo- „ rentissimæ Urbi Romæ, quæ Te propemodum alumno gloriari potest, laudis, atque ornamentum „ attulisti. *Et post:* Præsertim cum fax ista Tuæ virtutis, ac gloriæ sese jam altius exerat, atque, „ ut jam videre videmur, lucidissimum splendorem longe, lateque diffundat. Neque vero mihi ve- „ rendum est, ut in Te laudando assentationis suspicionem, notamve incurram. Etenim quanta in Te „ vitæ integritas, omniumque bonorum morum sanctissima disciplina? Quanta præcipue benignitas, „ atque beneficentia elucet, quæ in causis, controversiisque audiendis, examinandis, juste, sapienterque „ disceptandis ac dijudicandis patientia, diligentia, incorrupta atque inviolata Justitia! Quæ vero ho- „ minem bene litteratum, quique sensa sua cum aliis non sine laude communicare possit, efficiunt, „ ea summa in Te, studiorum assiduitas quotidiana, ingenii celeritas, atque suavitas; litterarum mul- „ tæ, eæque reconditæ, atque interiores: & quod caput est, judicii acrimonia in scriptoribus eli- „ gendis, æstimandis, intelligendis, ex diversorum locorum, atque exemplarium collatione casti- „ gendis: tum quantum unicuique in unaquaque subjecta materia tribuendum sit: quis infimo, „ quis medio, quis supremo ordine collocandus; quis perpetuo bonus Latinitatis Auctor, quis in „ sententiarum acumine ac gravitate rerum plurimarum notitia, atque intelligentia, verborum ele- „ ctione, ac numerosa collocatione magnificandus sit. Nam quid ego de tuis scriptis ac sempiter- „ nis monumentis commemorem? Quæ inventionis, ac totius dispositionis accurata subtilitas, quæ „ sententiarum granditas, atque frequentia? Quam multiplici varietate rerum cognitione dignif- „ simarum distincta, elucubrata, referta oratio? Qui verborum nitor, atque ornatus, qui sonus nu- „ merose, atque apposite cadens? Ut denique bene-Latine, ornate, distincte, dillicide, scienter, „ atque accommodate a Te omnia explicantur? Ut jure optimo in Te illo elogio uti possi- „ mus: ANTONIUS AUGUSTINUS *Jurisperitorum eloquentissimus, & eloquentium Jurispe- „ ritisissimus.*

PETRUS VICTORIUS *Variar. Lect. Lib. 38. cap. 9.*

„ Huic gravi malo remedium, quod potuit, adhibuit, doctissimus, & optimus vir, Ant. Au-
 „ gustinus. Est ille quidem multo gravioribus literis instructus, & iis demum omnibus, quæ conve-
 „ niunt personæ Episcopi, quam sustinet: sed tamen has quoque humaniores literas enixe adjuvit,
 „ ut notum omnibus studiosis ipsarum.

STEPHANUS PIGHIUS CAMPENSIS *in Annotat. ad cap. 7. Lib. 2. Val. Maximi.*

„ Vir nostro sæculo summus, Ant. Augustinus.

ONUPHRIUS PANVINIUS VERONENSIS *in Fastorum Dedicatione Ant. Augustino inscripta.*

„ Quem Librum in tui nomine exire idcirco volui, quod cui, justius eum dicarem, neminem
 „ haberem. Quum quod de omnibus studiosis, & de me præsertim benemeritis sis, tum etiam quod
 „ cum hoc facio, me non tibi aliquid ex meis laboribus tradere, sed tua tibi reddere existimo; tu
 „ enim me in hac parte inter cæteros plurimum adjuvisti. Quid enim hic scriptum est, quod vel
 „ non tecum contulerim, vel non abs te didicerim? Jure igitur Liber hic primus tuus esse debet.
 „ Quem tanquam rem tuam, abs te profectam, & ad auctorem, & ad dominum suum reverten-
 „ tem, in optimam partem accipias rogo.

IDEM PANVINIUS *in Civitate Romana, seu, De Reip. Romanæ Commentariis, in extremo.*

„ Ant. Augustini Episc. tunc Allifani imprimis opera, & consilio cum in toto Opere tum
 „ præcipue in secundo & tertio Libro, ubi de *Tribubus, Coloniis, Municipiis*, & eorundem jure
 „ disputavi, multum adjutus sum. Nihil enim pene de his rebus scripsi, quod non cum eo contu-
 „ lerim: qui incredibili humanitate de his omnibus rebus, de quibus dubitabam, & acutissime re-
 „ spondit, & gravissime disputavit: ita ut illi uni non minus, quam mihi hunc laborem acceptum
 „ referre Antiquitatis studiosi debeant.

ANT. CONTIUS IN ACADEMIA BITURIGUM ANTECESSOR, *Disput. Lib. 1. cap. 6.*

„ Cui (*Ant. Augustino*) & Alciatum & omnes nostri sæculi Jurisconsultos (*Florebant autem*
 „ *Duarenus, Cujacius, Hotomanus, Donellus, alique viri Jurisperitissimi*) longissimo spatio post-
 „ pono, & quasi in ima cera substituo.

HIERONYMUS ZURITA AD ANT. AUGUSTINUM *in Dedicatione præfixa Gaufrido Malaterræ.*

„ Quantum prisæ vetustati ad magnas res conficiendas, justissimis de causis in omni artium,
 „ doctrinarumque studio semper detuleris, optime Antistes, summo hujus sæculi beneficio, perpe-
 „ tuæ tuæ lucubrationes, sine ulla intermissione testantur. Hanc te unam venerari, & colere, su-
 „ praque oblectationem omnem, & humanarum curarum quietem suspicere novimus: quam sem-
 „ per admirari, & in omnium prospectum, cum maximas legationes reipublicæ causa obieris, pro-
 „ ducere merito jure concupivisti: cum ejus affluentibus opibus, atque ornamentis locupletatus, ad
 „ ea, quæ in tantis horum temporum calamitatibus, quibus tot errores, periculaque jam adesse,
 „ atque imminere videntur, universæ Christianæ reipublicæ maxime conducunt, summe profeceris:
 „ & adversus impiam hæreticorum contumaciam, qui Ecclesiam Sanctam Catholicam, quam divina
 „ providentia afflictam semper excipit, corruere nunquam sinit, perfidia violare, & reliquas pio-
 „ rum gentes sacrilego scelere contaminare nituntur, in eo officio, quod præcipue tuum fuit, eni-
 „ xe ad Dei gloriam provideris, atque consulueris. Illud certe majorum vigilarum munus, quod
 „ ad summam virorum doctrina præstantium existimationem dimanavit, a te gravissimi, & litte-
 „ ratissimi viri requirunt, atque efflagitant, quo innumerabilia Sanctorum Patrum, & Summorum
 „ Pontificum scita, atque decreta, & sacras Synodos oblitteratas in tot volumina retulisti, ut sin-
 „ gulari tua assiduitate, & vigilantia, cum te totum ad sacrarum Constitutionum seriem, & veri-
 „ tatem inlustrandam traduxeris, quam maximus Canonicis Sanctionibus, atque decretis cumulus
 „ accesserit. In eo præterea te vehementer omnes admirantur: quod in gravissima, & perpetua
 „ sacrarum Sanctionum commentatione doctrinarum omnium studia promovere, & assidua ac vehe-
 „ menti occupatione omnem conatum in contemplatione rerum, & liberalium disciplinarum scien-
 „ tia collocare, & non ludis, & feriis, quod studiosissimi viri solent, aut, quod ajunt, subsecivis ho-
 „ ris, sed omne id tempus, quo vitam vivimus, & maxime expeti, & sustentari consuevit, & com-
 „ muni spiritu fruimur, remissioris litteraturæ studiis, tamquam allevamento quodam, & laxa-
 „ mento tribuere nunquam intermittis. Hinc illæ divitiæ, atque ornamenta ingenii, quorum fru-
 „ ctus adeo uberes, & fecundos es consecutus, ut, cum ad hæc nostra studia, tamquam in levio-
 „ rem ludum & popularem lætitiâ ad animi remissionem descenderis, majores omnis doctrinæ thesau-
 „ ros explices, ac propalam colles, quam cæteri, qui omne otium, ac tempus in communium
 „ litterarum, aut politoris humanitatis meditationibus contriverunt. Sed quoniam neque instituti,
 „ aut judicii mei erat, tuas laudes, quæ gravissimorum virorum ingenii omnium mortalium fa-
 „ ma celebrantur, perstringere: tamen hanc me occasionem, te gravissimo vetustatis vindice, cu-
 „ stode, atque antistite non diffitebor arripuisse. *Et paulo inferius.* Quam ob rem cum tibi in uni-
 „ ver-

ver-

„ versa rerum sacrarum functione, & Pontificalis auctoritatis, & reliquæ jurisdictionis absolvendæ
 „ provincia, atque in tanto officio, tantoque munere incredibilis cura nunquam defuerit, quin
 „ doctrinarum studiosis undique profis: magna spe ducor, cum tua summa gravitas cum singulari
 „ comitate conjuncta sit, & qua es lenitate munitus, minimum hoc munusculum, ac si insignitæ
 „ cujusdam notæ esset, te non aspernaturum, aut refutaturum: si cujusvis vel tenuissimæ utilita-
 „ tis, & emolumenti fructum præbere, & vetustarum rerum memoriam, quas diligentissimi anti-
 „ quitatis investigatores omni inquisitione veri indagare nituntur, possit patefacere.

JO. METELLUS SEQUANUS J. C. *in fine Epistolæ*, qua Ant. Augustino dedicavit *Hieron.*
Oforii de Rebus Emmanuelis Regis Lusitanicæ Libros XII.

„ Ego quidem, Augustine, a nonnullis gravibus viris, qui istinc ad nos redeunt, pro certo
 „ intelligo, & te, & Oforium in Episcopi munus, atque dignitatem sic incumbere, ut vos com-
 „ muni totius populi voce præclaram egregiæ pietatis laudem ferre, valde prædicent. Qui nuntius
 „ quanta me lætitia perfuderit, ex mea in te observantia judicabis. Sic autem referunt: Te apud
 „ tuos Ilerdenses, Oforium apud suos Silvenses, sacrarum litterarum lectioni totum esse dedi-
 „ tum. Vos itaque sanctis ad Deum orationibus fundendis, ac precibus defixos, diligenter item
 „ populum de sacris rebus docere, frequentibus ac piis concionibus habitis. Postremo vos de plu-
 „ rimis multis Christianæ Charitatis officiis perquam benemereri. Quo nomine vobis supra modum
 „ gratulor, mihi que gaudeo, ac lætor. Nam nemo est qui nesciat, officium omne Episcopi in scri-
 „ pturæ sacræ lectione, oratione, concionibus, exercendaque in universos charitate Christiana plane
 „ consistere, Quidquid tibi præterea, Augustine, temporis & otii conceditur; id totum in antiqui-
 „ tatis, veteribus illis tuis studiis, ajunt, consumis; & ex instructissima tua Bibliotheca præstan-
 „ tissimorum auctorum Libros, inter quos & a te prudenter, eleganter, ornate, doctæque scripti,
 „ merito referuntur; ad communem omnium studiorum utilitatem, non solum multis suppeditas;
 „ verum etiam tuis quoque sumptibus nonnunquam edi curas.

JAC. CUJACIUS J. C. TOLOSANUS *in Notatis ad Libros Animadversionum* JO. ROBERTI. *cap.*
ult. sub persona ANT. MERCATORIS.

„ Reprehendis dominum (*Jac. Cujacium*) qui hoc dixit, simul atque Ant. August. virum
 „ nunquam laudatum satis.

PAULUS MANUTIUS *Epist. Lib. 2. Epist. 7.*

„ Ad te confugio, universæ arcam antiquitatis, arcam tamen ejusmodi, quæ pateat amicis
 „ tuis, hoc est, bonis viris. Quo me in numero quia esse vis, triumpho. Alexander autem tuus
 „ facile nostrum artificio vincet. Tu enim excellis: at nos quid sumus? Aliquid fortasse, si cum
 „ aliis; nihil certe, si tecum, Augustine, comparemur.

IDEM MANUTIUS *Epistola sequenti.*

„ Ad hunc Librum (*de Legibus Romanis*) quantum ex antiquis lapidibus accedere possit or-
 „ namenti, præclare intelligo. Porro, tu is es, qui hoc in usu, atque hoc in genere scientiæ, tum
 „ quia Romæ vivis, tum quod in studiis totus, pene solus excellas. Quamquam hoc in tuis laudi-
 „ bus minimum est: alia sunt in te, quæ ego non desino prædicare, haud sane paullo præstantio-
 „ ra. *Et paulo post*: Si possessio litterarum divitiæ sunt; quod homines eleganti judicio, sanaque
 „ præditi mente opinantur: nemo, inquam, optime Augustine, te ditior est.

HIERON. BLANCAS CÆSARAUGUSTANUS *in fine Præfationis Commentariorum Aragonensium*
Rerum ad D. GARSIAM LOAYSAM GIRONIUM.

„ Extremum illud erit, te ut orem, & obsecrem, quoniam quidem doctissimus ille Antonius
 „ Augustinus, Tarraconensis Archiepiscopus, gravissimus, & sanctissimus vir, tum universæ Reip.
 „ tum mihi quidem, ob præclara multa ipsius in me officia, acerbissimo tempore ereptus est: me
 „ in eum, in quo ipse vivens habuit; & ad tuum in me amorem, & meam in te observantiam,
 „ locum ut subdas.

IDEM BLANCAS *in Commentariis pag. 513.*

„ Fuitque [*Ant. Augustinus Guil. F.*] Illustrissimi, ac Reverentissimi Ant. Augustini, Tar-
 „ raconensis Archiepiscopi, pater: nam, ut cæteri ex patribus, sic iste, qui tantum illud lumen pro-
 „ genuit, ex filio est nominandus. *Et pag. seq.* Habet (*Ant. Augustinus Guil. F.*) aliud majus,
 „ & clarius monumentum; quod filium ad tantam laudem natum suscepisset: illum ipsum nempe
 „ Archiepiscopum Tarraconensem: cujus nos honore ornari, dignitateque augeri non solum omnes
 „ ejus studiosi existimamus, sed & illud idem tota hæc nostra regio, ipsius natalis sedes, atque
 „ Hispania cuncta arbitratur. Cui, quod mirari satis vix queo, Romanam antiquitatem tractanti
 „ Italia ipsa cedit: cujus admirabilem quandam, incredibilem, ac pene divinam in antiquis legibus
 „ interpretandis scientiam omnium mortalium fama percelebrat: cui incorrupto totius Orbis judi-
 „ cio, ipsorumque doctissimorum virorum inter ipsos consensu, tributum est ita, ut cum immen-
 „ Tom. I. d. sam

„ sam illius aciem ingenii taciti omnes admirentur (nam quis hoc non facit?) eum in omnibus scri-
 „ ptis, omnique litterarum varietate non modo sibi ipsis, ac iis, qui hodie vivunt, sed & iis, qui
 „ multis ante sæculis fuerunt, libenter anteponant: cui denique nullus honos tribui, non debitus,
 „ potest. Atque hæc omnia, tametsi summa sunt; longe nimis vitæ suæ integritas vicit: jam ut tan-
 „ to Pastore Tarraconensem Ecclesiam potuisse frui, invidendum sit; jactura vero, quæ illius in-
 „ teritu universæ Reipublicæ facta est, vix consolabilis videatur. Mihi vero in gravi isto casu do-
 „ lendum magis, quod eum amiserim, ad quem, tamquam ad Mercaturam bonarum artium, sæ-
 „ pius me fuisse profectum præmefero, neque tamen inanem rediisse, cum ab eo tum plurimis in
 „ rebus doctior; tum ad pervulgandum hoc opus audacior factus sim. Sed hujusmodi meritorum
 „ erga me gratissimam, quamdiu vixero, memoriam conservabo. Verum necesse non est, ut sum-
 „ mum hunc virum, vivorum, & præsentium adtestante judicio, commendemus. Quamobrem præ-
 „ stat me tacere: ne in eo laudando sermo noster ipsius Oratoriæ ubertatis siti exarescat.

DIDACUS COVARRUVIAS & LEIVA *Præcticar. Quæstion. Lib. Singul. Cap. 18.*

„ Quem titulum (*Modestini de excusationibus*) eleganter e Græco in Latinum transtulit An-
 „ tonius Augustinus, vir omnium consensu insignis eruditionis & diligentia.

JANUS GRUTERUS in *Præfatione Inscriptionum* Antonium Augustinum, cum ejus obiter
 mentionem faceret, ita laudavit.

„ Opponit unum quem prioribus
 „ Ætas recentis temporis.

FRANC. HOTOMANUS *Anti-Tribon. chap. 15.*

„ Joint qu' une bonne partie de ces passages ont esté remarquez par plusieurs hommes sçavans
 „ de nostre temps des quels le plus estimé est Antoine Augustin Espagnol.

JACOB. AUGUSTUS THUANUS in *Historia sui temporis ad annum 1586.*

„ Antonius Augustinus magnum Hispaniæ lumen, qui poltrioris literaturæ, ac Antiquitatis ra-
 „ ra cognitione sibi in Italia comparata, & Juris Romani, ac postremo Pontificij exquisita scien-
 „ tia meruit, ut Romæ inter XII. viros litium judicandarum a Pontifice cooptaretur. Multa, in
 „ Italia dum fuit, & postea in Patria ad æternam memoriam victura monumenta edidit, sive eden-
 „ da Fulvio Ursino amico suo, & in eodem literarum genere, Jurisprudentiam excipio, versanti
 „ commisit.

JANUS A COSTA *ad cap. Vigilanti 3. extra de præscript.*

„ Non placent quoque Antonio Augustino Archiepiscopo Tarraconensi, viro erudito, & de
 „ utroque Jure benemerito, verba, quibus &c.

AUBERTUS MIRÆUS BRUXELLENSIS CANONICUS & BIBLIOTHECARIUS ANTUERPIENSIS
 in *Bibliotheca Ecclesiastica.*

„ Juris Civilis & Pontificij Instaurator.

CARD. CÆSAR BARONIUS in *Annalibus Ecclesiasticis Tom. XI. Anno 1097.*

„ Dedicavit Hieron. Zurita Gaufredi Monachi opus Antonio Augustino tunc Archiepiscopo
 „ Tarraconensi, eruditione legum sacrarum suæ ætatis in Hispania facile Principi.

ANTONIUS FABER J. C. SEBUSIANUS in supremo SABAUDIÆ SENATU PRÆSES PRIMARIUS in *Con-
 jectur. Dedicat. ad ampliff. & clariff. virum RENATUM LIABORDUM CHATELARDUM.*

„ Fatetur Hispania, quæ duorum Antoniorum, Augustini, & Goveani, gloriam toto orbe ce-
 „ leberrimam prisorum laudibus anteponit.

D. JOANNES SUAREZ de MENDOZA J. C. HISPANUS in SALAMANTICENSI ACADEMIA PUBLICI
 JURIS CÆSARUM PROFESSOR in *Commentariis ad L. Aquilliam, cap. 1. in fine.*

„ Noster Anton. Augustinus summæ auctoritatis vir, & de universa antiquitate optime meritus.

JACOBUS MENOCHUS *Recuperandæ Possessionis Remedio XV. num. 5590.*

„ Antonius Augustinus, Juris nostri verus alter instaurator: quandoquidem sua illa assidua,
 „ & indefessa diligentia, plura restituit vetustate collapsa, quæ maximum alioqui nostris negotium
 „ faciebant.

ARTH. DUCK *de Auctor. Juris Civ. Lib. 2. cap. 6. sect. 31.*

„ Antonius Augustinus, vir usque ad miraculum doctus; a quo Pandectæ Florentinæ, Gra-
 „ tianus, & utrumque Jus præcipuam lucem acceperunt.

PAULUS BUSIUS J. C. ZUOLLANUS in *Prefatione ad Commentaria in universas Pandectas.*

„ Sed qui gratiam non tantum iis debeo, at hujus sæculi præstantissimis Jureconsultis, parum
 „ honeste fecerim, si eos præteream, e quibus ipse, si quicquam in Jure sum adeptus, profeci plu-
 „ rimum. Inter quos, si primum nuncupaturus sim Principem, ac de Jurisprudencia meritissimum,
 „ non video quis Antonio Augustino, Archiepiscopo Tarraconensi sit conferendus. Non minimus
 „ inter Jurisprudenciæ Reformatores apud Germanos Oldendorpius, Alciatus inter Italos, complu-
 „ res inter Gallos, & Gallis, ac cæteris etiam omnibus facile præstantior Cujacius; post eum Dua-
 „ renus, Donellus, Hotomannus, Connanus; sed Antonius Augustinus, libere scribam (quia sine
 „ affectu).... nulli veterum est virtute secundus. Non quia multitudine scriptorum excellat, sed
 „ quia præstantia, ac utilitate.

D. JOSEPHUS FERNANDEZ DE RETES J. C. HENTIVERIENSIS, VESPERTINUS JURIS CIVILIS ANTE-
 CESSOR IN SALMANTICENSI ACADEMIA, *Commentario ad Tit. de Interd. & Releg.*
Excursu. 2.

„ Vir maximus, & ad miraculum eruditus Antonius Augustinus.

STEPHANUS BALUZIUS TUTELENSIS in *Prefat. ad Regim. De Discip. Eccles. Sect. 3.*

„ Vir illustrissimus & excellentissimus in omni genere laudis.

D. NICOLAUS ANTONIUS HISPALENSIS J. C. ORDINIS S. JACOBI EQUES, PATRIÆ ECCLESIÆ
 CANONICUS, in *Bibliotheca Hispana.*

„ Vir quem nulla digne celebrare unquam poterit eloquentiæ facultas.

LAURENTIUS PIGNORIUS PATAVINUS *Commentario de Servis, pag. 339.*

„ P. Ciacconius, & Ant. Augustinus Hispanorum doctissimi.

ÆGIDIUS MENAGIUS in *Juris Civilis Amœnitatibus cap. 20.*

„ Ant. Augustinus, vir singulari scientia, summo ingenio & summo judicio præditus.

ZEGERUS BERNARDUS VAN ESPEN J. V. DOCTOR SS. CANONUM PROFESSOR IN ACADEMIA
 LOVANIENSI in *Tractatu Historico-Canonico, parte 4. cap. 1.*

„ Vir, summæ eruditionis Antonius Augustinus.

GUILIELMUS BEST J. C. in *Ratione emendandi leges cap. 1. sect. 7.*

„ Non est illud passa eruditio, atque sagacitas ingeniosissimi Ant. Augustini.

IDEM BEST *Cap. VIII.*

„ Principes illorum [*Interpretum Juris*] Anton. Augustinus Libro 3. Emend. Cap. 6. Cujacius
 „ Libro 8. Observ. cap. 15.

J. VINCENTIUS GRAVINA. *De Ortu & Progressu Juris Civilis Libro, cap. 174.*

„ Hispania vetus Romanæ fortunæ socia, sicuti civium virtute, ac fide militiam Romanam
 „ diu munivit: ita & recentioribus temporibus eorumdem fulsit leges per Antonium Augustinum:
 „ qui suis Emendationum Libris a Civili, & Pontificio Jure labes absterfit, commentariisque re-
 „ rum antiquarum Romæ veteris imaginem posteris aperuit. *Et paulo post.* Conferens vero se ad
 „ Tridentinam Synodum, nihil hortando, & disputando prætermisit, quo dilapsam Ecclesiæ disci-
 „ plinam ad veterum severitatem revocaret. Tandem ad Tarraconensem translatus Ecclesiam, ingenti
 „ fama, imparique meritis præmio migravit e vita. Siquidem viro egregio, & de divinis literis, ac
 „ Sacra Republica optime merito purpura defuit.

JOANNES VANDE WATER. *Obs. Jur. Rom. Lib. 2. cap. 18.*

„ Elegantis doctrinæ vir, Ant. Augustinus.

HENRICUS BRENCMANNUS J. C. & ACADEMICUS FLORENTINUS, in *Histor. Pandectar.*
Lib. 1. cap. 1.

„ Utar autem potissimum testimonio & judicio Ant. Augustini, de quo magnifice, vereque Con-
 „ tius: *Vir, cui & Alciatum & omnes nostri seculi Jurisconsultos longissimo spatio postpono, &*
 „ *quasi in ima cera substituo.* (a) Vir præterea, ad cujus judicium plerique provocant, utpote quo
 „ *nemo fere accuratius Florentina Digesta inspexit, nemo illis plus detulit.* [b]

IDEM

(a) *Ant. Contius Disputat. Jur. Civ. Lib. 1. cap. 6.*

(b) *Bern. Herm. Reinold. ad Leg. 23. de Reg. Jur.*

IDEM BRENCMANNUS, *Lib. 1. cap. 11.*

„ Vir illustrissimus, & undequaque doctissimus.

IDEM BRENCMANNUS, *Lib. 3. cap. 2.*

„ Ego sane mihi gratulor, quod, re studiose perpensa, eam sententiam amplexus sum, quæ
„ fuit Antonii Augustini, integerrimi & sapientissimi hominis.

IDEM BRENCMANNUS, *Lib. 4. cap. 1.*

„ Quantum ab hoc testimonio distat superius Augustini, optimi, candidissimique harum rerum
„ æstimatoris!

IDEM BRENCMANNUS, *Lib. 4. cap. 4.*

„ Hujus sublime ingenium, solidum judicium, raram omnis antiquitatis, exquisitamque Juris
„ Romani & Pontificii cognitionem omnes celebrant, colunt, venerantur. Merentur id tot elabo-
„ ratissima in quovis eruditionis genere, Græcæ, Latinae, ut & in utroque Jure ad æternam memoriam
„ victura monumenta, tam edita, quam edenda. Neque solum doctissimus dicitur Victorio, sed &
„ optimus vir. (a) Nemo unquam toto vitæ suæ regimine majorum integritatem, constantiam, ani-
„ mique generositatem ostendit. Cum exemplari castitate ac temperantia vivebat, tantaque liberali-
„ tate bona pauperibus distribuebat, ut post obitum in ejus arca pecuniæ non fuerint ad ejus sepul-
„ turam congruentem ejusdem conditioni. „ Sic Antonius Teiffier, postquam præmiserat, in Con-
„ cilio Tridentino, cui interfuit, totis viribus incubuisse Ecclesiasticorum Reformationi. (b)

IDEM BRENCMANNUS, *Ibidem.*

„ Ingenue profecto, ac permodeste. Nempe sic omnia summi hujus viri spirant moderationem,
„ candorem animi, humanitatem, ac benevolentiam. Quam prudens & circumspectus circa emen-
„ dationes!

IDEM BRENCMANNUS, *Lib. 4. cap. ult.*

„ Augustini verba faciam. Utinam & judicium & doctrina tanti viri mea facere potuissem.

GERARDUS ERNESTUS DE FRANCHENAU, EQVES DANIC. in *Bibliotheca Hispanica
Historico-Genealogico-Heraldica.*

„ In Tridentino etiam Concilio consiliis & auctoritate pollens, Theologus æque ac Jurecon-
„ sultus incomparabilis.

EZECHIEL SPANHEMIUS de usu & præstantia nummismatum in præfatione editionis secundæ.

Verfantur quidem in omnium manibus soli ferme, qui hætenus studiosos antiquitatis his my-
steriis initiant, Antonii Augustini Dialogi, viri, si quisquam alius sua ætate, Romanæ & antiqui-
tatis & jurisprudentiæ studiis excolti egregie, & perpoliti, judiciis autem, quod pluris adhuc facio,
exacti valde, ac limati.

IDEM *Dissert. prima pag. 25. & 26.*

Dignitate quidem inferiorem eadem dedit Hispania, sed quem religio foret præterire hoc loco,
Antonium Augustinum Tarraconensem Archiepiscopum, quo nemo adhuc forte felicius hanc or-
navit provinciam, aut lucem illi, ac dignitatem suam luculentius adseruit.

JOH. DALÆUS de Pseudepigraphis Apostolicis, *Lib. 3. cap. 3. pag. 454.*

Denique idem quoque agnovit ac docuit, Celeberrimus, ac Doctissimus Archiepiscopus Ant.
Augustinus, dum scribit, Mercatorem (*Isidorum*) probare hos canones, quos Isidorus rejecerat. *vid.*
pag. 101. hujus editionis.

JO. AUGUSTUS BACHIVS in *Hist. Jurispr. Rom. Lib. 4. cap. 3. §. 10.*

Ex Alciati autem disciplina prodiit eximius ille, & in omni litterarum genere eruditissimus
Antonius Augustinus, cujus in Romanam juris scientiam, ipsumque jus Canonicum egregia ex-
tant merita.

(a) *Petr. Victor. Variar. Lect. Lib. 38. cap. 9.*

(b) *Ant. Teiffier Elog. Vir. erud.*

ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRAGONENSIS

DE LEGIBUS, ET SENATUSCONSULTIS LIBER.

Cum Notis Fulvii Ursini.

*Adjunctis Legum antiquarum & Senatus-
consultorum fragmentis.*

ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRAGONENSIS

DE LEGIBUS ET SENATUSCONSULTIS LIBER

CUM NOTIS EULVII URSINI

ADJUNCTIS LEGUM ABRIPANENSIS ET SENATUS
CONSULTORUM FRAGMENTIS.

ANTONIUS AUGUSTINUS

FULVIO URSINO.



Roximis tuis litteris intellexi esse Romæ, qui cupiant in vulgus edi, quas amico nostro Pyrrho Taro J. C. legendas isthic dederam, nostras de Legibus Romanis, & Senatusconsultis lucubrationes: eosdemque ais magnopere desiderare, ut, si quid illis addendum, vel tollendum putarem, id ego tibi significarem: aut, si quod aliud accuratius scriptum exemplar haberem, id ad te mitterem. Ego vero etsi hoc tempore nihil minus, quam de ista editione cogitabam, urgentibus aliis, quæ sunt hujus nostri muneris propria magis ac necessaria, tamen hoc quidquid est scripti ad te mitto, ut id tu, si videbitur, vel contineas domi, vel illi additum alteri libello edas. Id certe opus olim a me cœptum, deinde propter varias occupationes neglectum plane fuit. Nam illud Pyrrhi nostri exemplar, Bononiæ cum essem, scripsi: hoc alterum, quod nunc mitto, post octo, aut novem annos Romæ inchoaveram, non illud Smyrnæ exemplum sequutus, nonum prematur in annum, sed manu de tabula, ut ajunt, sublata, non extremam ei manum admovi. Ejusdem argumenti multos conatus vidimus, in manibusque sunt populi, qui partim nimis jejune atque tenuiter de his rebus agunt, partim, quod juris civilis est peculiare ac proprium, non attingunt. An vero hæc nostra cum illis sint conferenda, aut inter illa legi mereantur, tuum erit judicium, quod ego facio, ut debeo, plurimi. Vale.

FULVIUS URSINUS

Lectori.



Nter omnes, qui Romanas litteras profitentur, satis constat, nullum extare monumentum antiquitatis illustrius Legum tractatione, quibus domina gentium Resp. sapienter olim, ac laudabiliter instituta fuit. Omittam scriptorum testimonia, quæ de aliis Romanorum legibus circumferuntur, & Crassæ tantum de duodecim Tabulis proferam iudicium. Unus mehercule (inquit ille) duodecim Tabularum libellus, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate bibliothecas omnium philosophorum superavit. Utinam vero tam præclarum atque excellens bonum aut non eripuisset nobis injuria temporum, aut non dissipasset hominum incuria. In quod quidem incommodum quando culpa vel hac vel illa incidimus, multum sane debemus doctissimis quibusdam viris tum ex nostris, tum ex Transalpinis, qui vetustatis reliquias hujusmodi variis locis dispersas summa cum diligentia partim in unum quasi corpus collegerunt, partim selectiores quasdam ex iis pristino nitore restituerunt. In quo quidem, etsi ad communem litterarum causam tantum omnes contulerint, quantum ex peti par fuit ab hominibus excellentis ingenii, summaque doctrina excultis, videtur tamen Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis amplius quiddam & perfectius aliis in ea re præstare potuisse: qui præter multiplicem omnium pene disciplinarum cognitionem, exquisitamque juris civilis, in quo fere solus excellit, peritiam Romæ silitibus judicandis summa cum laude xii. vir diu vivendo, eam sibi universæ Romanæ antiquitatis supellectilem comparavit, ut ex præstanti talium rerum intelligentia plurimum ornamenti ad Legum Romanarum tractationem afferre potuerit. Hoc igitur usu, atque hoc genere scientiæ adjutus, cum præclarum hunc de Legibus & Senatusconsultis commentarium Tarracone superioribus mensibus ad me misisset, ut ego illum, si mihi videretur, cum eruditis quibusdam viris, qui sæpius jam eruditionem ejus scripti flagitarent, communicarem, ita pro mea in res Romanas propensione, & erga clarissimum virum observantia sum ejus libri lectione delectatus, ut tantam studiosis hominibus doctrinam, tantamque utilitatem diutius deberi non sim passus. Itaque feci perquam libenter, ut non solum Leges, & Senatusconsulta a viro præstantissimo collecta, & restituta edenda curarem, sed ut bene de litteris, quatenus ipse possem, mererer, tabulas etiam omnes tum æneas, tum lapideas adungerem, in quibus Leges aliquæ, aut Senatusconsulta incisa essent, quod ex hac societate nonnihil commendationis ad eum librum accessurum putarem. Hoc etiam amplius: adductus sum non laudis aliqua cupiditate, quam certe non specto, sed publico studiosorum commodo, ut notas etiam quasdam adiicerem, quas dum liber Augustinianus ederetur, excerpseram ex iis, quæ in id genus antiquitatis erant a nobis uberius jam notata. Ex quibus, maxime vero ex iis, quæ sunt ad Leges xii. Tabularum, & verborum prisca vetustas cognoscitur, & illis

tem-

temporibus qui usus Linguae Latinae, quodve scribendi loquendique genus vigerit, aliqua ex parte intelligi potest. Nam antiquissimos Romanos a Numa Rege ad Duilium Consulem, cui ob primam de Pœnis victoriam navalem, columna rostrata in Foro cum inscriptione, quae hodie extrat in Capitolio, priscis illis composita verbis, posita fuit, constat ita locutos fuisse, vix ut intelligerentur ab iis, qui postea sunt sequuti, adeo scilicet perpolita, vel potius immutata loquendi ratione, ut Polybius gravis in primis auctor, qui cum Africano superiore vixit, restetur, se, quo tempore historiam Romanam contexuit, vix unum aut alterum Romæ invenire potuisse, qui quantumvis antiquitatis curiosus, fœdera quaedam inter Romanos, & Carthaginienses vetustissimis illis concepta verbis intelligeret, ac sibi tunc eam rem scribenti interpretaretur. Et nisi me fallit memoria, videor mihi apud Quintilianum quodam loco legisse, carmina Saliorum, quae dicebantur ab ipso Numa composita, novissimis Reip. temporibus vix a suis quidem sacerdotibus satis intellecta fuisse, tanta scilicet antiquarum vocum, & tunc pene obsoletarum erant obscuritate involuta. Hæc sane verborum vetustas, priscaque scribendi ratio, quantum licuit ex veteribus, tum scriptorum, tum lapidum, ærisque monumentis, restituta est in iis fragmentis, quae nostris notis continentur. Æquum est enim eos maxime de Romana lingua, si non ita ut debent, saltem quo possunt modo, bene mereri, quibus sub Romano cælo nasci, aut excoli contigit: quando id ab externis hominibus, & longe alio sub cælo natis factum est, quibus multorum, & quidem luculentiorum Latinae linguae Scriptorum restitutio, perpolitioque sine ulla controversia debetur.



DISPUTATIO GENERALIS DE LEGIBUS

CONTINET XVIII. CAPITA,

*Quorum uniuscujusque summam hic videre licet subjectam,
ut uno aspectu Lector totam disputationem habeat.*

CAP. I.



Egis nomine quid contineatur, & quod ad jus proprie refertur. A legendo, id est deligendo, ut & legere & legati deduci, non a legendo eam scriptam.

CAP. II.

Justitiæ fruendæ causa leges constitutæ ut & Reges. Quod a Deo manarunt, & illarum finis est justitia. A Regibus tandem & sapientibus Dei ministris latæ.

CAP. III.

Variæ & variorum legis definitiones: leges Romanorum aliter definiuntur, & plebiscita continent. Quid lex, & plebiscitum differant: de privilegiis. Hæc leges, & rogationes esse.

CAP. IV.

Quæ in lege requiruntur, & quæ sit ejus virtus & finis. Respub. præmio & pœna continetur. Legum multitudo, frequentia mutatio vitanda.

CAP. V.

Lex multiplex statuum respectu. Reip. leges variæ denominatæ a tabulis, a re ipsa, a loco, vel modo rogandi ad sacra, ad magistratus pertinentes: de comitiis, de judiciis, de aliis rebus latæ sunt: ad mores, ad crimina, ad seditiosos legislatores, ad rem militarem spectantes enumerantur.

CAP. VI.

Tres legis partes, proœmium, capita, sanctio, & earum exempla. Certis capitibus quo ad numerum non constabat. Tria in sanctione requiri.

CAP. VII.

Legis ferendæ ratio. Rogantes & jubentes ferre videntur. Qui populum, qui plebem jure rogare poterant. Quid cum populo, quid cum patribus agere; & qui poterant, qui non: & de tribus pop. Rom. ordinibus, Senatoribus, Equitibus, & Plebe.

CAP. VIII.

De tribus Comitiorum generibus, Centuriatis, Curiatis, & Tributis: & unde dicta. De loco, tempore, & ratione ea habendi. Quis ea edicebat, per quas

personas calabantur. Quis ordo. Quæ inter ea differentia. De suffragiis quædam & Tribu prærogativa.

CAP. IX.

De diebus festis, profestis, intercisis, fastis, nefastis, comitialibus, comperendis, statis, præliaribus, de feriis stativis, conceptivis, imperativis, & nundinis.

CAP. X.

Quomodo, & quare lex trinundino promulgabatur.

CAP. XI.

De legis suasionem ab auctore, & dissuasionem ab eo, qui intercedebat, & forma legis ferendæ.

CAP. XII.

De intercessione & interpellatione comitiorum. De auspiciis, & obnuntiationibus. Quando, & quomodo ea fiebant, & habebantur. Comitiorum vitia intercessionum exempla.

CAP. XIII.

Rogationis (quæ & interrogatio appellatur) formula duplex, & quod de una re tantum fiebat.

CAP. XIV.

Tria suffragiorum genera voce, manu, aut pedibus, & tabellis. Qualia fuerint, & quis eorum usus: uniuscujusque verba solemnia. De testulis, sitellis, pontibus, cistis, & cistellis, æquatione fortium, fortitione.

CAP. XV.

Quomodo in legem jurabatur, & sacramento leges confirmabantur, illiusque forma.

CAP. XVI.

Leges latæ in æs incidebantur, & figebantur. De XII. Tab. denominatione, & earum custodia: de Ædilibus & eorum munere.

CAP. XVII.

Quid sit abrogatio, quid derogatio, quid obrogatio; de utilitate, honestate, & necessitate abrogandi. De mutatione legum, & Remp. novis non esse onerandam.

CAP. XVIII.

Qui legibus solvebantur, & quomodo: quodque non omnibus, sed quibusdam tantum id daretur per privilegium.

ANT.

ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

DE LEGIBUS, ET SENATUSCONSULTIS LIBER.

CAPUT I.

De nomine Legis.



Egis nomen late patet; neque enim solum populi plebisve iussa & scita, seu iuscumque potestatis decreta, verum doctrinarum etiam præcepta, & quamcumque conventionem atque conditionem significant.

(a) L. eum debere. D. de serv. urb. præd. l. is qui duo. de servit. rust. præd. l. legem. C. de pac. l. Lucius. S. Lucius. D. fid. lib. Cic. & Terent. sepe. Item Varro. (b) Varro lib. V. de ling. Lat. V. l. qui mittuntur. D. ex qui. cau. mai. l. qui pendentem. de act. compt. Cic. lib. I. de leg. C. lex dist. I. Ifid. lib. 5. etym. cap. 3. (c) Cic. eo lib. I. Adde Arist. l. 10. c. 9. Ethic.

Hinc (a) leges prædiorum ac mancipiorum; hinc Manilianæ, Censoriæque leges; hinc testamentorum, locationum, venditionumque leges manant. Artifices quoque, astrologi, ac medici suas leges & institutiones habent; sed in his omnibus translatiō genere utimur, legis enim nomen proprie ad jus iustitiamque refertur. Cujus nominis origo a legendo, hoc est deligendo, ducitur; quod, ut Varro ait, (b) & verbum ipsum legendi, cum ad scripturam refertur, quod ab oculis litteræ singulæ deligantur; & legati, quod, ut publice mittantur, deligi soleant; & leges, quod lætas oporteat ad populum ferri, a legendo dictæ sunt. A Græcis νόμος παρὰ τὸ νέμειν, quod jus suum unicuique tribuat, dicitur; idque non minus legis proprium, quam delectum esse Cicero scribit. (c) Neque illos audio, qui ab eo, quod scriptura contineantur, leges a legendis legum tabulis dictas putant: id enim magis conservandæ memoriæ causa post legem acceptam fit, quam quod legi sit necessarium. *Lex est, inquit Cicero, recta ratio imperandi atque prohibendi; quam qui ignorat, is est injustus, sive est illa scripta uspiam, sive nusquam.*

CAPUT II.

De origine Legum.

(d) Cic. lib. 2. off. Vid. Apth. in progymn. contra tyranura.

DIximus de nominis origine, nunc de ipsius legis initio videamus. Fruendæ iustitiæ causa, ut idem (d) scribit, & bene morati Reges, & leges constitutæ sunt. Reges quidem, dum a bonis iustisque viris jus suum consequi adversus potentiores populus desiderabat: leges autem, dum si minus boni Reges iudicesve contigissent, legibus, quæ semper una eademque voce loquerentur, ad æqualitatem

pervenirent. Demosthenes (e) melius, divinum inventum, donumque esse significat: & Plutarchus legem omnium reginam, ipsis quoque Regibus imperare: per quos Deus bona omnia fruenda cæteris concessit, quorum finis est iustitia: quæ non solum Dei comes est, verum etiam Deus ipse iustitia appellatur. Itaque bonas principum leges a Deo inventas esse, Plato (f) significat. Et Cicero (g) legem alio loco a numine Deorum tractam rationem appellat; alio Zenonem refert naturalem legem divinam appellasse, recta imperantem, prohibentemque contraria. Legis quoque latores omnes constat patrios Deos suarum legum auctores dixisse. (h) Et ut Moysen præteream, qui solus a Deo optimo maximo leges duabus tabulis scriptas accepit, (i) Zaleuci & Charondæ leges nil aliud initio iubent, quam ut Dei, a quo bona cuncta procedunt, religio ab omnibus colatur. Deum bonis probisque viris amicum ac benevolum esse; malos, criminibusque ullis obnoxios odisse. Quibus indicant, hoc verum legum initium esse. (k) Sed quoniam Reges sapientesque viri Deorum ministri sunt, & Deorum in terris personam sustinent; eorum leges alicubi primæ acceptæ sunt. Romulum quidem certe, qui Urbem condidit, constat primum leges tulisse Romanis, (l) quas Curiatas Pomponius appellavit. Tulerunt cæteri quoque Reges; & exactis Regibus, Consules, Dictatores, Tribuni, & qui nomen omnibus præripuere, Decemviri legibus conscribendis creati, qui, decem tabulis ex Solonis, aliisque Græciæ legibus sumptis, duabusque aliis adjectis, duodecim tabularum leges ediderunt; secutæ sunt deinde multarum quoque legum rogationes, de quibus postea latius scribemus. Hic itaque est fons & origo Romanarum legum, ut ille, de quo antea scripsimus, omnium nationum.

CAPUT III.

Quid Lex sit.

Nunc videamus, quid lex ipsa sit. Et Papinianus (m) Demosthenis definitionem secutus legem esse scribit, commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur, coercitionem, sponsonem denique Reipublicæ

(e) L. 2. D. de Leg. Demosth. in Aristotog. 1. Plut. in lib. de princip. doct. Vide Novel. 72. Auth. ut hi qui obl. in princ. (f) Plato in Minoe. & l. 1. de legib. (g) Cic. Phil. 11. & de nat. Deor. lib. 1. Plat. in Min. & l. 1. de leg. Arist. lib. 2. Politic. vid. c. 1. dist. 7. (h) Vide Joseph. l. 3. Antiquit. & contra App. lib. 2. (i) Diod. Sicul. lib. 2. Bibl. Stob. cap. 62. (k) Plut. in lib. de prædoct. (l) Leg. 2. in princ. de orig. jur.

(m) L. 1. & 2. D. de leg.

blicæ communem. Qua definitione quatuor legis propria expressa sunt. (a) Debet enim lex coli ab omnibus, ut pote de omnibus generatim scripta: debet prudentium virorum consilio promulgari: supplicia denique vitiis, præmia virtutibus deferre: quibus rebus, quod postremo scriptum est, eveniet, ut totius Reipublicæ vinculum esse videatur. Chryssippi (b) definitio a Marciano relata non minus laudem legis expressit, quam ut, quænam lex ipsa esset, explicaret. Divinarum humanarumque rerum reginam legem appellat, ducem, principem, atque præsidem bonis malisque rebus judicandis, juris injuriæque regulam; quæ homines, qui, natura duci, civili jure censentur, quid agere eos oporteat, doceat: a quibus abstinere debeant, coerceat. A Cicerone (c) multis modis legis definitio tentata est; summam rationem insitam in natura, libro primo de legibus; alio loco rectam, & a numine Deorum tractam rationem appellat, honesta imperantem, prohibentemque contraria; alio æternum quiddam, quod universum mundum regeret; imperandi, prohibendique sapientiam, item rationem, mentemque sapientis ad jubendum & deterrendum idoneam; justorum, injustorumque distinctionem, ad antiquissimam & rerum omnium principem naturam expressam. Sed illa omnium brevissima descriptio est, libro secundo de natura Deorum: *Lex est, inquit, recti præceptio, pravique depulsio.* Ex quibus omnibus apparet, prudentissimos viros non multum a juris, justitiæ, & jurisprudentiæ definitionibus decessisse. *Jus est, inquit apud Ulpianum (d) Celsus, ars boni & æqui. Justitiam namque colimus, & boni, & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum meri pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes: veram (nisi fallor) philosophiam non simulatam affectantes.* Justitiam idem Ulpianus (e) definit, constantem & perpetuam voluntatem esse jus suum cuique tribuendi: Juris præcepta: honeste vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere: Juris vero prudentiam divinarum atque humanarum rerum notitiam, justis, atque injustis scientiam. Cicero quoque legem cum jure gentium, quod nonnunquam etiam naturale dicitur, confundere videtur. Id enim est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. Quamobrem illorum magis sententiam probo, qui leges Romanorum alia ratione definiendas esse putaverunt. *Lex est, inquit Justinianus, (f) quod populus Romanus, senatorio magistratu interrogante, veluti Consule, constituebat; aut quod Severino (g) placet: Lex est, quam populus centuriatis comitiis sciverit; aut quod Capito (h) existimavit; Lex est generale jussu populi aut plebis rogante magistratu.* Hac definitione plebiscita comprehenduntur, quæ ab illis rejiciebantur: privilegia tamen a Capitone rejecta, in illis continentur. Sed cum (i) & plebiscita & privilegia legis nomine appella-

ri constet, de eis nonnihil dicemus. *Plebiscitum est, inquit Justinianus, quod plebs, plebejo magistratu interrogante veluti Tribuno, constituebat.* Sextus Pompejus: *Scita plebis appellantur ea, quæ plebs suo suffragio sine patribus jussit, plebejo magistratu rogante.* Plebis (k) appellatione, sive patriciis & senatoribus ceteri cives significantur, populi vero appellatione omnes cives continentur. Neque illa solum (l) plebiscita sunt, quæ plebs in discordia fecit, sed ut omnia, quæ Tribunus rogabat, & plebs scisciebat, non Hortensia solum, sed aliis quoque legibus, Horatia & Publilia, jussu est omnes tenerent. Has Cicero solet Tribunicias leges appellare, illas, quæ a populo jussæ sunt, Consule rogante, Consulares. Constat autem, Tribunos neque patricios vocare potuisse, neque ad eos de re ulla referre. Illud itaque inter plebiscita & ceteras leges intererat, quod hæc a plebe, illæ a populo rogabantur, hæc Tribunus tributis comitiis, illas Consul, aliufve ex majoribus magistratibus centuriatis, tributis, curiatisve comitiis ferebant; hæc plebem tantum olim tenebant, illæ semper omnes. Post legem Hortensiam sine controversia plebiscita pro legibus haberi cœperunt: & ita factum est, quod Pomponius scribit, ut inter plebiscita & leges, species constituendi interesset, potestas autem eadem esset. Hujusmodi sunt Aquilia lex, Semproniarum, Apulejarum, Clodiarum, quas modo plebiscita, modo leges appellari videmus. Hæc de plebiscitis. De privilegiis illud sciendum est, veteres (m) priva dixisse, quæ nos singula: eaque privilegia vocasse, quæ de singulis leges latæ essent, sive id populus, sive plebs scivisset. De his Cicero (n) legem illam finxit, PRIVILEGIA NE INROGANTO; quam ex duodecim transtulisse se ait, eaque privilegia tolli, quod majores, in privatos homines leges ferri, noluerunt; id est enim, inquit, privilegium, quod nil injustius, cum legis hæc vis sit, scitum & jussu in omnes. Sextus tamen Pompejus (o) rogationem videtur hac eadem definitione comprehendisse. *Rogatio, inquit, est cum populus consulitur de uno pluribusve hominibus, quod non ad omnes pertineat; & de una pluribusve rebus, de quibus, non de omnibus sancitur. Nam quod in omnes homines, resve populus scivit, lex appellatur.* Itaque Gallus Aelius ait, inter legem & rogationem hoc interesse, quod inter genus & speciem. Sed & in sanctione legis Regiæ Vespasiani, leges, rogationes, plebiscita, senatorumque consulta res esse separatas apparet. Ceteri (p) rogationem eam esse dicunt, cum populus aut plebs rogatur, velint jubeant ne illud, aut illud fieri, sive id ad singulos, sive ad universos pertineat. Itaque omnia plebiscita & privilegia leges esse, ac rogationes fuisse. Et licet dixerimus privilegia in duodecim tabulis prohibita fuisse, lata tamen sunt pleraque, cum eisdem tabulis contineretur, ut quod postremum populus jussisset, id juratumque esset. Hujusmodi sunt Gabinia, &

(k) In Inst. de jure nat. §. Plebiscitum. Vid. cap. 2. dist. 2. l. plebs. D. de verb. sig. d. §. Plebiscitum. Gell. l. 10. c. 20.
(l) Vide l. 2. §. Deinde cum esset de orig. jure l. 1. Ad l. Aquil. dicto §. Plebiscit. Cic. pro Sex. t. & de leg. Ag. Vid. c. quædam. 2. dist. Gell. lib. 15. cap. 27. d. §. Deinde. Gell. l. 10. c. 20.

(m) Sex. Pom. v. privos. V. c. privileg. iii. dist.
(n) Cicero. l. 3. de legibus.

(o) Sextus Pomp. ver. rogatio.

(p) Gell. l. 10. c. 20. Liv. lib. 7. c. 9.

Ma.

(a) Vide Aprob. in progymn. de legislat.

(b) Vide Arist. lib. 3. c. 6. de rep. Cic. lib. 1. de legib. d. l. 2.

(c) Cicero. l. 1. de legib. & Phil. 11. Idem lib. 2. de legib. & l. 1. de nat. deor.

(d) L. 1. D. de just. & jure.

(e) L. justitia eo. in Inst. eo. tit. in prin. l. omnes populi. D. de just. & jur. In Inst. de jur. nat. §. 1. & de ver. divis. §. Singulorum.

(f) In Inst. de jure nat. §. Lex.

(g) Boet. in Top. Cic. l. 3. Vide c. 1. dist. 2.

(h) Aul. Gell. l. 10. cap. 20. l. 1. D. ad l. Aquil.

(i) l. postlim. jus. in fin. de captivis l. ult. de legat.

Manilia de Cn. Pompeii imperio, Pedia de Cæsaris interfectores, Hirtia contra Pompejanos, Clodia contra Ciceronem, quæ jure singulari (a) propter aliquam utilitatem introductæ sunt. Sed de privilegiis in Duodecim, de plebiscitis in Hortensia, Horatia, & Publilia plura scribemus.

(a) *l. Jus
singulare.
D. de legi-
bus.*

CAPUT IV.

Qualis sit Lex.

Consequens est, ut, qualis esse lex debeat, cognoscamus. Qua in re non contemnenda est Isidori regula: ut lex honesta (b) sit, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporisque conveniens, necessaria, utilis, manifesta, hoc est, non obscura, non captiosa, nulli privato commodo, sed communi civium utilitati conscripta. Ab his non longe discedunt (c) rhetores, cum de legum suasionem ac dissuasionem præcipiunt. *Vitium legis, inquit Quintilianus, aut in verbis, aut in rebus est; in verbis quaeritur, an satis significent, an sit in his aliquid ambiguum; in rebus, an lex sibi ipsa consentiat, an in præteritum referri debeat, an in singulos homines; Maxime vero commune est quaerere, an sit honesta, an utilis. Justum, pius, religiosum, cæteraque his similia honesto complectimur. Justus tamen species non simpliciter excuti solet. Aut enim de re ipsa quaeritur, ut digna ne poena, vel præmio sit: aut de modo præmii, poenæve, qui tam major, quam minor culpæ potest. Utilitas quoque interim natura discernitur, interim tempore, quædam an obtineri possint, ambigi solet. Ne illud quidem ignorare oportet, leges aliquando totas, aliquando ex parte reprehendi solere.* Hæc Fabius dilucide de vitiis, virtutibusque legis. Sed mihi in hac re animum intendenti, duæ res potissimum considerandæ esse videntur: an leges, de quibus ferendis agimus, de totius Reipub. constitutione fanciantur: an vero unum atque alterum articulum contineant. Illo casu legislatorem (d) oportet omnia genera rerum publicarum, omnes qualiscumque Reipublicæ mutationis & conservationis modos diligenter perscrutari, cives suos, suamque Rempub. nosse, & ad illum statum perducere, qui ad bene beateque vivendum quam proxime accedat, aut, quantum humano ingenio, & providentia fieri potest, quamdiutissime salutaribus hisce legibus conservetur. Quæ omnia Aristotelis præceptis sunt consentanea, si de singulis rebus ferantur, tum illa solum, quæ antea retulimus, etsi semper animadvertenda sunt, plus tamen momenti habent. Verum enim vero respiciendum in levibus quoque rebus est, ut ad virtutem omnes leges accommodatæ sint: ex hac enim felix ille status nascitur. Hanc alii justitiam, alii æquitatem, multi honestatem, felicitatem alii, beatam alii vitam appellant. Ex hac civium salus, incolu-

Tom. I.

mitas Reipub. æterna libertas, gloria decusque perpetuum civitati, legumque latori nascitur. Quamobrem non satis probamus illorum sententiam, qui putant leges factas esse, ut earum metu humana coerceatur audacia. Contra enim Plato (e) legis putat esse persuadere, non omnia vi ac minis cogere, & Diodorus (f) Barbarorum leges reprehendit, quæ magis punire, quam docere videantur, ac Xenophon Persarum instituta maxime laudat, quod non ut cæteri de poenis criminibus ex legibus imponendis solliciti sint, sed multo magis caveant, ut ne qua crimina apud ipsos reperiantur. Legis tamen virtutem esse non negamus, ut punire nihilo minus, quam imperare, vetare, & permittere possit: illas tamen optimas esse leges dicimus, quæ ad bene beateque vivendum sint accommodatæ. Cui rei necessarium nonnunquam est poenis ac mulctis uti: ne impunita crimina delinquendi cupiditatem improbis augeant. Ac Plato inferorum poenis, quæ in sceleratos inferuntur, non contentus, similes excogitavit. Nos Ciceronis hac in re moderationem probamus, ut noxæ poena par sit, & in suo vitio quisque plectatur, vis capite, avaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia faniatur. Sed etsi lex severe scripta sit, iudex benigna interpretatione utatur, necesse est. Extat Martiani elegans admonitio, in levioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debere, in gravioribus poenis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis exequendam. Sed cum Rempublicam (g) his duabus rebus contineri, præmio & poena, a Solone & Platone usurpatum fuerit, & de poena dixerimus factis: de præmio idem Plato secundus est, qui Reipublicæ salutem ex harum rerum ordine consistere putat: ut animi bona præ cæteris omnibus honoribus adficiantur, tum corporis, postremo fortunæ. Hujus generis sunt, quæ militibus, quorum opera imperatores victoriam adipiscuntur, donantur: quæ, trium liberorum causa, ut ab Lycurgo, & Augusto, immunitas multorum munerum data est: quod Hippodamus rem utilem Reipublicæ inventi pollicebatur: quodque magistratibus atque iudicibus, ne quæstui potestatem ac judicia habeant, promitti oportere, Aristoteles putat. Idem ait, quarumcumque legum latoribus utile esse, ut præmia, suppliciaque juste proponere possint, diligenter animadvertere, quid rerum homines sponte, quidque inviti contrahant; & Papinianus Demosthenem secutus, ut antea scripsimus, legem coercionem appellat delictorum, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur. Marcianus, *delinquitur, inquit, (h) aut proposito, aut impetu, aut casu; & Claudius Saturninus: Aut facta, inquit, puniuntur, aut dicta, aut scripta, aut consilia. Hæc quatuor genera consideranda sunt septem modis, causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu.* Quæ omnia in præmiis quoque considerabuntur. Sed ut ad illa revertamur: non dubium est, quia vitiorum emendatricem legem esse

(e) *Cic. l. 1. de legib.*
(f) *Diodor. Sicul. lib. 1. biblioth. Xenoph. lib. 1. de Cyri vita. Adde l. in Areopag. l. Legis. D. de legib. c. ult. 3. dist. Quint. lib. 7. c. 5. D. l. 2. & 3. biblioth. leg. Si operis. C. de poen. Pl. lib. IX. de leg. Cicer. l. 3. de leg. Iseus apud Stob. c. 46. leg. Perspicuum. D. de poen.*

(g) *Cic. in Ep. ad M. Brut. Plato lib. 3. de legib. Polyb. lib. 4. hist. Arist. l. 2. cap. 7. de rep. Elian. l. 6. de varia hist. Arist. lib. 2. c. 6. de Repub. Idem lib. 3. cap. 7. Idem lib. 4. c. 1. & 4. l. 1. & 2. D. de legib.*

(h) *L. Peripiciendum. in fine D. de poen. l. Aut facta. c. tit.*

B

esse

(d) *Arist. lib. 1. Rhet. cap. 4. & l. 3. Polit. c. 7. & l. 4. c. 1. & lib. 5. c. 9. & lib. 6. cap. 5. & l. 7. c. 2. item l. 10. cap. 9. Erb. Plato l. 1. de legib. Aristot. eisdem loc. Cic. lib. 1. de legib. & pro Cluen. Diod. l. 3. bibl. cap. 1. dist. 4.*

esse oporteat, commendatricemque virtutum, ut Cicero (a) scribit; quo fit, ut ab ea vivendi doctrina ducatur. Quamobrem cum Isocrates, quæ in legibus bene constitutis spectanda sint, Nicoclem docuisset (sunt autem hæc; ut omnibus justæ atque utiles essent, & inter se consentientes; quæ dubitationis minimum, litium celerrimam compositionem haberent) addit laborum præmia, calumniarumque poenas, ut illa expetant, has omnès avertentur. Illud ejusdem (b) Oratoris laudandum, quod putat legum multitudinem atque frequentiam, & ut arbitror, crebram earum mutationem, signa esse mali status Reipublicæ; propterea quod, dum delicta, quasi aggeribus coercere nitimur, leges cumulantur. Non itaque porticus legibus implendæ, sed civium animi justitia imbuendi sunt; quod (c) bene instituti paucis legibus obtemperant: mali omnes leges facile contemnunt. Arcefilaum dixisse ferunt, ubi plurimæ leges & medicamenta forent, illuc morborum & injustitiæ plurimum esse. Itaque idem Isocrates in Panathenaico eas laudat, quæ paucæ sint, & aptæ; laudat item cognitione faciles, justas, utiles, & inter se consentientes, ad publica instituta, non ad privata commoda factas, quales, inquit, esse decet in Repub. bene constituta.

CAPUT V.

Quotuplex sit Lex.

Vidimus quid sit lex, qualisque esse debeat: nunc quotuplex sit, cognoscamus. Id vero multiplex est. Nam si legem (d) pro jure naturali, vel gentium, vel civili accipiamus, ut philosophi solent, easdem tres differentias legum recipiemus; si ad singulorum populorum, aut regum, rerumve publicarum iusta respiciamus, in tot genera leges dividemus, quot rerum quoque publicarum sunt. Ea autem sunt sex, si Aristotelem (e) sequamur: Regis, tyranni, optimatum, paucorum insolentia, reipublicæ, & populi: quarum tres probandæ, tres reliquæ improbandæ sunt. Tyranni enim, paucorum, & populi status iniquus est, cæterorum æquus. Omnium optimus regius, & huic par, vel fortasse melior, quod magis est perpetuus, ex omnibus mixtus: qualis Romanorum, ut Polybio (f) videtur, fuit. Ejusdem vero Reipublicæ leges varias appellationes accipiunt, vel ex auctoribus, ac legumlatoribus, ut Solonis ac Draconis Atheniensium, & omnes fere Romanorum, quas hoc libro persequemur; aut a tabulis, in quibus, scriptæ vel incisæ sunt, ut duodecim tabularum, & Draconis ac Solonis (g) ἄξονες & νόμοι; aut ab eo quod jubetur, ut Ostracismus, vel τειροχρεία, vel ἀμυνεία apud Græcos; apud Romanos Agrariæ, Sumptuariæ, Frumentariæ, Fœnebris, Muneralis, Vicefima, Regia, Majestatis, Ambitus, & aliæ id genus: quæ suis locis referentur, a loco vel modo rogandi, vel aucto-

ritate; νόμοι Lycurgi, Romanorum Sacratæ leges & Rhodia de jactu: item Curiatæ leges, curiatis comitiis latæ, de quibus paulo post scripturi sumus. Huc accedit, quod antea scriptissimum de plebiscitis ac privilegiis, quæ a generali lege populi Romani differunt; item quod de Tribunicis & Consularibus a Cicerone (h) usurpatum retulimus, quod a Tribunis vel Consulibus promulgarentur; mixtarum quoque rerum nomina habent lex Satyra, & lex Julia Miscella. Sed ut omnium legum Romanorum, de quibus scribere aggredior, nomina recensentur, eas in aliquot classes atque centurias describamus; ita enim fiet, ut omnia legum genera, ac totius pene juris notitiam prægustemus. Ac principio sunt quædam leges, quæ de toto jure feruntur; ut Regiæ, quæ Romulus & cæteri Reges tulere uno libro collectæ a Sexto Papirio, (i) qui liber jus civile Papirianum appellatur. Item duodecim tabulæ, quas Decemviri, (k) exactis Regibus, ex Græcis legibus magna ex parte descriptas tulerunt. Quas vero per partes plerique magistratus promulgarunt, in novem classes conscripsimus. Aut enim ad sacras res pertinent; aut ad magistratus; aut de comitiis, de iudiciis, de aliis rebus civilibus latæ sunt; aut ad mores; ad omnium hominum crimina; ad seditiosos legislatores, ad rem militarem spectant. De rebus sacris præter illas, quas Numa Pompilius Pomponis filius Rex tulit, in quibus Pompiliam de Vestalibus, Posthumiam de sacrificiis numeravimus; Licinia de Decemviris sacris faciendis; Ogulnia, Domitia, & Julia de Sacerdotiis, Papiria de consecratione fuerunt. De magistratibus multo major est numerus, quarum aliæ ad omnes, vel ad plures; aliæ ad singulos pertinent. Ad omnes Julia annalis, Cornelia de ordine magistratum, Gabinia Tabellaria de magistratibus mandandis; Valeria, Duilia, & Horatia de provocatione, Cassia & Sentia de patriciis adjectis, Æbutia de magistratibus. Ad multos, Sempronia & Trebonia de provinciis, Gabinia de legationibus, Julia de liberis legationibus, Lectoria de plebeiis magistratibus. Ad singulos pertinent Regia de potestate Imperatoris; Licinia de consulibus plebeiis; de Censoribus etiam ex plebe Publilia; Æmilia & Clodia de Censoribus; Prætoria de Prætoribus Urbano; Bæbia de quatuor prætoribus; Duilia, Valeria, Horatia, Sicinia, Atinia, Aurelia, Trebonia, Cornelia de Tribunis Plebis, sive de Tribunitia potestate: Atilia, Martia de Tribunis militum; Æbutia de Centumviris vel Decemviris, Decia de Duumviris navalibus, Clodia de Scribis Quæstoribus. Jam vero de comitiis permultas leges fuisse accepimus; Æliam & Clodiam de obnuntiatione; Fusiam de auspiciis; Cæciliam & Didiam, atque Liciniam & Juniam de legibus ferendis, Papiriam Tabellariam de legibus, Mæniam item de legibus, Corneliam de legibus soluto; Hortensiam de nundinis, Puppiam de Comitibus; Gelliam & Juliam & Papiriam de civitate Romana, Liciniam & Mu-

(a) Cic. lib. 1. in fin. de legib.

(b) Isocr. in Arcopag.

(c) Thuc. apud Stob. cap. 41.

(d) Arist. lib. 1. c. 10. & 13. & 15. art. Rb. & lib. 5. c. 6. Ethic.

(e) Arist. lib. 1. c. 8. artis Rhet. & lib. 8. c. 10. Eth. & lib. 3. c. 5. Politic.

(f) Polyb. lib. 6. Vide Cic. Phil. 1.

(g) Plut. in vita Sol. & Diogen.

(h) Cic. in Sext. & de leg. agr. Vid. den. c. Quædam. dist. ii.

(i) l. 2. in pr. & §. Fuit autem. D. de orig. jur. (k) ead. l. §. Exactis.

Muciam de civibus regundis, Maniliam, Corneliam & Sulpiciam de libertinorum suffragiis, Marciam & Semproniam de suffragiis, item Semproniam de civibus Romanis. Ad judicia pertinent judiciales leges, Sempronia, Servilia, Livia, Plautia, Cornelia, Aurelia, Pompeja, Julia, Cassia Tabellaria. De Centumviralibus judiciis, Æbutia Cornelia de edictis perpetuis, Tarpeja, Æternia, & Papiria de mulctis; Hortensia de nundinis fastis. Julia de patronorum numero. Vatinia de alternis consiliis. De aliis rebus civilibus, Canuleja de connubio, Papija de nuptiis, Julia de fundo dotali, & Julia Miscella. De tutelis Atilia, Julia & Titia de tutoribus dandis, Claudia de tutelis Fæminarum, Lectoria de curatoribus. De testamentis Tufia, Caninia, & Glitia, de posthumis Junia Velleja, de mulierum hæreditate Voconia, de quarta portione Falcidia, de manumissionibus Ælia Sentia, Fusia Caninia, Julia, Junia Norbana, Junia Petronia, Vestibulicia, Viscellia; de libertate Scribonia; de rebus creditis Julia; de sponsione Titia, Publicia, & Cornelia, de nexu Petilia, Licinia de alienatione in fraudem, Julia de bonis cedendis, Atinia de ufucapionibus, Manilia de quinque pedibus, Thoria de agris & pascuis, Quinctia de aquæductu, Rhodia de jactu. Adde his Papiriam nummariam, Clodiam de victoriatis, Manliam de vicesima, & Vicesimam hæreditatium. Nunc de his, quæ ad mores & disciplinam pertinent, videamus. Quarum principatum obtinent sumptuariæ, Orchia, Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, Antia, Æmilia, Julia; Muneralis Cincia, Funeris Duilia, Menenia, Genutia; Claudia de navibus, Mævia de funeribus, Julia de pudicitia; item de maritandis ordinibus; Oppia de ornamentis mulierum, Theatralis Roscia, Julia de ludo, vel sponsione, Cornelia, Publicia, Titia, de Collegiis Clodia, de fullonibus Cæcilia Metella. Nunc ad criminum coercionem veniamus. Ac de majestatis & perduellionis crimine leges fuerunt Varia, Apuleja, Cornelia, Julia, item Tabellaria Cælia. De parricidiis Pompeja, de sicariis & veneficis Cornelia. De vi Plautia, & Pompeja, de vi publica & privata, Julia, de adulteriis & stupro, Julia, de impudicis Scatinia, de injuriis Cornelia, de damno injuria, Aquilia repetundarum, Calpurnia, Acilia, Servilia, Cornelia, Julia, Ambitus Petilia, Cornelia & Bæbia, Calpurnia, Pompeja, Julia, Tullia, Fabia, Manilia, Licinia. Testamentaria Cornelia, de plagiaris Fabia, de annonæ Julia, item peculatus, item de residuis; de calumniatoribus Remnia, de damnatis Cassia. Per seditionem ac vim latæ leges permultæ sunt. Nam cum mixta Respublica esset, quotiens plebs in seditiosos Tribunos plebis inciderat, aut in alios populares viros; in malum illum Respublicæ statum inclinabat, in quo populus tyrannidem exercet. Quotiens optimates plus nimio poterant, & aut ex nobilium inter se, aut cum popularibus contentione; aut ex tyrannidis cupiditate

privata commoda legibus in speciem popularibus persequerentur, Rempubl. ad paucorum, atque ad extremum ad unius potestatem perduxere. Populares leges Agrariæ Cassia, Licinia, Livia, Flaminia, Sempronia, Apuleja, Servilia, Julia. Frumentariæ, Sempronia, Apuleja, Livia, Terentia, Cassia, Octavia, Clodia. Tabellariæ Gabinia, Cassia, Papiria, Cælia. De plebiscitis Hortensia, Publilia; de Tribunis plebis, quæ antea relatæ sunt in classe de magistratibus; de connubio Canuleja; de Consulibus & Censoribus ex plebe Licinia & Publilia; Icilia de Aventino, Porcia & Sempronia de civium libertate, Manilia de colonia deducenda, Licinia & Sulpitia de ære alieno, Clodia de Censoria nota, item de obnuntiatione: aliquot judiciales, & de suffragiis ac civibus, atque aliæ id genus. In Syllæ tyrannide, Valeria de imperio Syllæ, Cornelia de proscriptione, item de Tribunicia potestate. In C. Cæsaris, Hirtia contra Pompejanos: In Augusti, Pedia contra percussores, Papija de caducis, Regia de imperio. Infinitum esset omnia persequi, quæ per vim aut fraudem facta fuerunt simulatione legum ferendarum. Itaque ad rei militaris leges perveniamus, quæ paucae admodum sunt. Cornelia de captivis, Junia & Sempronia Militaris, Maria, Porcia Triumphalis. Hæc sunt dicta de legum divisione: quamquam non ignoro, posse easdem varie dividi, & multis modis immutari.

CAPUT VI.

De partibus Legis.

Sed tempus est ut de partibus legis aliqua dicamus. Sunt autem hæc in omnibus fere legibus Romanorum: Proœmium, capita, & sanctio. Quod si satyra lex sit, aut de universa Repub. lata, fieri potest, ut sapius & proœmium & sanctio repetantur, quod tunc non simplex lex sit. Sed & posset sine proœmio & sanctione, aut cum altero ex his, lex esse. Nos vero, ut in aliis rebus, quod frequentius accidit, sectamur. Animadverti itaque, ante omnia scribi solere, quis legem rogaverit, quis jusserit, quo loco, quo tempore; quæ tribus, qui vir primum suffragium tulerit: ut ex Frontino libro secundo de aquæductibus exemplum sumamus ex lege Quinctia: T. QVINCTIVS CRISPINVS COS. POPVLVM IVRE ROGAVIT POPVLVSQVE IVRE SCIVIT IN FORO PRO ROSTRIS AEDIS D. IVLII. P. R. K. IVLII TRIBVS SERGIA PRINCIPIVM FVIT PRO TRIBV SEX. TERENTIVS L. F. VARRO.

Similibus verbis usus est Cicero in Antoniana prima. *Cedo illa legitima: CONSVLES POPVLVM IVRE ROGAVERVNT (hoc enim a majoribus accepimus jus rogandi) POPVLVSQVE IVRE SCIVIT? Qui populus? quo jure?* Et in tabula octava Corneliæ de viginti Quæstoribus: *PRINCIPIVM FVIT PRO TRIBV. ita intelligendum est: & in prima Thermentium Pisi.*

Pifidarum majorum. C. ANTONIVS, M. F. CN. CORNE.....*..... C. FVNDANIVS C. F. TRIB. PLEB. DESS. PLEBEM.....*..... PREIMVS SCIVIT. Est autem hoc plebiscitum (a) quod Tribuni plebem rogavere, plebesque scivit illo loco, illo die, illaque Tribus principium fuit, & pro tribu, id est, in tribu, ille vir primus scivit. Sic apud Ciceronem in Planciana: quod primus scivit legem de publicanis, si in eo crimen est, quia suffragium tulit, quis non tulit publicanus? si quia primum scivit, utrum id sortis esse vis, an eius qui illam legem ferebat? si sortis, nullum crimen est in casu: si Consulis, splendor etiam Plancii, hunc a summo viro principem ordinis iudicatum. Et in oratione ad Pontifices de Sedulio similia dicuntur. Crederem post hæc laudem & causam legis ferendæ conscribi; quod Cicero (b) significare videtur. Tamen sine procæmio & hoc ipsum privilegium, & lex illa Quinctia initium sumpsere: QVICVNQ. POST HANC LEGEM ROGATAM RIVOS, & in plebiscito: QVEI THERMESES MAIORES PEISIDAE FVERVNT. Quæ verba primi capituli sunt. Id in multis legibus usurpatum, apparet ex faceta illa Glauciæ (c) admonitione ad populum: ut cum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderent: si esset DICTATOR CONSVL PRAETOR MAGISTER EQVITVM: ne laborarent, scirent nihil ad se pertinere: sin autem QVICVNQVE POST HANC LEGEM: viderent ne qua nova quæstione alligarentur. Capita vero inter se spatiis tantum distincta semper vidi, sed in lege Manilia, Roscia, Peducæa apud Hyginum Gromacium de constitutionibus limitum singulis capitibus additur eorum numerus in hunc modum:

K. L. III. QVAE COLONIA HAC LEGE DEDVCTA.

K. L. IIII. QVI LIMITES DECIMAMI.

K. L. V. QVI HAC LEGE COLONIAM DEDVXERIT.

Quibus notis significatur caput legis tertium, quartum, quintum; quod Terentianus & Probus interpretantur. Numerorum quoque ratio ad totam legem referri debet; ut capite quinto legis Juliæ de adulteriis, aut capite tertio legis Aquiliæ: non ad numerum tabularum, in quas longiores leges dividuntur. Tot vero capitibus singulæ leges constant, quot visum his est, qui leges conscripserunt, totam legem concipi posse. Et in Epistola quadam M. Cælii ad Ciceronem refertur unum & centesimum caput legis Juliæ de repetundis. Extrema legis pars sanctio appellatur, quam in area tabula legis Regiæ de imperio Vespasiani incisam agnoscimus; in qua hæc verba scripta sunt:

SANCTIO.

SI QVIS HVIVSCE LEGIS ERGO ADVERSUS LEGES ROGATIONES PLEBISVE SCITA SENATVSVE CONSVLTA FECIT FECERIT SIVE QVOD EVM EX LEGE ROGATIONE PLEBISVE SCITO S. VE C. FACERE OPORTEBIT NON FECERIT HVIVS LEGIS ERGO ID EI NE FRAVDI

ESTO NEVE QVID OB EAM REM POPVLO DARE DEBETO NEVE CUI DE EA RE ACTIO NEVE IVDICATIO ESTO NEVE QVIS DE EA RE APVD SE AGI SINITO.

De hac sanctione Papinianus (d) libro secundo definitionum ita scribit: *Sanctio legum, quæ novissime certam pœnam irrogat his, qui præceptis legis non obtemperaverint, ad eas species pertinere non videtur, quibus ipsa lege pœna specialiter addita est: & Justinianus, ideo muros, inquit (e), sanctos dicimus, quia pœna capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Ideo & legum eas partes, quibus pœnas constituimus adversus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus: & Ulpianus: Proprie, inquit, (f) dicimus sancta, quæ neque sacra, neque profana sunt: sanctione enim quadam confirmata: ut leges sanctæ sunt; sanctione enim quadam sunt subnixæ. Et interdum, inquit, in sanctionibus adiicitur, ut, qui ibi aliquid commisit, capite puniatur. M. Cicero ad Atticum libro tertio: Scis Clodium sanxisse, ut vix, aut omnino non posset nec per senatum, neque per populum infirmari sua lex. Sed vides, inquit, nunquam esse observatas sanctiones earum legum, quæ abrogarentur; nam si id esset, nulla fere abrogari posset. Neque enim ulla est, quæ non ipsa se sepiat difficultate abrogationis. Sed cum lex abrogatur, illud ipsum rogatur, quomodo eam abrogari oporteat. Et in calce Verrinæ de signis: Nisi legum sanctionem, pœnamque recitarem; tabularum mihi potestas facta non esset. Idem pro Balbo Cornelio: Sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus, plebsve sanxisset. Deinde sanctiones sacrandæ sunt, aut genere ipso, aut obtestatione & consecratione legis, aut pœna, cum caput ejus, qui contra facit, consecratur. Denique Sext. Pompejus ita scribit. Saturæ est cibi genus ex variis rebus conditum, & lex multis aliis conferta legibus. Itaque in sanctione legum adscribitur. NEVE PER SATVRAM ABROGATO AVT DEROGATO. Ex his omnibus apparet, tria esse, quæ in sanctione scriberentur, ut cæteris legibus contrariis solutus esse videretur, qui eam legem servaret, aut ferret: pœna adversus eos, qui contra legem facerent: cautio, ne abrogari, aut derogari ei legi unquam posset. Sunt etiam aliæ partes legis, cum in eis, de quibus mentionem sæpe fecimus, tabulis ahenis lex inciditur, de qua re postea dicemus.*

CAPUT VII.

De legis ferendæ ratione, & a quibus & per quos ferri possit.

Nunc de legis ferendæ ratione videamus. Qua in re, a quibus, quo loco, quo tempore, quove modo dicendum erit. A quibus duplicem habet significationem: nam & qui rogant, & qui jubent, ferre legem videntur. Jam vero id ipsum quoque ad plebiscitum & legem refer-

(a) Vide Liv. lib. 3.

(b) Cic. lib. 2. & 3. de leg.

(c) Cic. pro Rabir. Posthum.

(d) leg. Sanctio. D. de pœn.

(e) In Instit. de rer. div. S. Sancta.

(f) l. Sacra. S. Proprie. D. eodem.

referri potest. Itaque videamus qui populum rogare possint, mox qui plebem, deinde populi, plebisque partes discutiemus. Hoc igitur principio constituamus, illum ferre ad populum, ac rogare legem posse, qui (a) cum populo agere potest. Agere enim cum populo est rogare quid populum, quod suffragiis suis aut jubeat aut vetet. Legem vero esse constat, quod (b) Populus Romanus, senatorio magistratu interrogante, veluti Consule, constituebat; vel generale jussu populi, rogante magistratu. At cum populo agere, & cum patribus, id est comitia & Senatum habere, licet Consuli, Prætori, Dictatori, Magistro equitum. Senatum habere etiam possunt Tribunus plebis, Interrex, Præfectus urbi, & Præfectus feriarum Latinarum causa; item extraordinario jure & leges ferre & senatum habere potuerunt Tribuni militum, qui pro consulibus creati sunt, ac Decemviri legum ferendarum causa, Triumviri quoque Reipub. constituendæ causa creati. Interregem leges ferre potuisse crediderim. Atque interregis lex Valeria de L. Cornelii Syllæ imperio fuit, & a Cicerone (c) illis verbis significari potest: *EIQVE QVEM PRODUNT PATRES CONSVLVM ROGANDORVM ERGO.* Adderem (d) Regem & Tribunum Celerum, item Imperatorem, post legem regiam, qua populus ei & in eum omnem potestatem transfudit. De legibus Juliis, quæ ab Augusto latæ sunt, ut de legibus Regum, nulla dubitatio est. Tribuni illa esse dicitur, qua Reges exacti sunt, Tribuniciamque Pomponius appellat. Magistri equitum legem nullam inuenio; Dictatoris Hortensia fuit: Prætoris Aurelia Judiciaria. Ex his apparet, neque (e) Censorem, neque Proconsulem, neque Ædilem Curulem, neque Quæstorem Urbanum, neque Præfectum urbi, etsi senatorii magistratus essent, rogare populum potuisse. Tribunos vero Plebis neque advocare patricios, neque ad eos referre de re ulla potuisse, Lælius Felix scripsit. Quibus verbis senatum quoque habere negaretur: contra tamen ex Cicerone & Varrone constat. Itaque id tantum juris illi habuerunt, ut plebem jure rogarent, plebisque sciti auctores essent: & cum Dictator, Consul, Prætor aberant, aut confuissent; tum Tribuni pl. senatus consulendi jus erat. At vero an alii plebei magistratus plebem rogare possent, dubitamus. Nam licet Sextus Pompejus (f) & Justinianus generaliter de magistratibus scripserint; nullum habeo ejus rei antiquitatis exemplum. Hanc etiam ipsam Tribunorum potestatem, ut legem rogare possent, Sylla abstulit, ut in Cornelia de Tribuniis dicemus; sed Cn. Pompejo Consule, restituta est. De plebiscitis, an tenerent omnes, vetus erat quæstio, de qua variis locis dicturi sumus. Ex his igitur constat, (g) qui populum, quique plebem jure rogare, legemque ferre potuerint. Populum vero solum legum potestatem habuisse, ut creationis magistratum, & aliquorum judiciorum publicorum, item belli, pacis, fœderis ac sociorum, Polybius scribit.

Nam senatus ararii, vectigalium, legationum, consiliorum & auxiliorum curam habebat. Consulibus in bello fere omnia, in pace omnium rerum cura, atque leviorum administratio & imperium, ac populi & senatus jussorum executio competebat. Qua de causa ex tribus natis generibus Reipub. constare civitatem Romanam dixit. Apud Livium (h) tamen reperio in legibus, magistratibusque rogandis usurpatum, ut, priusquam populus suffragium iniret, patres auctores fierent. Quod Cicero (i) non uno in loco significat. Itaque non facile concessum id populo est, ut solus leges juberet. Sed tamen nimis levis hæc patrum cautio esse videbatur, cum id, quod futurum esset, in eorum potestate non foret. Sed de his in Mænia & Publilia videbimus. De plebe pauca dicemus. Inter omnes constat, tres (k) populi Romani ordines fuisse, Senatores, Equites & Plebem. Senatores fuerunt jam inde a Romulo, & ab illis orti majorum gentium patricii, & qui a cæteris Regibus, aut ab L. Bruto minorum gentium adlecti sunt, & a Cæsare, & ab Augusto, & Claudio, & qui in magistratu Curuli, aut Tribunatu Plebis plebei, aut equites fuerunt, senatoria essent, & si a Censore in senatum lecti forent. (l) Equites principio, quod equo mererent, postea Judices a judicando dicti, ad extremum annulis & censu distinguebantur a plebe:

*Si quadringentis sex septem millia desunt,
Plebs eris*

ut ait Horatius; Senatores ab equitibus lato clavo, & censu olim octingentorum millium, postea duodecies festertium. At plebs, quæ pedibus merebat, in quinque classes describebatur, quarum prima centum millibus æris, secunda septuaginta quinque, tertia quinquaginta, quarta viginti quinque, quinta undecim millibus, exceptis capite census & proletariis, qui multo minoris censebantur. Horum omnium descriptio Censorum fuit; ad quos ea pertinent, quæ Cicero eleganter collegit: (m) *CENSORES POPVLI AEVITATES SOBOLES FAMILIAS PECVNIASQVE CENSENTO VRBIS TEMPLA VIAS AQVAS AERARIVM VECTIGALIA TVENTOR POPVLIVQVE PARTES IN TRIBVS DISTRIBVVNTO EXIN PECVNIAS AEVITATES ORDINES PARTIVNTO EQVITVM PEDITVMQVE PROLEM DESCRIBVNTO.* Quod ad leges sciendas attinet; plebis appellatione sine senatoribus & patriciis cæteri cives significantur. Itaque equites quoque continentur.

CAPUT VIII.

Quo loco, quo tempore, qua ratione comitia haberentur centuriata, curiata, atque tributa.

Diximus quæ ad personas eorum, qui populum ac plebem rogabant, pertinebant, quæque populi & plebis esset differentia, & quæ hu-

(a) Gell. lib. 13. c. 15.

(b) In Inst. de jure nat. §. Lex. Gell. lib. 10. c. 10. Cic. lib. 3. de leg. Gell. lib. 14. cap. 7. & 8.

(c) Cic. cod. lib. 3.

(d) leg. 1. D. de const. princ. leg. 1. ad leg. Jul. de adul. l. 2. in princ. de orig. jur. §. Exactus c. 1.

(e) Gell. lib. 15. cap. 7. Cic. lib. 3. de leg. Gell. lib. 14. c. 7. & 8.

(f) Sext. Pomp. ver. Scita. In Inst. de jure nat. §. Plebiscitum. Ad de c. 2. dist. 2. (g) Dionys. lib. 2. & 5. antiquit. Polyb. lib. 6. hist. Vi. den. Cic. lib. 3. de legib. Arist. lib. 5. Polit. c. 14. Appian. in Lybico.

(h) Livius lib. 1. & 8.

(i) Cic. pro Planc. & in Bruto.

(k) Aufon. in tern. Liv. lib. 1. Tac. lib. 11. Gell. lib. 14. c. 7. & 8. & lib. 1. c. 23. & lib. 3. c. 18.

(l) Plin. lib. 33. c. 1. & 2. Horat. lib. 1. epist. 1. Suet. in August. Livius lib. 1. Dionys. lib. 6. hist. Gell. lib. 16.

(m) lib. 3. de legib. l. Plebs. D. de verbor. sign. in Inst. de jure nat. §. Plebiscitum.

hujus loci visa sunt. Nunc de loco & tempore, & cæteris, quæ necessaria erant ad leges recte, atque ordine jubendas, videamus. Et cum leges aut centuriatis comitiis, aut curiatis, aut tributis fierent; de his ipsis tribus comitiorum generibus est videndum. Nam & persona, & locus, & dies, & modus comitiorum legitimus: is etiam legibus legitimus, paucis exceptis, est. Et si lex est, quam populus centuriatis comitiis, aut, majore magistratu rogante, tributis tulerit, & plebiscita, quæ sciverit tributim plebs, leges curiatae, quæ curiatis comitiis placuerunt: quod erit in comitiis (a) vitii, legi quoque noceat, necesse est. Principio igitur Consules edictum proponebant, quo edicebant, quis dies comitiis centuriatis futurus esset, & in eo caveri solebat, ne quis magistratus minor de cælo servasse vellet. Calabantur (b) autem & convocabantur comitia curiata per lictores curiatim, centuriata per cornicinem, ex quo utraque calata comitia appellabantur: eratque genus testamenti unum, quod calatis comitiis in concione populi fieret; alterum in procinctu, tertium per familiæ emptionem. Tributa comitia plebis per viatorem Tribuni calari solere crediderim. Centuriata intra pomerium fieri nefas erat, quia exercitum extra urbem imperari oporteret, intra urbem jus non esset. Itaque in campo Martio haberi, exercitumque imperari præsidii causa solitum; quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus. *Majores vestri* (inquit apud Livium Consul (c) in concione) *ne vos quidem, nisi cum aut vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus edictus esset, aut plebi consilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocasset, temere coire voluerunt.* Consilii verbum hoc loco ad tributa comitia, ni fallor, refertur. Nam, ut Lælius Felix scribit: *Qui non univolum populum, sed partem adesse jubet; non comitia, sed consilium edicere debet. Tribuni neque advocant patricios, neque ad eos referre de re ulla possunt.* Locus autem tributorum comitiorum tum in foro Rom. tum alibi, tam intra, quam extra pomerium fuit. Curiatorum vero in comitio, quæ pars etiam fori erat, esse solebat, ut Varro significat. Erat igitur & in convocando, & in loco habendorum comitiorum differentia, quam diximus. Sed & in descriptione, ac ferendorum suffragiorum ordine illud intererat, quod ipsis fere nominibus significatur. Centuriata (d) enim a centuriis dicuntur; etenim per centurias divisi cives in singulis classibus coibant, censabantur, ac suffragia ferebant. Singularum classium censum antea retulimus. Ætate quoque distinguebantur; ut partim juniorum, partim seniorum centuriæ in singulis classibus forent. Ita fit, quod idem Lælius (e) scribit, ut, cum ex censu & ætate suffragium feratur, centuriata comitia sint. Et Cicero: *Ferri de singulis, nisi centuriatis comitiis, noluerunt. Descriptus etenim populus censu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad suffragium auxilii, quam fuisse in*

tribus convocatus: & de aruspicum responsis: Eandem domum populus Romanus, cuius est summa potestas omnium rerum, comitiis centuriatis omnium ætatum, ordinumque suffragiis eodem jure esse iussit, quo fuisset. Ordinibus vero in his comitiis distinguebatur populus, & suffragium (f) ferebat: propterea quod equitum centuriæ ab aliis separatæ sua quoque suffragia ferebant. In ceteris comitiis neque census, neque ordinis, neque ætatis distinctio erat, sed fuisse tribus, aut curiæ convocabantur. Lælius tamen, cum ex generibus omnium suffragium feratur, curiata comitia; cum ex regionibus & locis, tributa fuisse scribit. Non satis clare rerum differentiam explicare mihi visus est. Id nos facere conabimur, quantum post tot sæcula licebit, & in magna multorum varietate, qui curiam cum tribu, curiata cum tributis comitiis confuderunt. Varroni (g) loca fuere intra urbem comitium & curiæ. *Comitium ab eo dictum, quod coibant eo comitiis curiatis, & litium causa. Curia duorum generum: nam & ubi curarent sacerdotes res divinas, ut curia veteres; & ubi senatus humanas, ut curia Hostilia, ab Hostilio Rege ita appellata.* Et (h) alio loco: *Curia, ubi senatus Remp. curat, & ubi cura sacrorum publica; ab his curiones.* Addit Sex. Pompejus: *Novæ curiæ proxime compitum Fabricium edificatæ sunt: quod parum amplæ erant veteres a Romulo factæ; ubi is populum, & sacra in partes triginta distribuerat, ut in his ea sacra curarent, quæ quando ex veteribus in novas evocarentur, septem curiarum per religiones evocari non potuerunt.* Itaque Foriensis, Raptæ, Veliensis, Velitiæ res diviniæ fiunt in veteribus curiis. Et alio loco: *Curia etiam nominantur, in quibus uniuscujusque partis populi Romani quid geritur: quales sunt hæc, in quas Romulus populum distribuit numero triginta (quibus postea additæ sunt quinque) ut in sua quisque curia sacra faceret, feriasque observaret. His curiis singulis nomina Curiarum virginum imposita esse dicuntur, quas virgines Romani de Sabinis rapuerant.* Livius (i) scribit, ut Sabinis aliquid daretur, Quirites a Curibus appellatos Romanos: & cum populum in curias triginta divideret Romulus, nomina Sabinarum curiis imposuit. His similia sunt, quæ Pomponius (k) scribit: *Romulum traditur populum in triginta partes divisisse, quas partes Curias appellavit; propterea quod tunc Reip. curam per sententias partium earum expediebat: & ita leges quasdam & ipse curiata ad populum tulit.* Dionysius libro secundo antiquitatum, & Plutarchus in Romulo in tres partes populum esse divisum scribunt, quas Tribus ea de causa dictas, eisque præfectos Tribunos appellatos. Earum partium denas partes curias esse, & præfectos (l) Curiones. Curias in decurias divisas, præfectos earum Decuriones: agrumque Rom. in triginta etiam partes esse divisum, exceptis sacris & publicis locis, aut ad ea pertinentibus. Atque Appianus libro

(f) Liv. lib. 1. Cic. pro Murena. Dionys. lib. 4. antiquit. Gell. libr. 15. cap. 27.

(g) Liv. 4. de ling. Lat.

(h) Liv. 5. de ling. Lat.

(i) Viden. Plut. in Romul. Liv. lib. 1. & 2.

(k) in pr. de orig. jur.

(l) Vide D. 1. II. §. Eisd. temporibus.

ter-

(a) Boeth. lib. 3. Topic. Cic. Gell. libr. 13. cap. 14.

(b) Idem lib. 15. cap. 27. In Inst. de testam. in pr. Gell. d. c. 27. in fine. Viden. Cic. lib. 2. de nat. deor. & lib. 1. & 2. de divin.

(c) Liv. lib. 29. Sex. Pomp. ver. Iusti dies. Macr. lib. 1. Saturn. Gell. d. c. 27.

(d) Liv. l. 1. Dionys. lib. 4. antiq.

(e) Gell. ibid. Cic. lib. 3. de legib.

tertio bellorum civilium, *Curias*, inquit, *Romani tribus*, aut *plebem per partes dividentes solent appellare, ut Græci, quas φρατρίδας vocant.* Ex his igitur apparet, curiam aut locum significare, quo vel senatus haberetur, vel curarentur sacra; aut unam ex triginta partibus, in quas Romulus populum divisit. Si nihil horum Romanæ tribus sunt, verum non erit, easdem curias & tribus esse: quamquam Sex. Pompejus, cum centumvitalia judicia interpretatur, in eum errorem incidit: & Pedianus, quæ de nominibus curiarum dicta sunt, ea ad tribus transferrat, in Prætura urbana. Plutarchus vero in Romulo negat, curias nomen Sabinarum habere, cum locorum pleræque habeant nomina: ac Varro apud Dionysium libro secundo, curias ante raptas Sabinas, a principibus alias viris appellatas, alias ab aliis rebus, atque personis scribit. Sed quando, quæ de curiis dicuntur a veteribus, collegimus; quæ de tribuum origine, nomine, atque vi scripta sunt, referamus.

(a) Lib. 4. de ling. lat. *Ager Romanus*, inquit Varro, (a) *primum divisus in partes tres, a quo tribus appellata Tatiensium, Ramnensium, Lucerum; nominata a Tatio, Romulo, & Lucumone. Ab hoc quoque quatuor partes urbis tribus dictæ, & ab locis Suburana, Esquilina, Collina, Palatina, quinta, quod sub Roma, Romilia; sic reliquæ tribus ab his rebus, de quibus in tribuum libris scripsi.* Sex. Pompejus, *Urbanas*, inquit, *tribus appellabant, in quas urbs erat dispersita a Servio Tullio Rege, Suburana, Esquilina, Collina, Palatina.* Livius (b) a Varrone & Dionysio, & a se ipso diversus est; quod Romulum tradit centurias tres equitum conscripsisse, Ramnenses ab Romulo, Tatienses a T. Tatio, Luceres incerta origine dictas. Servium vero Tullium, quadrifariam urbe divisa, regionibus collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit, *ut ego*, inquit, *arbitror, ab tributo*: nam ejus quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est. Neque hæc tribus ad centuriarum distributionem, numerumque quidquam pertinere. Alio tamen loco tres antiquas tribus Ramnenses, Tatienses, Luceres singulos augures habuisse fatetur. *Rusticæ tribus*, inquit Plinius, (c) *laudatissimæ, eorum qui rura haberent. Urbanæ vero, in quas transferri ignominia esset, desidiæ probro. Itaque quatuor solæ erant, a partibus urbis, in quæ habitabant, Suburana, Esquilina, Collina, Palatina. Nundinis urbem revisitabant.* Pomponius (d) vero, *Dicti*, inquit, *Tribuni, quod olim in tres partes populus divisus erat, & ex singulis singuli creabantur; vel quia Tribuum suffragio creabantur.* Hoc tamen ipsum de Tribunis Varro (e) aliunde deducit: *Tribuni militum*, inquit, *quod terni tribus tribubus Ramnensium, Lucerum, Tatiensium olim ad exercitum mittebantur. Tribuni Plebei, qui ex Tribunis militum primum Tribuni Plebei facti, qui plebem defenderent in secessionæ Crustumæ.* Pedianus libro secun-

(b) Liv. lib. 1. & 10.

(c) Plin. lib. 17. cap. 3. *hisl. nat.*

(d) l. 2. §. Eisdem temporibus. *de orig. jur.*

(e) Lib. 4. de ling. lat.

do Verrinarum ita scribit: *Tribus urbanæ, rusticæque omnes triginta quinque numerantur: ex quibus aliquam necesse est cuiusque ordinis fuerit, civis Rom. obtineat. Moris autem fuit, cum aliquis civis Romanus ostendendus esset; aut a prænomine, aut a nomine, aut a cognomine, aut a cognatione, aut a tribu, in qua censeretur, aut a curia, aut a censu, ut si erat senator, equestre Romanus, significaretur.* M. Tullius Antoniana sexta: *Num quispiam est vestrum, qui tribum non habeat? certe nemo. Atqui illum quinque & triginta tribus patronum adoptarunt.* Idem Pedianus libro tertio: *Principio tres fuerunt tribus, Tatiensis a Tatio, Ramnensis a Romulo, Luceres a Lucumone, sive Lucretino, sive a luco asylo; post de nominibus Sabinarum plures fuere; postremo trigintaquinque factæ.* Obtinuerunt autem nomen a tributo dando, aut quia primo tres fuerunt. Unde etiam Tribuni dicti. Dionysius libro quarto refert, Serv. Tullium urbem in quatuor illas tribus divisisse, cum antea tres essent; agrum autem Romanum in viginti sex, si Fabius sequendus sit, aut si Cato vel Venonius, in unam & triginta tribus. Cujus opinio omnem tolleret controversiam, nisi contraria esset Livio, (f) qui multarum tribuum tempus, quo additæ fuerunt, dilucide refert, quod ipsum magnam ostendit tribuum & curiarum differentiam; cum altera a Romulo ad Cicero-nem triginta semper fuerint, altera sive a Romulo, sive a Servio initium sumpserint, multis modis variæ creverint: ut nominum differentiam prætereamus, tam quod curiæ & tribus appellentur, quam quod singulæ sua nomina habeant: ut Æmilia, Nænia, Horatia, Publilia, Voltinia tribus: Faucia, Foriensis, Rapta, Tifata, Titia, Veliensis, Velitia, curiæ. Et sane sive ab eo Rege, sive ab alio tempore tribus initium sumpserint; nihil aliud significabant, quam locorum divisionem, urbis quidem in quatuor partes, ceterorum locorum in unam & triginta, quas rusticas tribus appellabant. Recte igitur Lælius (g) dicebat, cum ex regionibus & locis suffragium ferretur, tributa comitia esse. Eodem nomine, quo quatuor urbanas tribus, regiones quatuor urbis Varro appellat, licet Plinius (h) & Paulus quatuordecim regiones fuisse Augusti tempore scribant. Distinguuntur itaque tribus a centuriis, quod centuriæ personarum sint, ætate & censu distinctæ; tribus autem regionum atque locorum tam urbanorum, quam rusticorum descriptiones; in quibus censi suffragium singuli in sua tribu fuerunt fuses, ut Cicero ait, convocati. Curia ab utrisque distabant; quod neque ætate & censu distinguebantur, ut centuriæ & classes; neque regionibus ac locis, ut tribus. Quod itaque ex generibus omnium suffragium ferri, comitiis curiatis dicitur, & per licitorem curiatim calari ea comitia; aperte significatur, nullam fieri solitam locorum, census, aut ætatum distinctionem; suffragiumque

(f) Liv. lib. 2. 6. 7. 8. 9. & 10. Flor. lib. 19.

(g) Gell. lib. 15. cap. 27.

(h) Plin. lib. 3. c. 5. leg. 1. 2. & 3. D. de offic. Pref. vig.

que latum ex generibus omnium, idest, ut arbitror, ex omnibus permixte ordinibus. Quod Dionysius libro nono clarius quam Lalius explicat. Alia differentia horum comitiorum ex oratione ad Pontifices Ciceronis, & de lege Agraria ad populum, elici potest: in altera enim: *Si patricius nemo relinquatur, brevi, inquit, tempore populus Romanus nec Regem sacrorum, nec Flamines, ac Salios habebit, neque ex parte dimidia reliquos sacerdotes, neque auctores centuriatorum & curiatorum comitiorum: auspiciamque populi Romani, si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est.* In altera; *curiata, inquit, lege magistratus non datur, cui nullis comitiis ante sit datus. Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. Nam cum centuriata lex Consulibus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magistratibus: tum iterum de eisdem judicabatur ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui poeniteret. Nunc quia prima illa comitia teneris centuriata & tributa: curiata tantum auspiciorum causa remanserunt. Hic autem Tribun. Pleb. quia videbat potestatem neminem injussu populi, aut plebis posse habere, curiatis eam comitiis, quæ vos non initis, confirmavit, tributa, quæ vestra erant, substituit.* (a) Et postea: *Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet: hic vetat intercedendi potestatem, eandemque potestatem Decemviris constituit, quam si lata lex esset. Sint igitur Decemviri neque veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, neque illis ad speciem, atque ad usurpationem vetustatis per triginta lictores auspiciorum causa adumbratis, constituti.* Ex his verbis apparet, longam esse curiatorum comitiorum a ceteris differentiam: tum quod his magistratus Ciceronis ætate non dabantur, illis dabantur: tum quod hæc auspiciorum causa ad speciem & usurpationem antiquitatis; illa autem essent vera comitia: in illis omnes suffragium ferebant; in his non triginta curiæ, sed pro triginta curiis triginta nonnunquam lictores: illis olim dabantur sine potestate magistratus; curiatis comitiis magistratus confirmabantur. Verba Messalæ (b) in libro de auspiciis hæc sunt: *Patriciorum auspicia in duas sunt potestates divisa: maxima sunt Consulium, Prætorum, Censorum; reliquorum magistratuum minora sunt auspicia; ideo illi minores, hi majores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed justius curiata datur lege, majores centuriatis comitiis fiunt.* Livius libro nono: *L. Papius Cursor Dictator C. Junium Bubulcum Brutum Magistrum equitum dixit: atque ei legem Curiatam de imperio ferenti, triste omen diem diffidit: Quod Faucie curiæ fuit principium duabus insignis cladibus, captæ Urbis, & Caudinæ pacis, quod utroque anno ejusdem curiæ fuerat principium. Macer Licinius tertia etiam*

clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam curiam facit. Dictator postero die de auspiciis repetitis pertulit legem, & profectus est. Gellius (c) de juris consultorum sententia, de his eisdem comitiis curiatis ita scribit: *Per Prætozem adoptio, per populum arrogatio fit. Arrogantur hi, qui cum sui juris sint, in alienam sese potestatem tradunt, ejusque rei ipsi auctores fiunt, idque non temere fit: nam comitia, arbitris etiam Pontificibus, præbentur, quæ curiata appellantur. Arrogatio dicta, quia per populi rogationem fit. Ejus rogationis verba sunt hæc: *Velitis jubeatis uti L. Valerius L. Titio tam jure, legeque filius fiet, quam si ex eo patre, matreque familias eius natus esset: utique ei vitæ, necisque in eum potestas esset uti patri endo filio est* (sic enim legendum; non ut in vulgatis libris pariendo filio). *Hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites rogo.* De eadem arrogatione Cicero in eadem illa oratione ad Pontifices: *Credo enim, inquit, quanquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, auctor ne esses, ut in te P. Fonteius vitæ necisque potestatem haberet ut in filio. Quæro, si aut negasses, aut tacuisses, si tamen id triginta curiæ iussissent, num id iussum esset ratum? Certe non: (d) & paulo antea dixerat: Quo die de te lex curiata lata esse dicatur, audes negare de cælo esse servatum? & de aruspicum responsis: *Tum leges Julias contra auspicia latas & hic, & in concionibus dicebat, in quibus legibus inerat curiata illa lex, quæ totum ejus tribunatum continebat.* Denique legis curiatae mentio fit a Tacito (e) XI. Annalium: *Quæstores, inquit, Regibus etiam tunc imperantibus, instituti sunt, quod lex curiata ostendit, ab L. Bruto reperita.* Item Pomponius (f) Romulum tradit curiatis leges tulisse de triginta curiarum sententia. Capta quoque urbe, Livius ait lib. v. comitiis curiatis revocatum de exilio Furium Camillum, legem curiatam latam; eumque Dictatorem esse dictum, ut auspicia in exercitu habere posset, & decem Tribunos primum comitiis curiatis creatos, Cicero in Cornelianâ, & Dionysius lib. vi. auctores sunt. Sed Lectoria postea lege comitiis tributis ceteri creati sunt. Illud etiam animadverti, tributa comitia in plebis potestate fuisse, centuriata, & curiata patrum ac patriciorum fuisse, videri. Conjecturam facio tum ex his omnibus, quæ antea retuli; tum ex his, quæ Livius (g) libro IIII. scripta reliquit. Interroganti Tribuno, cur plebejum Consulem fieri non oporteret, ut fortasse vere, sic parum utiliter in præsens certamen, respondit Consul, quod nemo plebejus auspicia haberet; ideoque Decemviro connubium diremissæ, ne incerta prole auspicia turbarentur. Ea de causa centuriatorum & curiatorum comitiorum auctores, non etiam tributorum, Pontifices (h) Cicero appellat: & in concione ad Quirites: *Curiata, inquit, quæ non initis, confirmavit;***

(c) Lib. 5. cap. 19. Vid. l. 1. D. de adopt. Vide l. 1. In suis. in fine de libe. & posthum.

(d) Vid. Appian. lib. 3. Dionys. lib. 46.

(e) Adde lib. 2. Epist. ad Attic.

(f) Vide leg. 1. D. de offic. quest. Vid. Cic. in Corn. apud Ascum.

(g) Adde eund. Liv. lib. 6. ad finem.

(h) Cic. pro Domo, & de lege Agrar.

(a) Vid. den. Cic. in Epistol. ad Lentulum ultim. Liv. lib. 5.

(b) Gell. lib. 11. c. 14.

tributa, quæ vestra erant, substulit. Et in legibus, quæ de plebiscitis latæ sunt, scriptum est, ut quod tributim plebs iussisset, populum teneret. Et in (a) lege Lectoria, ut plebei magistratus tributis comitiis fierent, de qua lege cum Dionysius lib. x. scribere cœpisset, quid inter curiata & tributa comitia interesset, explicavit. Namque illis, inquit, patres auctores fuere, item auspiciato per curias suffragia feruntur, tributis nihil horum erat expectandum; sed tributim ineunt suffragia. Jam vero operæ pretium est maximam centuriatorum comitorum ab aliis differentiam in medium proferre: quod ad suffragiorum vim cognoscendam necessarium est. Ab Romulo (b) traditum est, & cæteri Reges ferverunt, ut viritim suffragium eadem vi, eodemque jure omnibus daretur. Primus Ser. Tullius gradus suffragiorum fecit, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penes primores civitatis esset. Equites enim primi vocabantur, deinde octuaginta primæ classis centuriæ peditum, quos centum millibus æris censerî diximus. Ibi si variaret, quod raro incidebat, secunda classis vocabatur; nec fere unquam ad infimos perventum est. Hæc Livius de centuriatis: & Dionysius libro IIII. Cum ad populum, inquit, tres maximæ res pertinerent: ut magistratus crearent, leges juberent atque vetarent, ac de bello decernendo constituerent; idque curiatis comitiis facerent; in quibus paria suffragia pauperum & locupletum erant: hi vero pauci, illi plures essent; omnia in egenorum potestate fuerunt. Ser. tamen Tullius id substulit: & primas equitum centurias decem & octo; peditum octuaginta ad suffragia vocabat. Quibus consentientibus, reliquæ classes non inibant suffragia: si variarent, inibant, quoad septem & nonaginta centuriæ consentirent. Idem ait lib. VII. Tributaque comitia a Coriolani iudicio primum cœpisse. Alconius (c) vero de prærogativa ita scribit: Prærogativæ sunt tribus, quæ primæ suffragium ferunt ante jure vocatas. Mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri: quorum tribus primæ prærogativæ dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellet, Consules fieri: secundæ jure vocatæ, quod in his sequente populo (ut sæpe contigit) prærogativarum voluntatem, jure omnia completerent. Livius lib. vigesimo septimo: Galeria juniorum, quæ sorte prærogativa erat, Q. Fulvium & Q. Fabium Consules dixerat: eodemque jure vocatæ reliquæ inclinassent, ni Tribuni plebis se interposuissent. Idem lib. vicefimo sexto: Cum Comitia Consulibus rogandis Fulvius haberet, prærogativa Veturia juniorum declaravit T. Manium Torquatam, & T. Otacilium. Manlius petit, ut centuriam, quæ tulisset suffragium, revocari juberet, oculorum valetudinem excusans. Denique centuria petit a Consule, ut Veturiam seniorum citaret: velle se cum majoribus natu colloqui,

Tom. I

(a) Liv.
lib. 5. Idem
lib. 2.

(b) Idem
lib. 1.

(c) Ped.
lib. 2. Verr.

& ex auctoritate eorum Consules dicere: citatis centuriæ senioribus datum secreto in ovili (d) cum his colloquendi tempus, seniores de tribus consulendum esse dixerunt; senioribus dimissis, juniores suffragium ineunt, M. Marcellum & M. Valerium Consules dixerunt: auctoritatem prærogativæ omnes centuriæ secutæ sunt. Item Cic. in Planc. Una centuria prærogativa, quæ unius tribus pars est, tantum habet auctoritatis, ut nemo eam prior tulerit, quin renunciatus sit. Et pro Murena: Tanta illis comitiis religio est, ut adhuc semper omen valuerit prærogativum. Et altera in Ant. oratione: Ecce Dolabella comitorum dies, sortitio prærogativæ, quiescit: renuntiatur, tacet: prima classis vocatur, renuntiatur; deinde, ut assolet, suffragatum secunda classis vocatur, quæ omnia citius sunt facta, quam dixi. Confecto negotio bonus augur: Alio die, inquit idem Liv. lib. XXIII. Cum fors prærogativæ Anienis juniorum exisset, eaque T. Otacilium & M. Æmilium Regillum Consules diceret; tum Q. Fabius oratione ea est usus, ut prærogativa juniorum in suffragium revocaretur: ea suffragium inquit; creatique in ea Consules Q. Fabius Maximus quartum, & Marcus Marcellus tertium: eosdem Consules cæteræ centuriæ sine variatione ulia dixerunt. Hæc omnia exempla centuriatorum comitorum sunt: in quibus initio classibus tantum, & centuriis distinguebantur: postea etiam tribubus: nam in una tribu ex omnibus quinque classibus censebantur. Denæ enim centuriæ in singulis tribubus fuere. Ita Galeria juniorum centuria est primæ classis ex tribu Galeria; Veturia juniorum, Anienis juniorum, ex tribu Veturia & Anieni: & a Cicerone centuria tribus portio vocatur. Tributis vero comitiis non eadem classium distinctio erat, neque eadem prærogativa centuriarum, sed tribuum. Mutatam autem fuisse rationem centuriatorum comitorum post expletas quinque & triginta tribus, quæ initio ad centuriarum distributionem non pertinebant, Livius (e) auctor est: Nec mirari, inquit, oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque & XXX. tribus, duplicato earum numero centuriis juniorum, seniorumque ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire. Hæc nos pluribus verbis de comitorum differentia: tum quod non essent omnibus obvia, tum quod ex his legum constituendarum ratio magna ex parte perspiciatur. Si quid vero deest (deesse enim multa fatemur) ea ex his, quæ in singulis legibus perscribentur, & ex libris de comitiis Nic. Gruchii, cognoscere plenius licebit.

(d) De or.
vili Strabo
lib. 5.

(e) Liv.
lib. 2.

CAPUT IX.

De comitialibus diebus, & tribus nundinis.

Nunc de comitialibus diebus, & tribus nundinis, postea de suadenda, roganda & jubenda, aut antiquanda lege dicemus. Apud

C

Ro.

Romanos dies omnes aut festi, aut profesti, aut intercisi erant. Festis fiebant sacrificia, epulæ, ludi, feriæ. Profesti aut fasti erant, aut comitiales, aut comperendini, aut stati, aut præliares. Feriarum publicarum genera quatuor: Stativæ, conceptivæ, imperativæ, nundinæ. *Dies fasti*, inquit Varro, *per quos Prætoribus omnia verba sine piaculo licet fari. Comitiales dicti, quod tunc, ut isset populus, constitutum est, ad suffragium ferendum, nisi si quæ feriæ conceptæ essent, propter quas non liceret, ut Compitalia, & Latine. Contrarii horum vocantur dies nefasti, per quos dies nefas fari Prætorum Do, DICO, ADDICO. Itaque non potest agi. Comitiales sunt, inquit Macrobius, (a) quibus cum populo agi licet. Fastis lege agi potest, cum populo non potest; comitialibus utrumque potest. Extant eadem de re non inelegantes Ovidii (b) versus:*

(a) Macrob. lib. 1. Satur. c. 16.

(b) Lib. 1. Fast.

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:

Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Et postquam intercisos declarasset: de comitialibus & nundinis ita ludit:

Est quoque, quo populum jus est includere septis:

Est quoque qui nono semper ab orbe redit.

Si quis tamen scire velit, quinam in singulis mensibus dies fasti, nefasti, intercisi, comitiales essent; quoque die stativæ feriæ, ludi, nundinæ, aliaque id genus cognitione digna: fastos adeat nuper e ruinis Romæ erutos, atque editos. Qui vero dies comitalis non erit; idem dies legitimus legi ferendæ non erit; quæ comitiis ferri ac juberi debet.

CAPUT X.

De promulgatione legis.

Promulganda autem lex & scribenda antea erat, ut trinis nundinis proposita legi posset ab iis, qui in Urbem e rusticis tribubus ac municipiis veniebant. Nam Rutilius apud Macrobius (c) scribit Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die, intermisso rure, ad mercatum, legesque accipiendas Romam venirent: & ut scita atque consulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die proposita a singulis atque universis facile noscebantur. Unde etiam mos tractus, ut leges trinundino die promulgarentur. Cicero in Antonium lib. 1. & 5. contra legem Cæciliam & Didiam fieri significat, si ante perlata sint, & in æs incisæ, quam aut promulgatæ, aut scriptæ fuerint. Enumerat Quintilianus libro secundo institutionum, quæ contra legem dici possint. *Aut enim, inquit, de jure dubitari potest ejus qui rogat; ut de P. Clodii, qui non rite creatus Tribunus arguebatur; aut de ipsius rogationis, quod est varium; sive*

(c) Macrob. lib. 1. ibid.

non trino forte nundino promulgata, sive non idoneo die, sive contra intercessionem, vel auspiciis; aliudve quid, quod legitimis obstet, dicitur lata esse, vel ferri: sive alicui manentium legum repugnare, & quæ sequuntur. De eadem promulgatione, & tribus nundinis, & a Cicerone pro Flacco, & libro tertio de legibus, & a nobis in Cæcilia & Didia dictum est. Quibus etiam locis cognoscitur, non eandem semper promulgandi formam fuisse.

CAPUT XI.

De suadenda, ac dissuadenda lege.

Promulgata rogatione, suadere legem auctores solebant; dissuadere qui intercedebant, aut quorum res agebatur. Idem Fabius eodem libro: *Legum laus, & vituperatio majores, inquit, vires desiderat. Apud Græcos lator legum ad judicem vocabatur: Romanis pro concione suadere, ac dissuadere moris fuit.* Extant apud Ciceronem utriusque rei exempla præclara. Nam legis Maniliæ de Cn. Pompeii Magni imperio contra Mithridatem suasio; dissuasio autem legis Agrariæ Rulli, quo pacto fierent, satis ostendunt. Apud Livium (d) multarum legum contentiones videmus inter optimates ac populares: item omnium optimam legis Oppiæ abrogationem, quam M. Cato major dissuasit, neque obtinuit. Eiusdem Ciceronis (e) lex effecta est de legibus ferendis in hæc verba. *PROMVLGATA PROPOSITA IN AERARIO COGNITA AGVNTO, NEC PLVSQVAM DE SINGVLIS REBVS SEMEL CONSVLVNTO. REM POPVLVM DOCENTO. DO-CERI A MAGISTRATIBVS PRIVATISQVE PATIVNTOR.* His verbis apparet, quid servari foleret, dum lex ferretur. Promulgabatur lex a legis auctore; proponebatur in arario; cognoscebatur ab omnibus antequam de singulis rebus populus confuleretur; docebatur legis sententia tam a magistratibus, quam a privatis, qui aut pro lege, aut contra legem dicere vellent: tum populus rogabatur de singulis, & suffragia ferebat, nisi intercessum esset. Idem Cicero pro Flacco: *O morem præclarum, disciplinamque, quam a majoribus accepimus, si quidem teneremus. Quæ scisceret plebs, aut quæ populus juberet, summo concione, distributis partibus, tributim, & centuriatim descriptis ordinibus, classibus, ataribus; auditis auctoribus, re multos dies promulgata, & cognita, juberi, veterarique voluerunt.*

(d) Liv. lib. 34.

(e) Cic. lib. 3. de legib.

CAPUT XII.

De intercessione, & auspiciis, atque aliis impedimentis suffragiorum.

Nunc de intercessione, & aliis impedimentis videamus; qui intercedere possent, & quomodo intercessio fieret. Ex libro

Mef-

Messallæ de auspiciis constat, Consulem omnibus magistratibus & comitatum & concionem avocare posse; (a) Prætores ceteris præter Consulem; minores magistratus nemini comitatum, aut concionem avocare posse; sed qui eorum primus vocat ad comitia, is recte agit. Multi magistratus simul concionem habere possunt, simul cum populo agere non possunt. (b) *Patriciorum maxima auspicia sunt Consulibus, Prætoribus, Censoribus. Neque tamen eorum omnium inter se eadem, aut ejusdem potestatis: quod collegæ Censores & Consules aut Prætores non sunt; Prætores & Consules collegæ sunt.* (c) *Ideo neque Consules aut Prætores Censoribus; neque Censores Consulibus aut Prætoribus turbant, aut retinent auspicia. At Censores inter se, rursus Prætores, Consulesque inter se vitiant & obtinent. Prætor etsi collega Consulibus est, neque Prætores, neque Consules iure rogare potest: quia imperium minus Prætor, majus habet Consul, & a minore imperio majus, aut a majore collega rogari iure non potest; neque in comitiis in auspicio esse debent. Ceteri minores magistratus appellantur; de quibus in edicto Consulibus, quo edicunt quis dies comitiis centuriatis futurus sit: NEQVIS MAGISTRATUS MINOR DE COELO SERVASSE VELIT. Hæc Messalla. Ex quibus duo genera interpellandi comitia cognoscimus: alterum, cum collega collegæ pariter imperii turbabat, aut retinebat auspicia: alterum, cum major magistratus minori comitatum avocabat: tertium (quod vereor ne idem sit cum primo) quotiens de coelo per collegam servabatur. Id obnuntiare tum dicebatur, cum ei, qui cum populo agere volebat, id renuntiabatur. Negabant enim augures, fas esse agi cum populo, cum de coelo servaretur. Quamobrem cum Cicero (d) Clodii legem impugnat, quæ vetabat, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de coelo servaret: tulisse ait, ne auspiciis obtemperaretur; ne obnuntiare consilio, aut comitiis, ne legi intercedere liceret. Sed hæc in Ælia, & Clodia de obnuntiatione dicemus. Legem tamen Tullianam, qua de intercessione agitur, referamus. VIX IN POPULO ABESTO. PAR MAIORQUE POTESTAS PLUS VALETO. AST CUI TURBASSITUR IN AGENDO FRAS ACTORIS ESTO. INTERCESSOR REI MALAE SALVTARIS CIVIS ESTO. QVI AGENT AVSPICIA SERVANTO. AVGVRI PVBLICO PARENTO. Qua lege primum vis tollitur: neque enim aliter intercessio juvare Rempublicam potest. *Quærunto quid sit (inquit idem Cicero Philippica prima) cur bonis Tribunis plebis leges malas metuam? Paratos habemus qui intercedant, paratos qui Rempublicam religione defendant. Negligimus ista, & nimis antiqua, & stulta ducimus. Forum sepietur, omnes clauduntur aditus, armati in præsidis multis in locis collocabuntur. Quod erit ita gestum, id lex erit. Et in quinta: Omnes fori aditus ita septi, ut etiamsi nemo obstaret armatus, ta-**

men, nisi septis revulsis, introiri in forum nullo modo posset: sic vero erant disposita præsidia, ut, quomodo aditus hostium prohiberetur castellis, & aggeribus; ita ab ingressione fori populum, Tribunosque plebis propulsari videres. (e) Hoc remedio intercessionem excluderentur. Eæ vero erant legitimæ, si par aut major potestas prohibuisset. Parendum autem erat intercessori: quod impediri bonam rem melius esset, quam concedi malæ. Si vero intercederetur, aut turbaretur, & seditio esse cœperat; licebat agenti cum populo consilium dimittere. Itaque vim quærebat, qui permanebat, quod Ciceronis lege præclare vetatur. Dat etiam ea lex potestatem cuicumque civi, ut rei malæ intercedat, quod etsi speciem habeat iustitiæ, multorum malorum causa esse potest: facile enim fiet, ut optimis quibusque rebus intercedatur. (f) De auspiciis constat, veteres auspiciis servatis leges ferre solitos; nihilque nisi auspiciis facere, quæ rata esse velent. Quæ vero auspicia, & quo pacto haberentur centuriatis comitis, ad Varronem in calce libri quinti de lingua latina eum, qui discere velit, allego. Ridicula sane fuit Tiberii Gracchi, optimi viri religio, qui in Sardinia recordatus est, se Romæ comitiis Consulibus, cum semel auspiciis pomerium transisset, deinde intrasset urbem Senatus habendi causa, in redeundo cum idem pomerium transiret, auspiciis esse oblitum, ac tabernaculum vitio cepisse. Itaque quod vitio creati essent Consules, idque rescissent, magistratu se abdicaverunt. In commentariis augurum scriptum erat, Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. Id non male Cicero (g) interpretabatur Reipub. causa constitutum fuisse; ut multas comitiorum non habendorum causas haberent: nam comitiorum solum vitium est fulmen. Erat etiam omnibus commodum, ne aut in campo, in magnis imbribus, omnes essent, aut pauci legem perferrent. Vitium quoque faciebat comitiis morbus, qui ea de causa comitialis dicebatur. Cato (h) apud Sex. Pompejum: *Si cui servo, aut ancillæ dormienti venit, quod comitia prohibere solet; ne id quidem mihi auspicianti domi vitium fuit.* Is morbus & major, & ἐπιληψία dicitur. Sed ut ad intercessionem revertamur; intercedi (i) non solum poterat cum lex ferebatur, sed & cum privati dicebant; hoc est, dum suaderetur, dum sitella deferretur (vas erat fortibus necessarium) dum æquabantur fortes, dum fortitio fiebat, quænam tribus prærogativam ferret. His peractis, cum id solum supererat, ut populus sententiam ferret, jubebat unumquemque is, qui legem ferebat, discedere: quod verbum non id significat, quod vulgò, ut de eo loco discederent, ubi lex ferebatur; sed ut in suam quisque tribum discederet, in qua erat suffragium laturus: erat enim in concione populus, ut semper, confusus. Hoc verbo usus est, ni fallor, Cicero (k) libro tertio de legibus: *Lex recitata est, inquit, discedite,*

(a) Gell.
lib. 13. c. 15.

(b) Idem
c. 14.

(c) Vido
Liv. lib. 3.

(d) Cic.
pro Dom. 1.
dem post redit.
in Sen.
& in Pison.

(e) Cic.
lib. 3. de
legib.

(f) Donatus in Andrian. vers. ea lege atque omine. Cic. lib. 1. de divin. Cic. lib. 2. de nat. Deor. & lib. 1. & 2. de divin. & lib. 2. ad Q. Frat. Epist. 2.

(g) Cic. lib. 2. de divin. & in Vat. & Philip. 5.

(h) Gell. lib. 18. c. 2.

(i) Cic. apud Asc. in Cornelianæ.

(k) Adde Liv. lib. 2.

tabellam jubebo dari. Recitabatur autem lex a præcone, cui verba ab scriba, ut fit, subii-
ciebantur. Qui intercedebant, vetare solebant,
ne præco, neve scriba suum officium facerent.
Solutus C. Cornelius Tribunus plebis cum ea-
dem ratione legem ferre impediretur; ipse co-
dicem, in quo lex scripta erat, cœpit recitare:
quæ res seditionem concitavit, & periculum
capitis Cornelio creavit; sed Cicerone patrono
absolutus est. Nullus erat intercedendi finis,
nisi intercessio remitteretur: id apparet ex Li-
vio, (a) de abroganda lege Oppia, frequen-
tia & precibus mulierum remissam intercessio-
nem. A. Gabinius (b) Trib. Pleb. cum le-
gem ferret, ut extra ordinem Cn. Pompejo bel-
lum adversus piratas decerneretur; L. Trebel-
lius ejus collega intercesserat, ac senatui pro-
miserat moriturum se antequam lex perfer-
retur. Introvocare tribus Gabinius cœpit, ut
Trebellio magistratum abrogaret; sicut Ti.
Gracchus Tr. Pleb. M. Octavio collegæ ma-
gistratum abrogavit. Perstabat Trebellius in
intercessione, Gabinius in abrogatione: post-
quam decem & septem tribus rogationem ac-
ceperant, remisit intercessionem: unam enim
mentem esse populi videbat. Hæc Cicero &
Pedianus in Cornelianâ.

CAPUT XIII.

De roganda lege, jubenda, atque vetanda.

AD rogationem ipsam ventum est, quam
non pessime interrogationem Justinianus
(c) appellat. Illis enim verbis concipitur, qui-
bus interrogatur populus, velint ne & jubeant.
Sed melius est ut rogentur, quo solum verbo
veteres usi sunt. *Velitis jubeatis, ut M. Tul-
lio aqua & igni interdictum sit? Velitis ju-
beatis, uti L. Valerius L. Titio tam jure le-
geque filius fiet, quam si ex eo patre matre-
que familias ejus natus esset? utique ei vitæ
necisque in eum potestas fiet, uti patri endo
filio est? Hoc ita ut dixi, ita vos Quirites ro-
go.* Item illa apud Livium (d) de vere sacro:
*Rogatus in hæc verba populus est, Velitis ju-
beatis hoc sic fieri: si res populi Romani Qui-
ritium ad quinquennium proximum, sicut ve-
lim eam, salva servata erit hisce duellis:
datum donum duit populus Romanus Quiri-
tium, & cetera.* Alia rogatio est, quæ ab his
omnibus longe differt: (e) *De Campanis, qui
cives Romani erant, senatus censuit, uti plebs
scisceret, quod senatui visum foret. L. Atilius
Tribunus Plebis ex auctoritate senatus plebem
in hæc verba rogavit: Omnes Campani, A-
tellani, Calatini, Sabatini, qui se dedide-
runt in arbitrium ditionemque populi Roma-
ni, Fulvio Proconsule, quæque una secum de-
diderunt, agrum, urbemque, divina, huma-
naque, utensiliaque, sive quid aliud dedide-
runt; de his rebus quid fieri velitis, vos ro-
go, Quirites. Plebs sic jussit: Quod senatus ma-
xima pars censeat, qui assident, id volumus, ju-*

bemusque. Erat autem legibus cautum (quod
Ciceronis (f) effectam legem interpretando di-
cebamus) ut rogationes de pluribus rebus divi-
derentur; nec plus quam de singulis rebus se-
mel rogaretur, ne populo necesse esset, in con-
junctis rebus compluribus, aut id quod nollet,
accipere; aut id quod vellet, repudiare. Itaque
pluribus de rebus uno fortitu referri ex lege
Cæcilia & Didia non poterat.

CAPUT XIV.

De toto suffragiorum genere.

DE suffragiis vero multa essent dicenda, quæ
nos plane ignoramus. Nam neque id ve-
teres scripserunt; quod suis temporibus res ne-
mini esset incognita: neque nos omnia collige-
re potuimus, quæ litteris singuli mandarunt.
Dicam tamen quædam illustriora: cetera mi-
nutiora divinare liceat, aut negligere. Ac qui-
dem suffragiorum genera erant tria: Voce, ma-
nu aut pedibus, & tabellis. Voce in comitiis,
ac consiliis ante leges Tabellarias populus Rom.
usus est: voce & pedibus senatus. Tabella (g)
judicium fuit, eaque triplex: Absolvendi, con-
demnandi, & quæ non liquere inscribatur. At
in comitiis punctis suffragia singulorum signifi-
cabantur: quo verbo Cicero in Planciana, &
pro L. Muræna usus est. Item testulis & fitel-
la usos Livius indicat libro XXV. (h) Leges Ta-
bellariæ quatuor tantum fuerunt, prima de
magistratibus mandandis Gabiniæ: altera Cas-
sia de populi judiciis, excepto perduellionis:
tertia Papiria Carbonis de legibus jubendis at-
que vetandis: postrema Cæcilia perduellionis.
Ante Carbonem itaque voce suffragia fereban-
tur. Quid autem in suffragio, vel voce, vel
tabella dato contineretur; observatum est, le-
gibus jubendis VII ROGAS, vetandis ANTIQVO
dictum, scriptumve esse. Livius libro sexto:
*Cum uti rogassent, primæ tribus dicerent. Et
lib. XXX. De pace uti rogatæ omnes tribus
erant, jusserunt. Et XXXVIII. Omnes tribus
uti rogasset, jusserunt, Idem lib. VIII. (i) M.
Flavius Tr. Pl. tulit ad populum, ut in Tu-
sculanos animadverteretur. Tribus omnes præ-
ter Polliam antiquarunt legem. Polliæ sen-
tentia fuit, puberes verberatos necari, con-
juges liberosque sub corona lege belli venire,
in cuius rei memoriam nullum ferme ex Polliæ
tribu candidatum Papiriam solitum ferre. Ci-
cero libro primo ad Atticum: Cum dies venisset
rogationi ex S. C. ferendæ, concursabant bar-
batuli juvenes; & populum, ut antiquaret, ro-
gabant. Piso autem Consul lator rogationis,
idem erat dissuasor. Operæ Clodianæ pontes
occuparant. Tabellæ ministrabantur, ita ut
nulla daretur VII ROGAS. Hic tibi rostra
Cato advolat, accedit Hortensius, & Eavo-
nius. Hoc concursu optimum comitia diri-
muntur. Idem libro tertio de legibus. Vos de-
mum, ut video, legem antiquastis sine tabel-
la. Improbat idem Cicero omnes leges, quæ
post*

(f) Cic.
pro domo. &
lib. 3. de le-
gib.

(g) Afcon.
lib. 3. Verri.

A. C. N. L.

(h) Cic.
lib. 3. de le-
gib.

V. R. 4.

(i) Val.
Max. lib. 9.
cap. 10.

V. R.

(a) Liv.
lib. 34.

(b) Idem
lib. 38.

(c) In
Inst. de jure
nat. §. Lex.
Cic. pro do-
mo. Gell. lib.
5. cap. 19.

(d) Liv.
lib. 22. Ad-
de lib. 30. &
38.

(e) Liv.
lib. 26.

post illas Tabellarias latae sunt, quae tegunt omni ratione suffragium: ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet. Pontes etiam lex Maria, inquit, fecit angustos; quae si opposita sunt ambitiosus, non reprehendo. De his ipsis pontibus praeter illud Capionis (a) contra Saturninum; Macrobbi verba referemus. Sed id ipsum Capionis attente considerandum est. Senatus decrevit, si L. Appulejus Saturninus legem frumentariam de semissibus & trientibus ad populum ferat, adversus Remp. videri eum facere. Saturninus ferre cepit; collegae intercedere: ille nihilominus cistellam detulit. Capio Quaestor urbanus cum viris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas deicit; impedimento est, quo secus feratur lex: accersitur majestatis. Macrobbi illud. (b) His ne tam doctis viris adimere vis in verborum Comitibus jus suffragandi, & tamquam sexagenarios, majores de ponte deicies? Et Ovidius ait: (c)

*Pars putat, ut ferrent juvenes suffragia soli:
Pontibus infirmos praecipitasse senes.*

Quae de cistis & cistella; eadem de fitella antea dicta sunt ex Livio & Cicerone in Cornelianae: Dum fitella defertur, dum aequantur fortes, dum sortitio fit. Aequantur fortes, ut ex Asconio in Miloniana cognoscimus, cum pilae, in quibus nomina inscripta sunt vel tribuum, vel centuriarum, vel curiarum, publice aequantur. Sortitio autem fit vel praerogativa, vel cum totidem punctis paria suffragia sunt, ut Cicero in Planciana scribit. Urnam Virgilius, fitellam appellat:

Quaestor Minos urnam movet. (d)

id aptius fuit his, quorum cineres urna tegebatur. M. Varro libro tertio de re rustica, finxit se comitiis Aedilicis, posteaquam suffragium tulisset, dum diriberentur suffragia, in villam publicam venisse; in ea Ap. Claudium augurem sedentem invenisse in subselliis, ut Consuli, si quid usus posceret, praesto esset. Eam villam aedificatam a majoribus scribit, ut eo succederent e campo cives, ubi cohortes ad delectum Consuli adductae confiderent, ubi arma ostenderent, ubi Censores censu admitterent populum. Et cum multa retulisset se locutum more dialogorum de villa & avibus: Clamor, inquit, fit in campo. Nos athletae comitorum cum id fieri non miraremur propter studia suffragatorum; narrat Pandolejus ad tabulam cum diriberent, quendam deprehensum tesseras conicientem in loculum: eum ad Consulem tractum a fautoribus competitorum. Tum Pavo surgit, quod ejus candidati custos dicebatur deprehensus. Paulo post venit apparitor Appio a Consule, & augures ait citari, ad extremum redit Pavo; & si vultis, inquit, anchoras tollere, latis tabulis sortitio fit tribuum: ac cepti sunt a pracone renuntiari, quem quaeque tribus fecerint Aedilem. Appius surgit, ut ibidem candida-

to suo gratularetur, ac discederet in hortos. Et post pauca: Nos haec, at strepitus a dextra; & ecceum recta candidatus noster designatus Aedilis, cui nos occurrimus, & gratulati in Capitolium prosequimur: ille inde eundo suam domum, nos nostram. Haec Varro, qui nobis imaginem quandam comitorum exprefit. Cui nos quod addamus, nihil habemus.

CAPUT XV.

De Jurejurando.

Jurare in leges saepe observatum est: (e) quod Saturninus in lege Agraria cavet; ea enim lege jubebatur, ut qui in eam non jurasset, ei aqua & ignis interdiceretur. Et in Sacrae legis, quibus Tribunos in sacro monte crearent, si Dionysio credimus, ne populo Rom. liceret eam legem abrogare, jurare omnes cives jubebantur se suosque liberos eis legibus perpetuo ufuros. Id si fecerint, propitios habeant: si fefellerint, aversos deos. Livius ejusdem sacramenti mentionem facit libro tertio: Tribunos veteri jurejurando plebis, cum primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse. Constat (f) Q. Metellum Numidicum in exilium ivisse, quod nolisset in Apulejam Agrariam, de qua dicebamus, jurare. Itaque tum jurandum erat, cum legibus cavebatur ut jurarent. Atheniensium generale sacramentum erat, ut omnes leges servarent. Apud Censores Romani, & cum in bellum exercitus educeretur, sacramento se multis modis obligabant. Sed tamen Dion libro XXXVIII. solitos fuisse dicit leges sacramento confirmare; & in Juliam Agrariam Q. Metellum Celerem, Catonem minorem, & M. Favonium Catonis imitatorem jurare noluisse; quoad poenas veriti postero die, ne ultima paterentur, jusjurandum praestitissent.

CAPUT XVI.

De conscribenda, conservandaque lege.

Perlatae legem in aes incidi, atque conservari oportebat. Cicero Philippica prima: Quod erit ita gestum, id lex erit, & in aes incidi jubebitur? Et Ovidius libro primo fabularum:

*..... nec verba minantia fixo
Aere legebantur.....*

Plautus urbane in Trinummo: (g) Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam. Eae miserae etiam ad parietem sunt fixae clavis ferreis, ubi malos mores affigi nimio fuerat aequius. Plinius (h) quoque irridet senatusconsultum de liberto Claudii Caesaris nimis serviliter factum, in quo ut in aes incidere, idque aes figeretur ad statuam loricatam divi Julii: Sic quasi foedera antiqua, inquit, sic quasi sacrae leges censebantur. Hinc Venuleii Saturnini (i) verba intelligemus: Qui tabulam, inquit, aeream legis, formamve agros

(e) Plin. de viris illust. Appian. lib. 1. civil. Dionys. lib. 6. antiquit.

(f) Flor. lib. 69. Appian. lib. 1. civil. Stob. cap. 40. Liv. lib. 43. Polyb. lib. 6.

(g) Aet. 4. scen. 3.

(h) Plin. lib. 8. Epist.

(i) L. Qui tabulam. ad L. Jul. pecul.

(a) Ad Aere. lib. 1.

(b) Macrobb. lib. 1. Saturn.

(c) Ovid. lib. 5. pastor.

(d) Lib. 6. Aenid.

rum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde immutaverit, lege Julia peculatus tenetur. Cicero (a) quoque vehementer queritur, Antonium falsas leges C. Cæsaris nomine, & falsa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curasse. Æs vero, quod aptum esset & legentibus & incidentibus, quærebatur. Itaque in tot tabulas, quot commodum erat, secabatur. Sic Duodecim (b) tabularum lex appellationem accepit: non quod duodecim leges essent, sed quod totidem tabulis conscriberetur. Numæ Regis legum tabulæ referuntur a Sex. Pompejo (c) ex secunda tabula secunda lege, vel secundæ legis. Laudatur a Suetonio Vespasianus, quod restitutionem Capitolii aggressus ærearum tabularum tria millia, quæ simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus: *Instrumentum*, inquit, *imperii pulcherrimum ac vetustissimum, quo continebantur pene ab exordio Urbis senatusconsulta & plebiscita de societate & fœdere ac privilegio cuicumque concessis*. Extant adhuc aliquot ex his tabulis, quas ad calcem hujus libri diligenter perscribi curavimus: *Segnius enim irritant animos demissa per aures*, (d) ut optimus poeta scribit, *quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus*. At Cicero (e), legum custodiam nullam haberi, queritur; easque leges esse, quas apparitores voluerint: a librariis peti; publicis literis consignatam memoriam publicam non esse. Græcos vero laudibus effert, apud quos diligentius Nomophylaces creentur; quibus ipse Censores substituit. Sane apud Aristotelem (f) longe major eorum potestas est, quam ut custodes tantum tabularum sint. Pomponius (g) id munus Ædilibus plebeiis dedit: *ut essent, inquit, qui ædibus præessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, duos ex plebe constituerunt, qui etiam Ædiles appellati sunt*. Livius (h) non plebiscitorum, sed senatusconsultorum conservandorum causa creatos scribit: ut ad ædem Cereris deferrentur, quæ antea arbitrio Consulium supprimebantur, ac vitiabantur. Dionysius (i) neutrum scribit: sed eorum munus esse, ut Tribunis subministrarent, iudicisque essent quarundam controversiarum; tum etiam sacra & publica loca, item annonam curarent. Varro quoque Ædiles esse dicit, qui ædes sacras, & privatas curarent. At Sex. Pompejus, Ædilis, inquit, *inirio dictus est magistratus, qui ædium non tantum sacrarum, sed etiam privatarum curam gerebat. Postea hoc nomen ad magistratus relatum est*. Dicitur est autem Ædilis, quod facilis ad eum plebi aditus esset. Hæc variè ab his traduntur: nos cætera persequamur.

CAPUT XVII.

De abrogatione & derogatione legum.

Diximus initio de nomine atque origine legum; item quid lex esset, & qualis, & quotuplex; partes quoque legis persecuti sumus.

Jam, quo pacto leges Romanorum fierent, accurate (ni fallor) perscripsimus, cum a quibus, & per quos, quo loco, quo tempore, qua ratione comitia haberentur, centuriata, curiata, atque tributa tradiderimus: de comitialibus diebus, de tribus nundinis, & promulgatione legis, de suadenda ac dissuadenda lege, de intercessione, & auspiciis, atque aliis impedimentis suffragiorum, de roganda denique lege, jubenda, atque vetanda, totoque ipso genere suffragiorum, de jurejurando, & de conscribenda, conservandaque lege. Nunc de abrogatione & derogatione legum, & de his, qui legibus solvebantur, dicendum est. Qua in re videndum erit, an præstet numquam id fieri; vel si fieri oportet, quando oporteat; quod ipsum multiplex est; tum de modo atque ratione tractabimus, quæque his erunt consentanea. Sed principio videamus quid ipsa abrogatio ac derogatio sit. *Derogatur legi*, inquit Modestinus (k) libro septimo regularum, *aut abrogatur. Derogatur legi, cum pars detrahitur: abrogatur legi, cum proorsus tollitur*. Cicero libro secundo de inventionione: Indignum esse de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari. Est etiam obrogandi verbum, quod magis ad abrogationem, quam ad derogationem pertineat. *Obrogare est*, inquit Pompejus, *legis prioris infirmandæ causa legem aliam ferre. Opponitur enim rogationi rogatio; derogatione vero, de ea rogatione quid tollitur: abrogatione antiquatur, atque amovetur quod rogatum erat*. Cicero libro tertio ad Atticum omnia hæc in sanctione quadam abrogationis legis Clodiæ ita scripta refert: **SI QUID IN HAC ROGATIONE SCRIPTUM EST QVOD PER LEGES PLEBISVE SCITA PROMVLGARE ABROGARE DEROGARE OBROGARE SINE FRAVDE SVA NON LICEAT NON LICVERIT QVODVE EI QVI PROMVLGAVIT ABROGAVIT DEROGAVIT OBROGAVIT OB EAM REM POENAE MVLTAEVE SIT. E. H. L. N. R.** Livius quoque eleganter verbis antiquandi & abrogandi libro vicelimo secundo usus est: *Plebiscitum*, inquit, *quo oneratus magis, quam honoratus sum, primus antiquo, abrogoque*. Magis proprie Julianus (l) in libris Digestorum: *Quid interest, inquit, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis? Quare vetustissime etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur. LEX aut rogatur, idest fertur, inquit Ulpianus in fragmentis; aut abrogatur, idest, prior lex tollitur; aut derogatur, idest, pars primæ legis tollitur; aut subrogatur, idest, adicitur aliquid primæ legi; aut obrogatur, idest, mutatur aliquid ex prima lege. Cum hæc ita se habeant, illud videamus, an leges abrogari utile, honestum, aut necessarium sit. Et (m) Charondas, ne suæ leges abrogari possent, laqueum parari voluit ei, qui abrogationem suadere vellet, ut si non obtinisset, moriendum ei esset. Is ea animi constantia, at-*

(k) Leg. Derogatur. D. de verb. signif.

(l) Leg. De quibus. D. de legib.

(m) Diod. lib. 12. bi- bistorbecæ.

que

(a) Cic. Philip. 3.

(b) L. 2. S. Exactis, de orig. juris.

(c) Sext. Pomp. vers. Reus.

(d) Horat. in arte poet. in Inst. de gradib. in fin.

(e) Cic. lib. 3. in fin. de legib.

(f) Aristot. lib. 4. cap. 14. & lib. 6. cap. 8. de Rep.

(g) L. 2. S. Itemque ut essent. de orig. jur.

(h) Liv. lib. 3.

(i) Dionys. lib. 6.

que adeo pertinacia fuit, ut cum legem tulisset, ne quis cum telo in forum veniret, & casu gladium in foro habere postea visus fuisset; neque abrogari legem, neque legibus solvi se passus est, eodemque gladio se interemit. Ab Hierocle (a) eadem lex de laqueo summis laudibus effertur. Oportet enim leges, inquit, alteros deos esse putare: ad earum iussa se omnes formare atque instituire. Ei qui, abroget, aut deroget, obviam eundum est. Nam legum contemptio & antiquatio nihil boni civibus adfert. Nil igitur temere novum recipiatur. Aristoteles (b) cum in hanc quæstionem incidisset, multa pro abrogatione argumenta proposuit; quibus cum quæ ex altera parte dici possent, retulisset, controversiam in aliud tempus dirimendam reliquit. Capita autem argumentorum contra abrogationem sunt hæc. Non dubium est, quin res novas in Remp. introducetes, Reip. commutationi obnoxii sint: Hippodami autem lex, quæ præmium novam rem licet commodam civitati reperienti dabat; item illæ, quæ abrogare leges volunt, eidem periculo valde proximæ sunt. Præterea magno detrimento Resp. afficitur, si cives facile leges abrogare soleant. Neque ita commodum est, aut utile illud nescio quid, quod in veteri lege aut deest, aut melius esse potuit, corrigere ac mutare: atque damnosum & inutile, vel potius perniciosum est, consuetudinem inducere legibus non parendi, & arbitrato singulorum facile mutandi. Neque enim verum est, ut in cæteris artibus ac disciplinis, si quid novi melius reperiat, accipiendum esse: leges enim moribus utentium comprobantur; mores autem sæpe mutari nequeunt: cæteræ disciplinæ a diuturnis moribus nihil, aut parum roboris accipiunt. Huc etiam pertinet, quod M. Cato (c) contra abrogationem legis Oppiæ dicebat: *Quam accepistis, iussistis suffragiis vestris legem, quam usu tot annorum, & experiendo comprobastis, hanc ut abrogetis, id est, ut unam tollendo legem, cæteras infirmetis? Quid attinebit universos rogare leges, quas mox abrogare, in quos latae sunt, possint?* Enumerat idem Aristoteles, (d) sæpe civitatibus nocuisse legum morumve mutationem non solum magnam & apertam, sed quæ tacite obrepisset, minimo quoque neglecto. Neque etiam deest (e) qui putet, satius esse Rempublicam minus bonis legibus, modo firmis uti, quam bonis, quæ non ita firmæ, fixæque sint. Fertur etiam, Atheniensium sacramentum fuisse, ut leges minime quisquam abrogari fineret; sed potius solus & cum cæteris legum ultor esset. Quod si vera est illorum definitio, qui putant (f) legem esse rationem summam insitam in natura, quæ jubet ea quæ faciendæ sunt, prohibetque contraria; aut iustorum, iniustorumque distinctio, ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos; aut si qua alia ratione definire veli-

mus, quæ nos antea retulimus: hæc ipsa (g) naturæ jura divina quadam providentia inter homines constituta, semper firma atque immutabilia permanere debent. Sed & si lex iusta, honesta, utilis, & Reip. accommodata esse debet, si quis ei legi contrariam tulerit, injustam, turpem, atque inutilem Reip. ferat necesse est; aut non legem abrogare dicetur, sed tunc primum legem conscribere. Quid? Quod tum de legibus judicare oporteat, cum promulgantur; receptis utendum est, & non de ipsis, sed secundum ipsas judicare debemus, etiam si duræ sint, & non nemini acerbæ. Nulla lex, inquit Livius (h) *satis commoda omnibus est: id modo quæritur, si majori parti, & in summam prodest. Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus, aut senatus consultis comprehendere*, inquit Julianus, (i) *sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita ius dicere debet.* *Judicis officium est*, inquit Aristoteles (k) *quod lege comprehendere non potest, ex bono & æquo decernere.* Illæ optimæ leges sunt, quæ minimum iudicibus relinquunt. Omnes tamen de omnibus rebus definire nequeunt. Quæ in re non legis, aut auctoris vitio peccatur: sed ita rerum natura fert, ut de quibus leges fiant, infinita sint. Infiniti autem nulla comprehensio est. Ad æquitatem ergo iudicium hæc referenda sunt: non leges accusandæ, neque novis legibus Resp. oneranda, neque veteres facile abrogandæ sunt. Huc accedunt, quæ ante oculos habemus, rerum Romanarum exempla; tam illa vetera, quam recentiora: (l) quæ omnia recte ab antiquissimo poeta uno versu comprehendebantur:

Moribus antiquis res stat Romana, virisque.

Quem quidem versum Ennius vel brevitate, vel veritate, ut Cicero libro quinto de Repub. dicebat, tamquam ex oraculo quodam esse efatus videtur. Cum enim a moribus & institutis antiquis recessum est, cum leges improbitatis quisque mutare est ausus; tum libertatem, & ceterarum provinciarum imperium amiserunt. Præclare Tacitus (m) flagitiis primum, postea legibus laborasse Rempublicam: finem æqui juris Duodecim tabulas fuisse. *Nam secuta leges*, inquit, *et si aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen dissensione ordinum, & adipiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava per vim latae sunt.* Tribonianum silentio prætereamus, in quem Virgilianum (n) carmen in ore omnium habetur. Fixit enim leges pretio, si Græcos (o) audiamus, atque, quod nobis magis perniciosum fuit, veteres novasque refixit. Hæc contra abrogationem. At vero non minus multa sunt, quæ nos abrogare, ac derogare legibus suadeant; & ut Androcles dicebat, ut marinos pisces facile, oleas oleo; ita leges legibus condiendas. Aristoteles (p) quidem optimum esse ait in omnibus disciplinis, melioribus institutionibus uti:

(g) *In Inst. de jure nat. §. Sed naturalia. l. pen. D. de just. & jure. c. Erit. dist. 4. c. In istis. ead. dist. l. Prospexit. D. qui & a quib. Vid. L. sias contra Alcib.*

(h) *Liv. lib. 34.*

(i) *Vid. l. Jus plurib. D. de just. & jure. L. Neq. leges. l. Et ideo. l. Non possunt. D. de legib.*

(k) *Arist. initio lib. 1. Rhet. & lib. 5. Ethic. cap. 9. Idem lib. 7. Politic. c. 4.*

[l] *Aug. lib. 2. de civit. Dei cap. 21.*

[m] *Cornel. Tacit. lib. 3. hist.*

(n) *Lib. 6. Æn. (o) Suid. & Hermanop.*

(p) *Arist. lib. 2. Rhetor. cap. 23. Idem lib. 2. Polit. cap. 6.*

ne-

(a) *Stobæus c. 37.*

(b) *Aristot. lib. 2. cap. 6. Politic.*

(c) *Liv. lib. 34.*

(d) *Aristot. lib. 5. cap. 3.*

(e) *Thucyd. apud Stob. c. 41. Idem Stob. ibid.*

(f) *Cic. lib. 1. de legib.*

neque dubium esse legum ferendarum, ac Reip. instituendæ, atque administrandæ disciplinam quandam esse. Tum veterum leges simplices, duræ, ac barbaræ fuerunt; quas nisi mutare liceret, multum ab humanitate discederemus. Jam vero nihil ita accurate scribitur, quin multa desint, multa minus recte tradantur, in legibus præsertim, (a) quæ ad ea, quæ frequenter & facile, non perraro accidunt, conscribuntur. Platonis (b) vero sententia mihi omnium optima visa est: ut legibus caveatur, ne juniorum quisquam quærere audeat, recte ne, an contra leges constitutæ sint; sed omnium una vox sit, optimas esse, a Diis emanasse, illis esse obtemperandum. Seniores si quid excogitaverint, magistratibus indicent: deque his rebus cum inter se verba faciant, adolescens intersit nemo. Hoc temperamento multis malis medebimur, quæ antea recensabamus, tam his, quæ a malis legibus; quam his, quæ temporum vitio, atque ex mala consuetudine mutandi, & non obtemperandi manarent. Illud negare non possumus, (c) jus illud, quod semper æquum ac bonum est, mutari non posse, neque debere, ut est jus naturale, quod gentium quoque appellamus: veluti erga Deum religio, ut parentibus & patriæ pareamus. Quod vero omnibus, aut pluribus in quaque civitate utile est, quod jus civile dicitur; id sæpe mutari solet (d) vel tacito consensu populi, vel alia postea lege lata: id si omnibus, aut pluribus semper utile est, mutari quidem non debet. Mutatur autem, quod utile esse desiit, quodque inutile videtur. Apud Livium (e) is, qui abrogationem legis Oppiæ suadebat, quando & quæ leges abrogari possent, his verbis ostendit: *Ego enim quemadmodum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis Reip. inutilem fecit: sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, ut ita dicam, & temporibus ipsis mutabiles esse video. Quæ in pace latæ sunt, plerumque bellum abrogat; quæ in bello, pax: ut in navis administratione alia in secunda, alia in adversa tempestate usui sunt.* Quod ait, aut usu, aut statu Reip. commutato, inutilem legem fieri; cum his consentit, quæ Aristoteles scribit libro quarto de Repub. usu plerumque evenire, ut Resp. ex legibus non sit popularis, moribus tamen & vivendi ratione ut popularis administratur; vel contra: propterea quod in rerum publicarum mutationibus, quæ paulatim ac sensim accidunt, eisdem omnes legibus sæpe utuntur; sæpe eas evertunt ac mutant. Ex his ergo apparet, quando, & quas leges abrogare liceat. Quod ipsum ad derogationem quoque trahitur. Forma vero eadem est, quam legibus jubendis fore diximus, eo solum excepto, quod cum moribus abrogatur, is modus necessarius est, qui in cæteris rebus, quæ usu introduci solent.

(a) L. Justin. Ex his. l. Nam ad ea. & seg. D. de legib.

(b) Plato lib. 1. de legib.

(c) L. Jus plurib. D. de just. & jure. §. Sed naturalia. in Inst. de jure nat.

(d) L. 1. in fine. & 2. D. de just. & jur. d. §. Sed naturalia. l. De quib. in fin. D. de legib.

(e) Liv. lib. 34.

CAPUT XVIII.

De iis, qui legibus solvebantur.

DE his, qui legibus solvebantur, breviter agendum; quod in Corneliis, Julia Annali, & Regia de iis multa dicemus. Est autem alterum genus ex his, cum in eisdem legibus aliquis nominatim excipitur; (f) ut in ea lege, qua peregrini Roma eiciuntur, Glaucippus excipitur: & in illa Pompeii de jure magistratum, eo capite quo a petitione honorum absentes summovebat, Cæsar exceptus est lege jam in æs incisa, & in ararium condita, ut Suetonius (g) scribit. Alterum cum quis legibus solvebatur lege, aut senatusconsulto quod initio per populum tantum fiebat, postea senatus ad populum ferri jubebat, neque ferebatur: ad extremum ne in frequenti quidem senatu id agebatur; neque, ut ad populum ferretur, scribebatur. Id C. Cornelius lege lata coercuit, licet intercessionem eidem rogationi abstulerit. (h) Huic per similes est rogatio, quæ privilegium appellatur; utrumque enim jus singulare est, quod contra tenorem rationis, ut Ulpianus (i) scribit, propter aliquam utilitatem auctoritate constituentium introductum est. De utroque illa etiam, quæ optimus declamator (k) tractat, intelligi possunt: *Negant, inquit, rogationem esse recipiendam, quæ ad singulos homines pertineat: ego porro hoc in eo iure, quod perpetuum, & in omnia tempora scribitur, existimo esse servandum. Quotiens ad præsens tantummodo tempus rogatio fertur; ne ferri quidem nisi de singulis potest. Quod si hanc tollimus consuetudinem, nec duces ad exercitus ducemus, nec provincias decernemus, nec imperia prorogabimus: omnia enim ista rogationibus ad singulos pertinentibus consumuntur.* Hos vero omnes, quos legibus solvi diximus, non omnibus legibus solutos esse credamus; sed illis tantum, quæ rogatione aut senatusconsulto continerentur. Solus princeps legibus solutus dicitur ab Ulpiano (l) libro tertiodecimo ad legem Juliam & Papiam: quod ad omnes referri plerique voluerunt. Ego vero, ad illas solum leges Juliam & Papiam respexisse Ulpianum, crediderim. Ita enim in lege Regia Vespasiani scriptum est; ut non ad omnes referatur, sed ad eas, in quibus scriptum esset, ne Divus Augustus, Tiberiusque Julius, & T. Claudius Cæsares tenerentur. VTIQVE QVIBVS LEGIBVS PLEBISVE SCITIS SCRIPTVM FVIT NE DIVVS AVG. TIBERIVSVE IVLIVS CAESAR AVG. TIBERIVSQUE CLAVDIVS CAESAR AVG. GERMANICVS TENERENTVR IIS LEGIBVS PLEBISQUE SCITIS IMP. CAESAR VESPASIANVS SOLVTVS SIT. Adicitur etiam esse, quod ex legibus principem facere oporteat; ne omnibus esse solutum, ut vulgo putemus. QVAEQVE EX QVAQVE LEGE ROGATIONE DIVVM AVG. TIBERIVMVE IVLIVM CAESAREM AVG. TIBERIVMVE CLAVDIVM CAE-

(f) Cic. in Agraria in senatu.

(g) Suet. in C. Cæsare, cap. 28.

(h) Afc. in Cornel.

(i) L. Jus singulare. D. de legib.

(k) Fabius declam. 254.

(l) L. Princeps. D. de legib.

SAREM AVG. GERMANICVM FACERE OPORTVIT EA OMNIA IMP. CAESARI VESPASIANO AVG. FACERE LICEAT. In his omnibus, quæ de legibus solvendis, & privilegiis diximus, modus adhibendus est; ut non sine magna utilitate concedatur: alioqui omnia illa mala evenient, quæ ex legum abrogatione oriri solere dicebamus. Nihil enim interest, abrogetur ne lex, an facile legibus cives solvantur. Legum quoque distinctio est, ut temporum & hominum, adhibenda.

ACILIA

REPETUNDARUM.

ASconius Pedianus libro secundo in Verrem scribit, Manium Acilium Glabrimonem legem Aciliam tulisse de pecuniis repetundis severissimam; in qua ne comperendinari quidem reum liceret. Hunc autem & Asconius, & Cicero significant ejus Glabrimonis fuisse patrem, qui, Cn. Pompejo Magno, M. Licinio Crasso Consulibus, Prætor huic eidem repetundarum judicio præerat tum, cum Verres accusatus est. Et cum idem Cicero in Sextiana Consularem fuisse hanc legem dicat; latam esse existimo anno post Urbem conditam sexcentesimo tricesimo octavo, eodem Manio, & Cajo Porcio Catone Consulibus. Ciceronis verba sunt de hac lege ad Glabrimonem Prætorum: *Fac tibi paterna legis Aciliæ veniat in mentem, qua lege populus Romanus de pecuniis repetundis optimis judiciis, severissimisque iudicibus usus est.* Et in Prætura urbana: *Ego tibi illam Aciliam legem restituo; qua lege multi semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus condemnati sunt.* (a) Ex his verbis apparet, quod antea ex Pediano retulimus de comperendinatione. Nam cum veteres tertium diem perendinum appellarent, comperendinare reum usurpabant, cum causa iterum cognoscebatur, quasi in perendinum diem differrent cognitionem. Hoc itaque repetundarum reis ab Acilio ablatum est; itaque semel dicta causa aut absolvebantur, aut condemnabantur. Hanc legem C. Servilius Glaucia Tribunus plebis abrogavit, qui primus tulit, ut idem Cicero scribit, ut comperendinaretur reus. *Namque antea, inquit, aut judicari primo poterat, aut amplius pronuntiari.* Amplius autem pronuntiabatur, cum iudices non liquere dixissent, eaque pars, in cujus oratione obscuritas videbatur fuisse, iterum causam dicebat.

Aciliam vero hoc quoque substulisse Pedianus ait, ut neque comperendinare, neque ampliare liceret; Servilia utrumque reddidit. De repetundis autem, & in Calpurnia, quæ antiquior hac est, & in Cornelia, Servilia, & Julia, quæ hodie obtinet, plura scribemus.

Tom. I.

ÆBUTIA

DE CURATIONE POTESTATEVE
MANDANDA.

LEges veteres sunt (inquit Cicero (b) Consul in P. Servilium Rullum Tr. Pl.) *neque ex Consulares, si quid interesse hoc arbitramini, sed Tribunicia, vobis, majoribusque vestris vehementer grata atque jucunda. Licinia est lex, atque altera Æbutia, quæ non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas ejus, cognatos, ad fines excipit, ne iis potestas, curatione mandetur.* De hac lege nihil amplius accipi. De Licinia suo loco.

(b) Cic. orat. 2. in Rullum.

ÆBUTIA

DE CENTUMVIRIS.

AGellius libro sextodecimo scribit, irrisum fuisse jurisconsultum, qui duodecim tabularum antiquitatem contemnebat, nisi quid in legis actionibus Centumviralium causarum lege Æbutia lata compositum esset. Ex his Gellii verbis crederem, Centumvitalia judicia hac lege fuisse constituta. Horum nomen a centum & quinque viris, qui plerasque res privatas judicabant, ductum est. Cum enim quinque & triginta tribus essent, terni ex singulis tribus electi sunt (c). Centumviri tamen dicebantur. His omnibus Decemviri, qui stlitibus judicandis dicebantur, præerant. Ad Centumviros pertinebant judicia usufructuum, tutelæ, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumlusionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stliticiorum, testamentorum, ruptorum, atque ratorum, aliarumque rerum innumerabilium. De querela inofficiosi testamenti (d), multis exemplis constat, cognitionem Centumvirorum fuisse. Augustus centumviralem hastam, quam Quæstura functi cogere solebant, Decemviris commisit, ut Suetonius scribit. Pomponius (e) tamen significare videtur, Decemviros stlitibus judicandis, ut hastæ præessent, fuisse institutos, quod mihi minus probatur; vel ipsum enim nomen docet, litibus, non hastæ solum constitutos, & antiquius nomen est, quam Augusti hasta. Stlites (f) autem, veteres pro litibus dicebant, ut stlata navigia pro latis, & stlocum pro loco. Primus L. Cornelius Sulla hasta usus est. Eum C. Cæsar, & Triumviri imitati sunt, posteriores hastam fiscalem introduxerunt. Ad Decemviros quoque pertinuisse, uti de libertate civium Romanorum cognoscerent, ex oratione pro A. Cæcina cognovimus.

(c) Sext. Pomp. vers. Centumvitalia. Cic. lib. 1. de orat.

(d) L. Qui repudiantis. D. de inoff. testament. l. Maximum. C. de liber. præter. l. ult. C. de per. hered. Cic. lib. 1. de oratore Quintil. sæpe.

(e) L. 2. §. Deinde cum esset. D. de orig. jur. Cic. in Orat. Dion. lib. 54. Quintil. lib. 1. cap. 6.

(f) Sext. Pomp. vers. Stlata. C. de fid. instr. & jure haste fise. lib. 10.

(a) Cic. in orat. pro L. Muræ.

D

ALIA

ÆLIA

DE OBNUNTIATIONE.

HÆc lex ab aliquo Tribuno Plebis lata est, post annum sexcentimum Urbis conditæ, de qua Asconius in Pisoniana: *Obnuntiatio*, inquit, *qua perniciosis legibus resistebatur, quam Ælia lex confirmaverat; P. Clodii lege, ut ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cælo servaret; sublata fuit.* (a) Cum enim auspicia de cælo servando fierent, & fas non esset cum populo agi, cum de cælo servaretur, si quis resistere legi cuperet, ne a populo acciperetur, comitiis obnuntiabat de cælo servare se. Itaque lata lege, ut comitialibus diebus fas non esset de cælo servare; tota obnuntiandi intercedendique ratio peribat. *Inspectante & tacente te* (inquit Cicero Pisoni) *a P. Clodio fatali portento prodigioque Reipublicæ lex Ælia & Fusia eversa est, propugnacula, murique tranquillitatis atque otii.* Et postea: *Centum prope annos legem Æliam & Fusiam tenueramus; quas leges ausus est non nemo improbus, potuit quidem nemo unquam convellere.* Idem post reditum in Senatu: *Quo inspectante, atque sedente, legem Tribunus Plebis tulit, ne auspiciis obtemperaretur; ne obnuntiare consilio, aut comitiis; ne legi intercedere liceret; ut lex Ælia, & Fusia ne valerent: quæ nostri majores certissima subsidia Reipublicæ contra Tribunicios furores esse voluerunt.* Item de provinciis Consularibus: *Vobis statuendum est legem Æliam manere; legem Fusiam non esse abrogatam; non omnibus fastis legem ferri licere; cum lex feratur, de cælo servari, obnuntiari, intercedi licere.* In Vatiniæ quoque, & libro secundo ad Atticum ejusdem legis mentio fit. Sed ex superscriptis satis apparet, & quo tempore lata, & quo tempore abrogata sit, & quid ea contineretur. Siquid autem deest; id in Clodiis, & Fufiis, & in Duodecim dicitur.

ÆLIA SENTIA

DE MANUMISSIONIBUS.

SEx Ælio Catulo, C. Sentio Saturnino Consulibus, hanc legem esse latam arbitror, post Romam conditam anno septingentesimo quinquagesimosexto, quo anno Tiberius adoptatus est ab Augusto, ut Paternus libro secundo scribit. Cujus sex capita animadverti.

Primum de dediticiis libertis: ut qui servus publice vinculus, aut notis inustus, aut publice verberatus fuisset, si manumitteretur, dediticiam libertatem consequeretur; neque unquam ad civitatem Romanam perveniret. Id Suetonius in Augusto, & Justinianus libro primo institutionum (b) scripserunt: *Nam qui manumittebantur, modo majorem & justam li-*

bertatem consequerentur, & fiebant cives Romani: modo minorem, & Latini ex lege Junia Norbana fiebant: modo inferiorem, & fiebant ex lege Ælia Sentia dediticii. Quem locum Theophilus omnium optime interpretatur, ut ex Cajo (c) & Paulo cognovimus. Eandem interpretationem recipiunt Ulpiani verba libro primo ad legem Æliam Sentiam: *Verum est, eum, qui in carcere clusus est, non videri neque vinculum, neque in vinculis esse, nisi corpori ejus vincula sint adhibita.* Dediticiorum numero sunt, inquit Ulpianus (d) in fragmentis, *qui pœnæ causa vinciti sunt a domino; quibusve stigmata inscripta fuerunt; qui propter noxam torti, nocentesque inventi sunt; quive traditi sunt, ut ferro, aut cum bestiis depugnarent, vel in custodiam coniecti fuerunt; deinde quoquo modo manumissi sunt: idque lex Ælia Sentia facit.* Dediticii a veteribus dicebantur, qui aut sponte sua deditioem fecissent, ut Campani apud Livium libro septimo: aut cum bellum a sociis, aut fœderatis timeretur, ut apud Florum libro quadragesimo nono de Carthaginiensibus. Exstat apud eundem Livium libro primo Collatinorum deditioem vetus formula hæc: *Rex interrogavit: Estis ne vos legari oratoresque missi a populo Collatino, ut vos, populumque Collatinum dederetis? Sumus. Est ne populus Collatinus in sua potestate? Est. Deditis ne vos, populumque Collatinum, urbem, agros, aquas, terminos, delubra, utensilia, divina, humanaque omnia in meam, populi que Romani ditionem? Dedimus. Et ego recipio.* (e) Hoc caput, cum dediticii nulli essent, civitate Romana omnibus data, ab Justiniano abrogatum est.

Alterum caput erat, (f) ut manumissiones in fraudem factæ non valerent, uno excepto herede. Namque is qui solvendo non est, potest ex hac lege servum instituere cum libertate, qui ei necessarius heres fiat, ut Justinianus eodem libro, Paulus libro primo ad legem Æliam Sentiam scripserunt. Idem ait libro quinquagesimo septimo ad edictum, ita demum hanc legem conservare libertatem, si nemo alius ex eo testamento heres esse potest. Itaque si servo liber homo, aut is, cui libertas ex fideicommissio debetur, substitutus sit; a secundo gradu incipiendum erit. Celsus quoque libro vicesimo nono Digestorum scribit hac lege caveri, ut si duo, pluresve ex eadem causa heredes scripti sint, uti quisque primus scriptus sit, heres sit. Idem Ulpianus in fragmentis confirmat; eumque servum xxx. annis minorem, & qui in ea causa sit, ut dediticius fieri deberet, civem Romanum & heredem fieri.

Eadem lege (g) domino viginti annis minori non aliter manumittere permittitur, quam vindicta, si apud consilium justa causa manumissionis adprobata fuerit, ut Justinianus ait, a quo permultæ manumissionis justæ causæ enumerantur. Lælius Felix libro primo ad Quintum Mucium, relatus apud Gellium libro quin-

(c) Cajo lib. 1. Insti. Paul. lib. 4. senten. tit. de manumiss.

(d) l. Verum. D. de verb. signif.

(e) L. un. C. de dedit. liber. & d. §. ult.

(f) l. In fraudem. C. de test. man. l. 1. C. qui man. non pos. In Inst. quib. ex caus. man. non lic. in prin. l. Si is qui solvendo. 1. & 2. D. de her. inst. l. Qui solvendo. eod. tit.

(g) d. tit. quib. ex caus. §. Eadem lege. Vide Dion. lib. 55.

(a) Cic. pro domo, & de Arusp. respon. & in Vatini.

(b) In Insti. de liber. zin. §. ult.

to decimo: *Qui non universum populum, sed partem aliquam adesse jubet, non comitia, sed consilium edicere, inquit, debet.* Quibus verbis constat consilium significare eos, qui, ut de causis manumittendi cognoscerent, cum Præ-tore aut Præside convenerant. Unde etiam Con-filiarii, adfessoresque appellati postea sunt, (a) qui ad hujuscemodi consilia deligerentur. *In consilium adhibentur, inquit Ulpianus in frag-mentis, Romæ quinque Senatores, & quinque equites Romani; in provincia viginti recuperatores cives Romani.* Eadem lege cautum esse ait, ut minor triginta annorum servus vin-dicta manumissus civis Romanus non fiat, nisi apud consilium causa probata fuerit: testamen-to vero manumissum perinde haberi, atque si domini voluntate in libertate esset; ideoque Latinum esse. De vindicta autem in Junia Norbana lege dicemus.

(a) D. & Cod. de ad-fessor.

(b) L.A. digere. l. Qui contra de jure pa-tron. l. Qua-situm. D. qui & a quib. l. 3. §. Si quis. de suis & leg. d. l. Adige-re. in fine.

(c) L. ult. qui & a qui-bus. d. l. Adige-re.

(d) L. Ju-lianus. de bonis liber.

(e) L. Sæ-pe. de verb. sign. l. Sci-endum est. eo. tit. Vid. Dion. lib. 55.

(f) L. Si patronus. de bon. liber.

Alio capite (b) prohibetur patronus adigere jurejurando, ne nubat, vel liberos tollat libertus. Nam & ipse & liberi ejus jus patro-natus perdunt, ut Paulus ait libro secundo ad eandem legem: qua de re Terentius Clemens libro quinto ad legem Juliam & Papiam, & Ulpianus libro quartodecimo ad Sabinum scri-pere. Id jusjurandum lege Julia de maritandis ordinibus remitti constat.

Eadem lege prohibentur patroni libertos obligare, ut mercedem operarum præstent one-randæ libertatis causa. Non tamen prohibentur hac lege patroni a libertis mercedes capere, sed eos ita obligare; quod idem Clemens libro octa-vo refert. Idem ait, quod Paulus (c) quoque libro secundo scribit: *Si quis stipulatus est a liberto centum operas, aut in singulas aureos quinos dari; non videri contra legem stipula-tus, quia in potestate liberti est operas dare.* Huc etiam pertinet, quod Julianus (d) ait apud Ulpianum libro undecimo ad legem Ju-liam, non dari contra tabulas testamenti liberti filio bonorum possessionem, cujus pater donum, munus, operas liberto revendiderit: quod fac-ile credimus a Præ-tore adjectum fuisse. Ejus enim verba apud Paulum relata sunt libro quin-quagesimonono ad edictum.

Illud etiam hujus legis est, (e) quod mul-tis locis proditum est, de ingratis libertis in servitutem redigendis. Ita enim Paulus scribit libro LXXIII. ad edictum: *In lege Ælia Sentia filius heres proximus potest libertum paternum, ut ingratum accusare, non etiam si heredi heres existiterit.* Et ex contrario li-bertus, si patronus eum non aluerit, potest ex hac lege libertatis causa imposita non præstare; hereditatemque legitimam patronus amittit, ut Modestinus (f) scribit libro singulari de ma-numissionibus. Ad hanc legem Ulpianus libros quatuor, Paulus tres conscripsere; ex quibus permulta exstant variis Digestorum locis. Sed & libro quadragesimo titulus est: *Qui & a qui-bus liberi non fiunt, & ad legem Æliam Sen-tiam, sub quo legis materia collecta est.* Vi-denda denique est Novella CLXII. Justiniani

cap. i. qua hujus legis caput quoddam repre-henditur, quo videbatur denegare uxori actio-nem ex donatione viri, constante matrimonio.

Æ M I L I A

D E C E N S O R I B U S.

INitium Censuræ exstat apud Livium libro IV. M. Geganio Macerino iterum, T. Quin-ctio Capitolino quintum Consulibus. Morum & disciplinæ Romanæ penes eam regimen fuit; fenatus equitumque centuriæ, decoris, dedeco-risque discrimen, publicorum privatorumque locorum jus, vectigalia populi Romani ab ejus nutu atque arbitrio pendebant. (g) Hæc cum initio quinquennalis fuisset, Mamercus Æmilius Dictator iterum post novem annos legem tulit, ne plus quam annua ac semestris Censura esset. Censores C. Furius Pacilus, M. Geganius Ma-cerinus id ægre passi; Mamercum, quod ma-gistratum populi Romani minuisset, tribu mo-verunt, censuque octuplicato, ut Livius scribit, ararium fecerunt. Fuit is annus trecentesimus nonusdecimus Urbis. Ususque est ea lege po-pulus Romanus annos centum & viginti, ad Appium Claudium Cæcum, C. Plautium Ve-nocem, qui lustrum vicesimum sextum fecerunt. Etenim post decem & octo menses Censuræ cum C. Plautius se antea abdicavisset, Appius noluit, magnaue ei cum P. Sempronio de ea re contentio fuit, Q. Fabio Maximo Rulliano iterum, C. Marcio Rutilo, qui postea Censo-rinus appellatus est, Consulibus, post Romam conditam anno quadringentesimo quadragesi-motertio. Quæ omnia diserte a Livio libro no-no tradita sunt. Clodii quoque lege Censura debilitata est, & Cæsarum imperio plane abo-lita. De qua re alius erit scribendi locus.

(g) Vid. Liv. lib. 45.

Æ M I L I A

S U M P T U A R I A V E L C I B A R I A.

MÆmilii Quincti filii, Marci nepotis; Lepidi, qui Consul cum Q. Lutatio Catulo fuit anno Urbis sexcentesimo septuage-simo quinto, plures rogationes fuerunt, sed tur-bidæ, ut Tacitus libro tertio ait, hoc est, se-ditionis & tumultus plenæ, quibus acta Sullæ rescindere concupivit, ut Florus libro nonage-simo Livianæ epitomes, & libro tertio rerum Romanarum scribit. Appianus tamen agros tan-tum prioribus dominis restituere tentasse affir-mat. Inter omnes constat bellum civile excita-se, quo a Q. Catulo collega, & a Cn. Pom-pejo Magno oppressus est. Sumptuaria lex a Gellio (h) & Macrobio Æmilia refertur: qua lege non sumptus cenarum, ut aliis, sed cibo-rum genus & modus præfinitus est, quamobrem cibaria quoque appellatur. Cato tamen sum-ptuarias omnes, ut Macrobius refert, cibarias appellabat. Sed vereor, ne non hæc Æmilia sum-ptuaria ad M. Æmilium Scaurum referenda sit, qui

[h] Gell. lib. 1. cap. 24. Macr. lib. 3. cap. 17.

qui de sumptibus, & de libertinorum suffragiis tulit in Consulatu anno sexcentesimo tricesimo-octavo, auctor est Plinius, sive quis alius, in libello de viris illustribus. Apertius Plinius Major libro octavo naturalis historiae: *Glives*, inquit, *Censoriae leges, princepsque M. Scaurus in Consulatu non alio modo cenis ademere, quam conchilia, aut ex alio orbe convectas aves.* Hanc legem Julia secuta est, de qua, ut de ceteris sumptuariis, postea. Illud quod a Prisciano libro nono ex Æmilii Porcinæ oratione, uti lex Æmilia abrogaretur, relatum est, quo sit referendum, incertum est. Et quidem M. Æmilius Porcina Consul fuit cum C. Hostilio Mancino, sed his temporibus, ut neque ad superiorem de Censoribus, neque ad has ipsas Lepidi & Scauri referri possit, anno post Romam conditam sexcentesimo sextodecimo. Sed potuit alius ex eadem familia esse, eodemque cognomine; item alia lex esse, de qua nobis nondum constat.

ÆTERNIA DE MULTIS.

De hac lege in Tarpeja Æternia videndum est.

AGRARIÆ LEGES.

De his in Cassia, Licinia, Flaminia, Sempronii, Appuleja, Servilia, & Juliis.

AMBITUS LEGES.

In Petilia, Bæbia, Calpurnia, Tullia, Pompeja, Julia.

ANNALIS VEL ANNARIA.

Videnda lex Julia Annalis.

ANNONIANÆ

VEL FRUMENTARIÆ.

Hæ in Sempronii, & Clodiis, atque Appuleiis quaerendæ.

ANTIÀ SUMPTUARIA.

Hanc legem post Æmiliam, & ante Juliam Antius Restio tulit, quæ præter sumptum æris, id etiam sanxit, ut qui magistratus esset, magistratumve capturus, ne quo ad cœnam, nisi ad certas personas itaret: ita enim Gellius & Macrobius tradiderunt. Hanc, nullo abrogante, populus irritam fecit: latroque legis foris postea nunquam cœnasse dicitur; ne testis fieret contemptæ legis, quam ipse tulisset.

APPULEJA

DE MAJESTATE.

Cicero libro secundo de Oratore refert: C. Norbanum majestatis accusatum lege Appuleja, qua minuens majestatem plectebatur, accusavit P. Sulpicius, defendit M. Antonius optimus orator, odioque magis Q. Servilii Cæpionis,

in quem seditio fuerat concitata, quique legem judicariam tulerat, absolutus est; quam causa, qua maxime premebatur. Dixit in C. Norbanum testimonium M. Scaurus princeps Senatus, (a) neque tamen tanta auctoritate, aut religione vir, quidquam nocuit. Majestatis leges aliæ fuere magis celebres, Varia, Cornelia, & Julia. De hac vero nihil amplius accepi.

[a] Val. Max. lib. 8. cap. 5.

APPULEJA

FRUMENTARIA ET AGRARIA.

L Appuleii Saturnini pleræque leges fuere in Tribunatu latæ, quem triennio continuavit per vim ac seditionem. Eisdem enim tumultus excitabat eisdem legibus, aut valde similibus iis, quæ Sempronii Gracchis perniciem attulerant. Sed repressus hic furor est, C. Mario sextum, L. Valerio Flacco Consulibus, anno sexcentesimo quinquagesimotertio; auctorque legum Tribunus occisus est; qua in re omnes conveniunt. (b) Legibus referendis non modica discrepantia est. Namque libro primo ad Herennium scriptum est, legem frumentariam de semissibus, & trientibus ferre eum coepisse: quod ex his, quæ de Sempronia Florus & Pedianus scribunt, ita accipio, ut semisse & triente tritici hordeique modius daretur. Sed hanc legem Q. Servilium Cæpionem Quæstorem Urbanum impedivisse, tum Senatam docendo ararium non posse pati tantam largitionem, tum etiam facto Senatusconsulto, si eam legem ad populum ferret, adversus Rempublicam videri eum facere; & collegis intercedentibus, ipsoque perseverante cistellam deferre, Cæpionem cum aliis viris bonis impetum fecisse, pontes disturbasse, cistas dejecisse, impedimentoque fuisse, quominus lex ferretur. Sed si hæc lex non tenuerit, sive tota efficta a rhetore sit; L. Pisone, A. Gabinio Consulibus, a P. Clodio Tribuno Plebis remissi trientes, semissesque sunt, quos Sempronia lex introduxerat; justumque est, ut gratis frumentum populo daretur. Agraria varie a multis refertur: (c) sunt enim qui scribant tulisse eum (ut gratiam Marianorum militum pararet) ut veteranis centena agri jugera in Africa dividerentur; ut Achaja, Macedonia, Sicilia novis colonis destinaretur; ut aurum Tolosanum dolo, scelereque Cæpionis partum ad emptionem agrorum converteretur; ut aqua denique & igni ei, qui in leges has non jurasset, esset interdictum. Appianus eam tantum partem refert, qua ea Gallia pars, unde Cimbros Marius ejecerat, dividi iussa est: alii agrariam tantum, alii Semproniam instauratam scribunt. Illud nemo negat, leges has per vim latas, abrogatasque postea fuisse.

[b] Cic. in orat. pro C. Rabir. perduel. reo. Appian. lib. 1. bel. civil. Eutrop. lib. 5. Flor. epi. Livii lib. 19. & lib. 3. c. 16. ver. Rom. Plutar. in Mario.

(c) Plin. in lib. de viis illust. Cicer. pro Balbo.

AQUIL-

AQUILLIA

DE DAMNO INIURIA.

Aquillius Tribunus Plebis hanc legem a plebe rogavit, ut Ulpianus (a) scribit libro octavodecimo ad edictum; & Justinianus atque Isidorus referunt. Quis tamen hic Aquillius, quoque tempore fuerit, ignoratur. Sunt qui arbitrentur C. Aquillum Gallum (b) fuisse, cujus sunt illa de dolo malo, de posthumorum institutione, de stipulatione: sed mihi jurisconsultorum formulæ illæ esse videntur, hoc autem plebiscitum; de cujus rogatione nullum certum auctorem habeo quem sequar. Hujus autem legis verba Cajus in libris ad edictum provinciale refert. Capite primo ita cavetur: **QVI SERVVM SERVAMVE ALIENVM ALIENAMVE QVADRVPEDEM VEL PECVDDEM INIVRIA OCCIDERIT, QVANTI ID IN EO ANNO PLVRIMI FVIT TANTVM AES DARE DOMINO DAMNAS ESTO.** Deinde cavetur, ut adversus inficiantem in duplum actio sit. Secundi capituli, quia in desuetudinem abiit, ut Ulpianus & Justinianus (c) scribunt, verba ejusve sententia non extat. Tertio capite ait lex: **CAETERARVM RERVVM PRAETER HOMINEM ET PECVDDEM OCCISOS SI QVIS ALTERI DAMNVN FAXIT QVOD VSSERIT FREGERIT RVPERIT INIVRIA, QVANTI EA RES ERIT IN DIEBVS TRIGINTA PROXIMIS TANTVM AES DOMINO DARE DAMNAS ESTO.** De horum verborum interpretatione legenda sunt quæ eleganter ad hanc legem, & in Digestis, & in Constitutionibus, & institutionibus, exstant. Apud declamatores (d) non dissimilis lex fingitur. **DAMNI INIVRIA DATI SIT ACTIO.** Item illa: **QVI SCIENS DAMNVN DEDERIT REDDAT QVADRVPLVM: QVI INSCIENS SIMPLVM.** Cicero in Bruto Aquillia legis mentionem facit, & nisi mendum in ejus verbis sit, non eadem lex est: *Eodem tempore, inquit, accusator de plebe L. Casidenus fuit, quem ego audivi jam senem; cum ab L. Sabelio multam lege Aquillia de justitia petivisset.*

ATILIA MARCIA

DE TRIBUNIS MILITUM.

Post Romam conditam anno quadragesimo quadragesimo secundo, C. Junio Bubulco Bruto tertium, Q. Æmilio Barbula iterum Consulibus, L. Atilius, & C. Marcius Tribuni Plebis tulerunt, ut Tribuni militum fenidemi in quatuor legiones a populo crearentur; quæ antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, Dictatorum & Consulium ferme fuerant beneficia. Hæc Livius libro nono scribit. Polybius tamen libro sexto non fenosdenos, sed quaternos, & vicenos creari solitos scribit; denos, qui dena stipendia fecissent; quaternos & denos, qui quina. Auctum itaque numerum, credendum est.

ATILIA

DE TUTORIBUS DANDIS.

Si cui nullus omnino tutor fuerat, ei datur, in Urbe quidem a Præatore Urbano, & a majore parte Tribunorum Plebis, tutor ex lege Atilia; in provinciis vero a Præsidibus provinciarum ex lege Julia, & Titia. Hic Atilianus tutor dictus est; qui neque ex testamento, neque legitimus fuit. Sed ex his legibus tutores pupillis dare desierunt, posteaquam primo Consules tutores ex inquisitione dare cœperunt; deinde Prætores ex constitutionibus. Hæc Justinianus libro primo Institutionum. (e) Sed & Suetonius ait T. Clodium primum jussisse, ut pupillis extra ordinem tutores a Consulibus darentur: & Julius Capitolinus a M. Antonino Prætozem tutelarem introductum esse; de cujus officio Ulpianus, & Paulus singulares libros scripserunt. Ex his constat, Atiliam usque ad Claudium tenuisse. Quid vero a Justiniano constitutum sit, in Julia, & Titia dicemus. Antiquam fuisse hanc legem, ex Livio libro trigelimonono cognoscimus. Is enim scribit, Sp. Postumio Albino, Q. Marcio Philippo Consulibus, anno post Romam conditam quingentesimo sexagesimoseptimo, Hispalam post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutorem a Tribunis, & Præatore petisse. Ulpianus in fragmentis: *Lex Atilia jubet mulieribus, pupillisve non habentibus tutores, dari a Præatore, & majore parte Tribunorum Plebis.*

(e) In Inst. de Atilia tutor. in princ. & §. Sed ex his.

ATINIA

DE TRIBUNIS PLEBIS.

Hæc lex lata est, ut arbitror, a C. Atiniano Labeone Tribuno Plebis, C. Claudio Pulchro, M. Perperna Coss. anno Urbis fexcentesimo vicesimotertio. Hic enim Tribunus eo anno Q. Cæcilium Metellum Macedonicum Censorem, a quo in Senatu legendo præteritus fuit, de saxo deici jussit: sed ceteri Tribuni auxilio Metello fuerunt. Metelli collega Q. Pompejus fuit, uterque e plebe; quod tum primum accidit. Hæc ex Cicerone in oratione ad Pontifices, & ex Floro libro quinquagesimonono, qui legis nostræ nullam faciunt mentionem. At vero A. Gellius libro quattodecimo Capitonem Tuberoni contra Mucii sententiam adsentiri scribit, ut Præfectus Urbis Latinarum feriarum causa relictus Senatui habere possit. Namque & Tribunis Plebis Senatus habendi jus erat, quamquam Senatores non essent ante Atinium plebiscitum. Ex his verbis apparet, Atinia lege Senatores esse Tribunos factos, eosdemque posse senatum habere: quod Varro quoque apud eundem Gellium scribit. (f)

(f) Gell. lib. 14. cap. 7. & 8.

ATI-

(a) L. 1. D. ad l. Aquil. in Inst. eo. tit. §. Illud. Nov. 18. Auth. de trien. & semiss. §. Studium. Isid. lib. 5. Erhim. Cic. lib. 3. Off. & lib. 3. de nat. deor.

(b) L. Gallus. de lib. & post. l. Et uno. D. de accepti. in Inst. quib. mod. tol. ob. §. Est autem. l. 2. D. eod.

(c) L. Si servus servum §. Hujus D. eod. in Inst. eod. tit. §. Caput.

(d) Fabius declam. 13. alter Fabius 383. Senec. lib. 3. declam. 6. & lib. 5. declam. 5.

A T I N I A

D E U S U C A P I O N E .

(a) L. Non so- lum. in princ. D. de usurp. & usucap. in Inst. eod. §. Furtiva. (b) L. Sequitur. §. Quod autem. eod. tit. (c) L. Potestatis. de verb. signific. (d) L. Verbum erit. de verb. signific. (e) L. ult. D. de evict. l. ult. de pign. action.

Furtivarum rerum, ut Julianus, & Justinianus scribunt, (a) lex Duodecim tabularum, & lex Atinia inhihent (b) usucapionem; vi possessorum lex Julia, & Plautia. Paulus quoque libro quinquagesimoquarto ad edictum scribit: *Quod autem dicit lex Atinia, ut res furtiva non usucapiatur, nisi in potestatem ejus, cui subrepta est, revertatur: sic acceptum est, ut in domini potestatem debeat reverti.* Idem (c) libro singulari ad legem Fufiam Caniniam: *In lege Atinia, inquit, in potestatem domini rem furtivam venisse videri, si ejus vindicandæ potestatem habuerit, Sabinus & Cassius ajunt.* Referuntur ab Gellio libro septimodecimo legis hujus, quam veterem appellat, verba. **Q**UOD SVBREPTVM ERIT, EIVS REI AETERNA AVCTORITAS ESTO. *Quis aliud, inquit, putet in hisce verbis, quam de tempore futuro legem loqui? Sed Q. Scævola patrem suum, & Brutum, & Manilium viros apprime doctos quæsisse ait, dubitasseque, utrumne in post facta modo furta lex valeret, an etiam in ante facta: quoniam QUOD SVBREPTVM ERIT, utrumque tempus videretur ostendere, tam præteritum, quam futurum.* Verba Q. Mucii referuntur, ni fallor, a Pomponio (d) libro vicesimosexto ad Q. Mucium: *Verbum, Erit, interdum etiam præteritum, nec solum futurum tempus demonstrat: quod Pomponius multis exemplis confirmat. Auctoritas autem in hac lege eodem pacto accipitur, atque in Duodecim ADVERSUS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS; & apud Ciceronem in Topicis: Quoniam usus auctoritas fundi biennium est, sit etiam adium.* Licet Venulejus & Scævola (e) in aliam rationem hoc verbo utantur. Hujus quoque legis mentio fit a Cicerone in Prætura urbana.

A U R E L I A

D E T R I B U N I S P L E B I S .

Tres fratres germani Aurelii Cottæ fuere, qui Consulatum intra decennium adepti sunt; C. Cotta, qui cum L. Octavio Cn. F. Consul fuit anno Urbis sexcentesimo septuagesimo octavo; Marcus, qui ei successit, collega Luculli, & L. collega L. Manlii Torquati. Cui legem Cicero & Asconius referunt in Cornelianâ: ut quod L. Cornelius Sulla Dictator contra Tribunos Plebis tulisset, ne alios magistratus eis capere liceret, abrogaretur. Qua lege Consul plebi gratificatus est, optimates offendit; licet, ut Cicero scribit, paulum dignitatis eis, non potestatis addiderit. Aliæ leges aliis de rebus ab eodem latæ, ipso postulante, abrogatæ sunt. De Tribunicia potestate restituta in Sicinia scribemus.

A U R E L I A

J U D I C I A R I A .

MLicio Crasso, Cn. Pompejo Magno Cottam Prætorem ad equites Romanos translata sunt, ut Florus scribit libro nonagesimo-septimo. Is est L. Cotta, de quo supra scripsimus. Sed Pedianus & Paterculus, (f) non ad equites translata, sed communicata esse judicia, significant. Nam cum Sempronia lege a C. Graccho lata, equites annos fere quinquaginta judicassent, decem Cornelia Senatores, quod Cicero in Verrinis significat; L. Cotta, ut Senatores, Equites & Tribuni Ærarii judicarent, ad populum tulit. Sed Pompejus secundo Consulatu legem promulgavit, ut ex amplissimo censu, & centuriis lecti iudices, æque tamen ex eisdem tribus ordinibus judicarent; & Cæsarem ipsos Tribunos a iudicandi munere amovisse, Suetonius auctor est. Hos autem ex equitibus fuisse Plinius significat libro trigesimaltertio: *Divo, inquit, Augusto decurias ordinante, major pars iudicum in ferreo anulo fuit, qui non equites, sed iudices vocabantur. Equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum. Iudicum quoque non nisi quatuor decuriæ fuere primo. Decuriæ quoque ipsæ pluribus discretæ nominibus; Tribunorum æris, & Selectorum, & Iudicum. Propter hoc etiam num Nongenti vocabantur ex nominibus selecti ad custodienda suffragiorum scita in comitiis.* Varro originem nominis ostendit: ut cum tributum dictum sit, quod ea pecunia, quæ a populo imperata erat, tributim a singulis pro portione census exigebatur, eaque adsignata, attributum dictum est: *Ab hoc, inquit, quibus attributa erat pecunia, ut militi reddant, Tribuni Ærarii dicti sunt.* Sed & Pedianus in Prætura urbana, eisdem pecuniam ex Ærario in militum stipendium capere, & Quæstoribus, qui in provincias mittuntur, adsignare scribit. (g) Ex his apparet non male scriptum esse, Cottam ad equites transfuisse; cum majori ex parte equites judicarent.

B Æ B I A

D E P R Æ T O R I B U S .

Constat (h) Prætorem eo tempore fuisse creatum, quo primum de Plebe Consul creati lege Licinia placuit: sed initio tantum unum; cui adiectus est alter Peregrinus, qui inter peregrinos & cives jus diceret, circa Urbis annum quingentesimum & decimum, post primum Prætorem anno centesimo vicesimoquarto. (i) Non post multum temporis spatium quatuor Prætore jus dixerunt. (k) His provinciæ singulis annis committebantur, Urbana, peregrina, Sicilia, Gallia, quæ etiam

(f) Ascon. Ped. in orat. pro Cornel. & lib. 2. in Verrem, & in Pisonem. Patere. lib. 2.

(g) Adde Gell. lib. 7. cap. 10.

(h) L. 2. §. Deinde cum placuisset. D. de orig. jur. Liv. lib. 6. & 7. (i) Flor. epit. Liv. 19. & 20. (k) §. Capta. ead. l. 2. Liv. lib. 32.

Ari.

Ariminum dicebatur. Sex Prætores primum creati, C. Cornelio Cethego, Q. Minucio Ruffo Consulibus, provinciæque traditæ præter superiores utraque Hispania, sed pro Gallia Sardinia commissa fuit. Ab hoc tempore, ad L. Manlii Acidini Fulviani, & Q. Fulvii Flacci, qui fratres germani fuerunt, Consulatum, feni Prætores per eos octodecim annos creati sunt. Erat is annus duorum fratrum Consulatus, Urbis quingentesimus septuagesimus quartus, quo Livius (a) ait lege Bæbia, qua de agimus, quatuor post multos annos creatos esse; ea alternis quaternos creari jubebat. Sed an alio tempore recepta fuerit, incertum est. Bæbii Tamphili paulo ante duo Consules fuerant fratres germani, Cn. & Marcus, Quinti filii, Cnei nepotes; ille L. Æmilii Pauli collega fuit, hic P. Cornelii Cethegi. Sed præter leges de Ambitu, quas P. Cornelius, M. Bæbius Consules ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, nihil aliud relatum invenio. Fieri potuit, ut alter eorum eam tulerit, aut alius in Tribunatu Plebis: neque enim alios eo nomine Consules fuisse accepi. Prætorum numerum Cornelius Sulla auxit, & Cæsares, ut a Pomponio (b) traditur; & ad decem & octo Prætores perventum est.

fui juris esset, lege lata ad populum fiebat: lex vero nisi trinis nundinis proposita fuisset, non recte lata erat. Nundinæ dicebantur rusticorum feriæ, quibus nono quoque die in urbem rustici conveniebant, ut Rutilius apud Macrobius scribit. Hæ fastæ deinde lege Hortensia factæ sunt, ut Prætori jus dicere rusticis quoque liceret. Jure igitur Cicero queritur, trinundinum in P. Clodii adoptione non esse servatum. Idem Philippica quinta: *Nonne ante, inquit, lata, quam scripta? non ne ante factam vidimus, quam futuram quisquam est suspicatus? Ubi lex Cæcilia & Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi pene recentes lex Junia, & Licinia?* De separandis capitibus rogationum idem Cicero (e) in eadem illa oratione pro domo: *Nonne fieri poterat, ut populo de Cyprio Rege placeret, de exulibus Byzantinis displiceret? Quæ est quasi alia vis, quæ sententia Cæciliæ legis & Didie, nisi hæc, ne populo necesse sit in conjunctis rebus compluribus, aut id, quod nolit, accipere; aut id, quod velit, repudiare?* Huc pertinet quod idem ait libro secundo ad Atticum: *Orbis hic in Rep. est conversus culpa Catonis; sed rursus improbitate istorum, qui auspicia, qui Æliam legem, qui Juniam & Liciniam, qui Cæciliam & Didiam neglexerunt.*

(a) Livius lib. 10.

(b) d. l. 2. d. S. Capta.

(e) Val. den. Cic. lib. 3. de legib.

CÆCILIA

REPETUNDARUM.

(c) Val. Max. lib. 6. c. 6. & Fast. Capitol.

Post Calpurniam, (c) quæ prima de repetundis lata est, Cæciliam fuisse apparet. Hac enim lege L. Cornelius Lentulus Lupus, qui Consul cum C. Marcio Figulo fuerat, anno Urbis quingentesimo nonagesimo septimo, damnatus est. Censor tamen post novem annos fuit, quam Consul cum L. Marcio Censorino, & lustrum quinquagesimum sextum fecit. Hanc Acilia, & cæteræ secutæ sunt.

CÆCILIA ET DIDIA

DE LEGIBUS FERENDIS.

Consularem hanc legem appellat Cicero in oratione pro P. Sextio: quamobrem arbitror latam esse anno post Romam conditam sexcentesimo quinquagesimo quinto, Q. Cæcilio Metello, T. Didio, Titi filio, Sexti nepote Coss. Eam de legibus ferendis fuisse credidi, qua caveretur, uti trinis nundinis proposita lex esset, antequam ferretur: utique diversa capita separarentur, atque alia id genus. Ciceronis verba sunt in oratione de domo: *An etiam apertius aliquod jus populi, atque legum? Si quod in cæteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est trinum esse horarum: nihil reprehendo. Sin eadem observanda sunt: decrevit Senatus, M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ essent, populum non teneri. Ante Cæsarum principatum (d) adoptio ejus, qui*

(d) Dion. lib. 65. & 66. Gell. lib. 5. Cap. 19.

CÆCILIA METELLA

DE FULLONIBUS.

EX Plinio libro trigésimosexto. scimus Metellam legem fullonibus dictam, quam C. Flaminius, L. Æmilius Censores dedere ad populum ferendam, Metello, ut arbitror, Tribuno Plebis. Fuere hi Censores anno quingentesimo trigésimotertio; lustrumque fecerunt tertium & quadragesimum, ut ex Livio libro vicésimotertio, & ex Consulibus fastis nuper effossis cognovimus. Quid ea lege contineretur, ignoramus.

CÆLIA TABELLARIA

PERDUELLIONIS.

Quatuor Tabellarias leges Cicero libro tertio de legibus enumerat, Gabiniam, Cassiam, Papiriam, Cœliam. His sancitum erat, ut populus non voce, sed tabella suffragium ferret; Gabinia in magistratibus mandandis, Cassia in judiciis publicis, excepto perduellionis; Papiria in legibus, Cœlia in ipso illo iudicio perduellionis. Hoc crimen (f) nos vix a majestatis crimine distinguimus, quo hostium numero habebatur, qui Rempublicam hostili animo læsisset. Quos enim nos hostes dicimus, eos veteres perduelles appellabant, quasi eos, cum quibus duellum esset. Sic enim bellum quoque appellatum est, ut Cajus (g) libro secundo ad legem XII. tabularum, & Cicero sæpe scri-

(f) In Inst. de hered. que ab intest. d. §. Interdum. l. ult. D. ad l. Jul. majest.

(g) L. Quos nos, de verb. sign. Cic. lib. 1. Offic. & in Oratore.

scripserunt. Exstat ejusdem Ciceronis oratio, qua C. Rabirius hujus criminis reus apud populum Romanum, a M. Tullio Consule defenditur.

CALPURNIA

REPETUNDARUM.

(a) Cic. lib. 2. Offic. & in Bruto. & in Frumen. & de signis, in Verrem.

DE pecuniis repetundis primum lata lex est (a) a L. Calpurnio Pisone Frugi, Tribuno Plebis, L. Marcio Censorino, M. Manilio Coss. initio tertii belli Punici; quam secutæ sunt Cæcilia & Acilia, & aliæ pleræque; quibus provinciæ a rapinis magistratum nonnumquam vindicatæ fuerunt.

CALPURNIA

DE AMBITU.

(b) Afcon. in Cornel. & in Anton. & Catil. Cic. in eadem Cornel.

Calpurnius Piso Consul hanc legem tulit anno Urbis sexcentesimo octuagesimo sexto; ejus collega fuit M. Acilius Glabrio. Qua lege præter alias pœnas pecuniariam adjectam Afconius (b) ait. Et licet Cicero videatur significare, de ea abroganda in Senatu actum esse: idem tamen in oratione pro L. Muræna ita scribit: *Dixisti, Senatus consultum, me referente, esse factum, si mercede conducti obviam candidatis essent; si conducti sectarentur; si gladiatoribus vulgo locus tributus; & item prandia si vulgo essent data: contra legem Calpurniam factum videri.* Ante hanc legem idem crimen Petilia & Cornelia, Bæbia, post eam Tullia, Pompeja & Julia coercebatur.

CALPURNIA

MILITARIS.

Apud Nonium Marcellum Sisenna libro quarto historiarum scribit, Calpurnia lege milites civitate donari concessum fuisse. Quod de auxiliis intelligendum est. Non dissimilis est Gellia, de qua suo loco.

CANINIA DE MANUMISSIONIBUS.

Videnda Fusia Caninia est.

CANULEJA

DE CONNUBIO.

Livius initio libri quarti scribit, M. Genucio, P. Curiatio Consulibus, C. Canulejum Tribunum plebis rogationem promulgasse de connubio patrum, & plebis; cæteros Tribunos, uno excepto, ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de patribus vellet, Consules faciendi. Fuerat autem vetitum in duabus illis tabulis, quas Decemviri aliis e Græcia allatis addiderunt, ne matrimonia inter eos commu-

nia essent, quod & Livius significat, & Dionysius dilucide scribit libro decimo antiquitatum. Itaque cum de utraque rogatione magnis contentionebus ageretur, atque impediretur a Tribunis delectus; lex de connubio accepta est; & Tribunos militum Consulari potestate ex utroque corpore patres creati passi sunt. Fuit is annus trecentessimus nonus, ut Livio placet; alii anno ab eo discrepant. Dionysius (c) in alterius Consulibus nomine variat, Florus loco; in Janiculum enim plebem concessisse scribit. Sed & de tota connubii mentione Dionysius flet, cum cætera magna diligentia exequatur.

[c] Dionys. lib. 11. antiq. Flor. lib. 1. cap. 25. rer. Romanar.

CASSIA

AGRARIA.

Idem Livius scribit libro secundo, Sp. Cassio tertium, Proculo Virginio Consulibus, primum Agrariam legem esse promulgatam, numquam postea sine maximis motibus agitatam. Namque cum esset fœdus iustum cum Hernicis, agrique partes duæ essent ademptæ; inde dimidium Latinis, dimidium plebi dividebat Spurius; adiciebat agri publici aliquantum, quem possideri a privatis criminabatur. Alter Consul largitioni resistebat, auctoribus patribus, & plebe non invita, quod cum Latinis & Hernicis agrorum communicatio regni suspicionem præberet. Itaque altera lege promulgata ab eodem, ut pro Siculo frumento pecunia accepta populo redderetur; aspernata utramque plebs est, auctorque earum Cassius damnatus, necatusque est. (d) Agrariæ legis nomen sæpius deinde a Tribunis jactatum, illas quoque turbas concitavit, quas in Liciniis & Semproniiis persequemur. Erat is annus Urbis ducentessimus sexagesimus octavus, ab exactis Regibus vicesimus quartus.

(d) Vid. Dionys. lib. 8. Valer. lib. 5. cap. 8. & lib. 6. c. 3. Cic. pro domo.

CASSIA TABELLARIA

DE JUDICIIS.

Secuta post biennium Gabiniam de magistratibus mandandis Cassia est de populi judicio. Ea a nobile homine lata est L. Cassio, sed dissidente a bonis, atque omnes rumculos populari ratione aucupante. Hæc Cicero libro tertio de legibus. Idem in Bruto scribit, L. Cassium multum potuisse, non eloquentia, sed dicendo tamen; qui non liberalitate, sed ipsa tristitia & severitate popularis fuit. *Cujus quidem legi Tabellariæ, inquit, M. Antius Briso Tribunus plebis diu resistit, M. Lepido Consule adjuvante. Eaque res P. Africano vituperationi fuit; quod ejus auctoritate de sententia deductus Briso putabatur.* Et postea: *Judicia populi, quibus aderat Carbo, jam magis patronum desiderabant tabella data; quam legem L. Cassius, Lepido & Mancino Consulibus, tulit.* M. Æmilius Lepidus Porcina, & C. Hostilius Mancinus Consules fuere

an.

anno sexcentesimo sextodecimo, ut in Æmilia Sumptuaria scripsimus. Africani culpam indicat idem Cicero libro tertio: *Cassia*, inquit, *legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur: tu si Tabellariam ruleris, ipse prestabis.* De eadem lege in Lælio & in Sextiana plura scribit. Nusquam tamen relatum inveni, in quo magistratu Cassius tum fuerit. Illius exceptionis in Coelia mentionem fecimus, ut in perduellionis solo crimine non tabella, sed voce iudicium perageretur; quod illa lege abrogatum est. Hic est ille L. Cassius, qui identidem in causis quarere solebat, cui bono fuisset, ut Asconius libro secundo in Verrem notat, & Cicero in Rosciana priore. A quo Cassiani iudices optimi quique & iustissimi appellati sunt.

CASSIA

DE DAMNATIS.

MTullius apud Pedianum in Cornelia scribit, principium iustissimæ libertatis Cassiam fuisse, qua lege suffragiorum vis, potestasque convaluit, & alteram Cassiam, quæ populi iudicia firmavit. Hæc ita Pedianus interpretatur, ut de Tabellaria illa superiore, & de hac ipsa, qua de agimus, Tullius fenerit: latamque fuisse dicit a L. Cassio L. F. Longino, qui Consul cum C. Mario fuit anno Urbis sexcentesimo quadragesimosexto. Is plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulisse dicitur: in quibus hanc, Ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in Senatu ne esset. Gerebat autem similtates cum Q. Cæcilio, qui ante biennium Consul fuerat; cui populus, quod male adversus Cimbro pugnasset, imperium abrogaverat. Hæc Asconius; quem in his, quæ de Cæcilio scribit, memoria lapsus putaverim; cum Florus (a) libro sexagesimosextimo eadem de Q. Servilio Cæpione scribat, quod ex Plutarcho in Mario, & Eutropio libro quinto cognosci etiam potest: aut pro Q. Cæcilio, Q. Cæpione legendum est. Q. vero Cæcilius Metellus, ne in Appulejam juraret, in exilium abiit sexto Marii Consulatu.

CASSIA

DE PATRICIIS.

Cæsarem Dictatorem lege Cassia Senatorum patriciorumque numerum auxisse, Cornelius Tacitus libro undecimo scribit. *Iisdem*, inquit, *diebus in numerum patriciorum adscivit Claudius vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverant; exhaustis etiam, quas Dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Sentia sublegere.* Suetonius quoque, eum Tom. I.

& Senatam supplevisse, & patricos adlegisse, significat. Notaque sunt, quæ de novis Senatoribus, & de angustis sedibus jocosè illis diebus dicta fuere. (b) Patricii tum dicebantur, qui a patribus, hoc est, Senatoribus descendebant; de quibus Ulpianus & Justinianus (c) fenerunt, cum aut Quæstoris officium, aut populi significationem ostendunt. Aliis (d) tamen locis Senatores quosdam significant insigni quadam, & supra omnes illustres viros dignitate præstantes.

CINCIA MUNERALIS

SIVE DE DONIS ET MUNERIBUS.

Plauti verba sunt: *Neu muneralem legem, neu lenoniam roga: fuerit necne, flocci aestimo.* Sex. Pompejus hæc ita interpretatur, ut Muneralis sit, qua Cincius cavet, ne cui liceret munus accipere. Latam esse hanc legem arbitror a M. Cincio Alimento Tribuno plebis, qui cum Prætor, & decem legatis in Siciliam trajecit, ut de P. Scipionis exercitu inquireret, M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Consulibus, ut Livius refert libro vicesimonono. Namque, his Consulibus, Cicero in Catone Majore scribit, Q. Fabium Maximum senem admodum legem Cinciam de donis & muneribus fuisset. Et libro secundo de Oratore: *M. Cincium*, ait, *quo die legem de donis & muneribus tulit, cum C. Cætho prodisset, & satis contumeliose, Quid fers Cinciole, quæsisset; ut emas Cai, respondisse, si uti velis.* Eiusdem legis Livius (e) in his, quæ de lege Oppia abroganda Cato dixerat, mentionem facit. *Quid*, inquit, *legem Cinciam de donis & muneribus excitavit, nisi quod vectigalis iam & stipendiaria plebs esse Senatui cæperat?* (f) Arnobius de eadem libro secundo contra gentes, & Tacitus libro undecimo, tertio decimo, & quinto decimo; qui solus, ne quis ob causam orandam pecuniam, donumve acciperet, hac lege fuisse cautum scribit. Id Claudium lege restituta ad tertiam dena moderatum fuisse. Ulpianus (g) centum aureos nummos permitti libro octavo de omnibus tribunalibus scribit. Quæ omnia, etsi aliquando tenuerint, usu abrogata sapius sunt. Denique ad hanc legem Julius Paulus librum singularem scripsit, ex quo illud sumptum est, quod libro primo Digestorum (h) extat: *Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem vero, qui salvis verbis legis, sententiam eius circumvenit.*

CLAUDIA

DE TUTELIS FEMINARUM.

DE hac lege nihil aliud accepimus, quam quod Leonis constitutione continetur: (i) *Constitutione*, inquit, *divæ memoriæ Constantini lege Claudia sublata pro antiqui juris*

(b) *Macrobius. Quintilianus.*(c) *L. ult. D. de off. Quæstor. in Inst. de iur. natur. §. Plebiscitum.*(d) *L. ult. D. de Senat. in Institut. quib. mod. iur. p. p. sol. §. Filius. l. Nemini. l. ult. C. de consulib. lib. 12. l. ult. C. de decurio. lib. 10. Nov. 38. 62. 81.*(e) *Livius lib. 34.*(f) *Adæ Cic. lib. 1. Epistol. ult. ad Atticum. Plin. lib. 5. Epist.*(g) *L. 1. §. Si cui. de extraor. cognit.*(h) *L. Contra. de legib.*(i) *L. 3. C. de leg. tit. 1.*(a) *Florus lib. 69. Apian. lib. 1. Bell. civil. Cicero post reditum, & pro Balbo, & pro domo.*

juris auctoritate, salvo manente adgnationis jure, tam consanguineus, idest frater, quam patruus, ceterique legitimi ad pupillarem feminarum tutelam vocantur. Hanc esse Constantini constitutionem arbitror, quæ libro tertio Theodosianarum reperitur aliqua ex parte deminuta. *In feminis, inquit, tutelam legitimam consanguineus patruus non recuset (a).* Vereor tamen, ne non lex Claudia ad tutelam feminarum pertineret, de quibus Cicero in oratione pro L. Muræna, & pro L. Flacco. Etenim veteri jure omnes mulieres propter infirmitatem consilii in tutorum potestate erant. Hanc perpetuam tutelam Severinus appellat libro secundo Topicorum Tullianorum; qua liberari mulieres dicit, cum in manum viri convenissent. Sed tutela hæc in usu non est, & nulla sexus in tutelis differentia est, modo in ætate pupillari sint.

CLAUDIA

DE NAVIBUS.

Q Claudius Tribunus plebis, C. Flaminio, qui cum Cn. Servilio Gemino eodem anno Consul iterum designatus fuit, legis suæ fore tulit hanc legem, ut ne quis Senator, quive Senatoris pater esset, maritimam navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. *Id satis habitum, inquit Livius in calce libri vicesimiprimi, ad fructus ex agris vectandos; quæstusque omnis patribus indecorus visus est.* Erat is annus Urbis quingentesimus trigessimusquintus. De hac lege Cicero in libro de suppliciis in Verrem: *Noli, inquit, metuere Hortensii, ne queram, qui licuerit ædificare navem Senatori: antiquæ sunt istæ leges, & mortuæ, quemadmodum tu soles dicere.* Hoc idem lege Julia repetundarum (b) Senatoribus prohibetur.

CLAUDIA

DE SOCIIS.

Livius libro quadragesimoprimum scribit, C. Claudio Ap. F. Pulchro, Ti. Sempronio P. F. Graccho Coss. anno Urbis quingentesimo septuagesimosexto, legatos sociorum nominis Latini questos esse in Senatu, cives suos plerisque Romam migrasse, deserta oppida, desertos agros, brevi nullum militem dare posse: genera fraudis esse, quod lex sociis nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent. Hos, ne stirpem domi relinquerent, liberos suos quibusque Romanis ea conditione, ut manumitterentur, mancipio dare, libertinosque cives esse: quibusque stirpes deesset, cives Romanos fieri per migrationem & censum. Itaque C. Claudius Cos. legem de sociis tulit, & edixit, Uti qui focii, ac nominis Latini ipsi, majoresve eorum, M. Claudio, T. Quinctio Censoribus, postque

ea apud socios nominis Latini censi essent; omnes in suam quisque civitatem ante Kal. Novembres redirent; quæstio, qui ita non reddissent, L. Mummio Pr. decreta est. Ad legem, & edictum Consulibus Senatufconsultum adjectum est: ut Dictator, Consul, Interrex, Censor, Prætor, qui nunc esset; apud forum, cum manumitteretur, in libertatem vindicaretur, ut jusjurandum daret qui eum manumitteret, civitatis mutandæ causa manu non mittere; qui id non juraret, eum manumittendum non censuerunt. Hæc in posterum causa, jurisque dictio C. Claudio Consuli decreta est. Huic legi Licinia & Mucia similis fuit, de qua suo loco dicemus.

CLODIA ANNONIANA

SIVE FRUMENTARIA.

P Clodii, qui se P. Fontejo in adoptionem dedit, ut Tribunus plebis fieret, quatuor leges fuisse Asconius (c) ait: Annonianam, quæ summe popularis fuit, ut frumentum, quod antea populo semissibus ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur: alteram de obnuntiatione tollenda: tertiam de collegiis: quartam de Censoria nota. Has in Tribunatu L. Calpurnio Pisone, A. Gabinio Consulibus, tulit, post Romam conditam anno sexcentesimo nonagesimoquinto. Easdem Fontejas appellari posse facile dixerim; sed quia nusquam id nomen aut auctori legum, aut ipsis legibus inditum legi, magis frequentato usus sum. De hac nostra Cicero in Sextiana conqueritur, quintam prope partem vectigalium remisit trientibus & semissibus ærarium perdidisse. In Appuleja autem diximus, C. Sempronii Gracchi de eadem re legem fuisse, qua frumentum hac modica pecunia dabatur; item Appulejum similem promulgasse; Clodium vero totam eam pecuniam substulisse. Hanc liberalitatem Cæsares secuti sunt; quorum vestigia manent libro undecimo Constitutionum ab Justiniano (d) collectarum.

CLODIA

DE OBNUNTIATIONE.

HAc lege Æliam & Fufiam abrogatas fuisse, antea scripsimus. Hac enim cavebatur, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cælo servaret. Et quidem Gellius libro tertiodecimo scribit in edicto Consulium, quo edicere solebant, quis dies comitiis centuriatis futurus esset, scribere solitos ex veteri forma perpetua: **NE QVIS MAGISTRATUS MINOR DE CÆLO SERVASSE VELIT.** Minores autem magistratus appellabant, quorum minora auspicia erant. Maxima auspicia Consulium, Prætorum, Censorum; sed Censores Consulibus, aut Prætoribus collegæ non fuerunt; Prætores Consulibus fuerunt. Itaque Censo-

(a) *Vi-deat. Livius initio lib. 34.*

(b) *L. 3. De vac. & exc. mun.*

(c) *Cic. in orat. de domo. Asc. in Pison.*

(d) *C. de navicula, & C. de canone fr. ur. Rom. & C. de fr. urb. const. & C. de frum. A. lex. lib. 11.*

fores tantum inter se, & Prætores, Consulesque inter se turbabant, & retinebant auspicia. Sed quod majus imperium Consulium erat, quam Prætorum; Prætor Consuli non obnuntiabat, licet ejus collega esset. Reliqui minores magistratus erant, qui tributis comitiis fiebant: nam majores centuriatis. Hæc Gellius ex M. Messallæ Auguris de auspiciis libro primo, & tertio decimo C. Tuditani. Hac eadem de re Tullianæ leges exstant præclaræ: VIS IN POPULO ABESTO. PAR MAIORQUE POTESTAS PLUS VALETO. AST CUI TURBASSITUR IN AGENDO, FRAUS AVCTORIS ESTO. INTERCESSOR REI MALÆ SALVTARIS CIVIS ESTO. QUI AGENT AVSPICIA SERVANTO. AVGVRI PVBLICO PARENTO. His omnibus fiebat, quod idem Tullius ait, ut licet nonnumquam bonis legibus impedimento mali cives essent, tamen impediri bonam legem melius erat, quam concedi malas. Cætera in Ælia persecuti sumus. Hujus legis Cicero mentionem facere videtur in Antoniana secunda his verbis: *Quisquam ne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de cælo servare constituit? quod neque licet comitiis per leges; & si quis servavit, non habitis comitiis, sed priusquam habeantur, debet nuntiare.*

C L O D I A

D E C O L L E G I I S.

Tertia lege P. Clodius collegia restituit, a Senatu antea sublata; novaque instituit, quæ Cicero (a) ait innumerabilia fuisse, eaque ex omni fece Urbis, ac servitorum constituta. Sed si modus ea in re fuisset, fodalitates, collegiæque hujusmodi, dum ne quid ex publico jure corrumpant, (b) & Solonis lege, & Duodecim tabularum permixta sunt. Quæ de re in Duodecim plenius.

(a) Cic. in Pison. & pro Sextio.

(b) L. ult. D. de collegiis.

C L O D I A

D E C E N S O R I A N O T A.

Quarta Clodii lex fuit, Ne quem Censores in Senatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent; nisi qui apud eos accusatus, & utriusque Censoris sententia damnatus esset. Hæc Padianus. Cicero hac de re in Sextiana: *Consulibus illis tacentibus, lata lex est, ut Censoria notatio, & gravissimum iudicium sanctissimi magistratus de Republica tolleretur.* Et in Pisonem: *Quadringentos annos iudicium, rationemque Censoriam tenueramus: eam potestatem minuere, quominus de moribus nostris quinto quoque anno iudicaretur, nemo tam effuse perulans conatus est.* De initio, & potestate Censoria in Æmia ex Livio libro nono scripsimus: ex quibus apparet, aliquando imminutam quinquennalem potestatem, & non totos quadringentos annos Romanos ea potestate usos. Eleganter quoque

a M. Cicerone in oratione Cluentiana, quanti notæ Censoriæ faciendæ essent, prescriptum est.

C L O D I A

D E V I C T O R I A T I S.

Victoriatum lege Clodia percussum esse, Plinius (c) ait: namque antea ex Illyrico advectum mercis loco habitum fuisse, nomenque ex Victoria, qua signatus erat, habuisse scribit. Victoriam ab eo dictam Varro (d) significat, quod superati vinciantur; eamque cum corona & palma fingi, quod corona vinculum capitis est; palma autem ex utraque parte natura vineta habet paria folia; vel quia (ut Plutarchus apud Gellium (e) scribit) prementibus, urgentibusque non cedat. Volusius Mæcianus in libello de asse: *Victoriatum tantundem, inquit, valet, quantum olim quinarius. At peregrinus nummus loco mercis, ut tunc tetradrachmum & drachma habebatur. Denarius primo asses decem valebat, unde & nomen traxit: quinarius dimidium ejus, id est, quinque asses, unde & ipse vocatur: sesterterius duos asses & semissem. Nunc denarius sexdecim, Victoriatum & quinarius octo, sesterterius quatuor asses valet.* Hæc Mæcianus, quæ magna ex parte cum Plinio conveniunt, & non aliena sunt ab Justiniani constitutionibus. (f) Quis autem hujus legis auctor fuerit, quoque tempore ea promulgata sit, ignoramus.

(c) Plin. lib. 33. cap. 3. Liv. lib. 41.

(d) Varro lib. 4. de lingua Lat.

(e) Gellius lib. 3. cap. 6.

(f) L. ult. C. de donat. §. Postea. in Inst. de success. libert.

C L O D I A

D E S C R I B I S.

Suetonius auctor est, Domitianum scribas Quæstorios ex consuetudine, sed contra legem Clodiam negotiantes, venia donasse. De hoc scribarum ordine Cicero in Frumentaria: *Ordo est honestus, inquit, quis negat? est vero honestus, quod eorum hominum fidei tabule publicæ, periculaque magistratuum committuntur.* Illic etiam persequitur eos, qui scribarum nomine quidquam detrahunt: ut omnis hæc nundinatio lege Clodia recte amota sit. De qua tamen lege nihil amplius accepi.

C O R N E L I A B Æ B I A

D E A M B I T U.

Anno post Urbem conditam quingentesimo septuagesimo secundo P. Cornelius Lucii filius, Publii nepos Cethegus, M. Bæbius Q. F. Cn. N. Tamphilus Consules leges de ambitu ex auctoritate Senatus ad populum tulerunt, ut Livius scribit libro quadragesimo. (g) Legis capita, aut poenam ipse non expressit: quod in Petilia, quæ prima de hoc crimine lata est, desideramus: item apud Florum libro quadragesimo septimo. Sed historici jurisconsul-

(g) Livius lib. 7.

torum munere fungi noluerunt, exstantibus præfertim tabulariis legum in ære incisarum. De Calpurnia de ambitu antea dictum est.

CORNELIA TESTAMENTARIA

NUMMARIA SIVE DE FALSO.

L Cornelius Lucii filius Publii nepos Sulla Felix Dictator perpetuus anno Urbis sexcentesimo septuagesimoprimum factus est. In ea potestate pene regia, multa constituit; quæ nos singillatim persequemur. Ac principio Pomponius (a) refert, quæstiones publicas constituisse de falso, de parricidio, de sicariis; Prætoresque quatuor adiecit. De falso legem Macer (b) Corneliam de testamentis, Justinianus testamentariam & de falsis, Cicero testamentariam nummariam appellant. De qua Imperator ita scribit: *Item lex Cornelia de falsis, quæ etiam testamentaria vocatur, poenam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, vel subiecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculpsit, expresserit sciens dolo malo. Ejusque legis poena in servos ultimum supplicium est, quod etiam in lege de sicariis & veneficis servatur; in liberos vero deportatio.* Asconius in Prætura urbana Corneliam testamentariam nummariam interpretatur eam esse, quæ de moneta scripta esset: ut ne quis privatus pecuniam faceret. Sed & Ulpianus (c) eadem de re: *Lex, inquit, Cornelia cavetur, ut qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos flaverit, falsi crimine teneatur.* Eadem lege exprimitur, ne quis nummos stagneos, plumbeos emere, vendere dolo malo vellet. Præerant huic muneri Triumviri Monetales, auri, æris, argenti flandi, feriundi gratia creati: de quibus Cicero in epistola ad Trebatium, & Pomponius libro (d) singulari enchiridii. Ad hanc legem multa Justinianus libro quadragesimo octavo Digestorum ex variis juris interpretum locis collegit.

CORNELIA

DE SICARIIS ET VENEFICIS.

L Exge Cornelia de sicariis & veneficis, inquit Marcianus (e), *tenerur, qui hominem occiderit, cujusve dolo malo incendium factum erit, qui hominis occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulaverit, qui ve cum magistratus esset, publicove judicis præesset, operam dedisset, quo quis falsum iudicium profiteretur, ut quis innocens conveniretur, condemnaretur. Præterea tenerur, qui hominis necandi causa venenum confecerit, dederit: qui ve falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur: qui ve magistratus, iudicove quæstionis sub capitalem causam pecuniam*

acceperit, ut publica lege reus fieret. De veneno alio loco idem (f) scribit, capite quinto ejusdem legis caveri, qui venenum malum necandi hominis causa fecerit, vel vendiderit, vel habuerit, plesti. Cicero in oratione pro A. Cluentio hæc eadem legis verba refert: *Jubet, inquit, lex ea, qua lege hæc quæstio constituta est, iudicem quæstionis cum iis iudicibus, qui ei obvenerint, quætere de veneno. In quem quætere? infinitum est.*

QVICVMQVE FECERIT VENDIDERIT EMERIT HABVERIT DEDERIT, QVI VENENVM MALVM FECIT FECERIT, omnes viri, mulieres, liberi, servi, in iudicium vocantur. Quid eadem lex statim adjungit? DEQVE EIVS CAPITE QVAERITO, QVI TRIBVNVS MILITVM LEGIONIBVS QVATVOR PRIMIS, QVIVE QVAESTOR TRIBVNVS PLEBEI, Deinceps omnes magistratus nominavit. QVIVE IN SENATVS SENTENTIAM DIXIT DIXERIT: QVI EORVM COIT COIERIT CONVENIT CONVENERIT QVO QVIS IUDICIO PVBLICO CONDEMNETVR. Hac parte equites Romanos, qui in magistratu non erant, non teneri, ex ipsis verbis defendit: eamque prius a C. Sempronio Graccho, deinde a L. Sulla latam non multo post significat. (g) Item de falso testimonio eadem caveri: *QVI COIERIT CONVENERIT CONSENSERIT FALSVMVE TESTIMONIUM DIXERIT.* De eo vero, qui cum telo ambulaverit, idem in Miloniana: *Persapienter, inquit, & quodammodo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi, quæ non modo hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat.* Hujus criminis, legisque poenam Justinianus (h) ait eandem esse, quæ in lege superiore, ut ultimo supplicio puniantur non servi tantum, ut supra scriptum est, sed homicidæ ultore ferro, venefici capite damnentur: quibus conjungit eos, qui artibus odiosis, tam venenis, quam fufurris magicis homines occiderint. Sed Marcianus (i) Cornelia de sicariis poenam fuisse ait, insulæ deportationem, & omnium bonorum ademptionem: solitos tamen postea capite puniri, nisi honestiores essent. Sicarios a fica, quem ferreum cultrum Justinianus (k) interpretatur, appellari constat. Teli vero appellatio latius patet: quidquid enim manu in aliquem mitti potest, comprehenditur. Jam vero Suetonius scribit, C. Cæsarem in exercenda de sicariis quæstione eos quoque sicariorum numero habuisse, qui in proscriptione obrelata civium Romanorum capita pecunias ex ærario acceperant; licet Cornelii legibus exciperentur. Sed & Cajus (l) libro septimodecimo ad edictum provinciale lege Cornelia caveri scribit de præmio accusatoris, qui requisivit & renuntiavit eos servos, qui ex ea familia ante quæstionem fugissent; ut in singulos servos, quos convicerit, quinque aureos ex bonis occisi, aut si inde redigi ea quantitas non possit, ex publico accipiat. Præterea cavetur, inquit, *ut de his, qui ante quæstionem habitam fugerint, si aperto testamento liberi scripti inveniuntur, lege de sicariis iudicium fiat, ita*

(f) L. 3. cod. tit.

(a) L. 2. §. Capta. D. de orig. jur.

(b) L. 1. D. de publ. iud. in Inst. eod. §. Item lex Cornelia. Cic. lib. 3. in Verrem.

(c) L. Lex. D. de l. Corn. de falsis.

(d) d. l. 2. §. Deinde cum esset.

(e) L. 1. D. ad leg. Corn. de sicar.

(g) d. l. 1. Is qui. C. eod.

(h) §. Item lex Cornelia. de falsis. in Inst. de pub. iud.

(i) §. Item lex Cornelia. de sicar. eod. tit. d. l. 3. in fin.

(k) d. §. de sicariis. & l. Si calvitur. D. de verb. sign.

(l) L. Lex. de Cornelia. D. de S. C. Silian.

ut ex vinculis causam dicant, & convicti perinde ac servi puniantur, & ei, qui convicerit, deni aurei præmii nomine dentur ex bonis damnati. Hæc omnia latius in Digestis & Constitutionibus videre licet.

CORNELIA

DE PROSCRIPTIONE.

Cum victis Marianis Sulla Urbem esset ingressus, & cives cædendi finis nullus fieret, Q. Catulus dixisse fertur Sulla: Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus? Tum L. Sulla, Fufidio primipilari auctore, tabulam proscriptionis primus excogitavit. Ac principio octoginta tantum viros, postea quadringentos proscriptis, ut Eutropius libro quinto scribit. Tulit autem de proscriptione legem, ut, qui proscriptum recepisset, capitale esset; nemine neque fratre, neque filio, neque parente excepto, qui proscriptum occidisset, sive servum dominus, sive patrem filius interemisset, ei duo talenta mercedis nomine darentur. Proscriptorum quoque liberos honoribus privavit, & bona proscriptorum publicavit, positaque hasta vendidit. Hæc Plutarchus in Cornelia Sullæ vita. Cicero in Rosciana priore, quæ tota ad hanc legem pertinet, dubitare videtur, Valeria ne, an Cornelia lex hæc de proscriptione appellanda sit. *Verum ego, inquit, hoc quaero, quæ potuerunt ista ipsa lege, quæ de proscriptione est, sive Valeria est, sive Cornelia (non enim novi, neque scio) verum ista ipsa lege bona Sex. Rosciani venire quæ potuerunt? Scriptum enim ita dicunt esse, ut eorum bona veneant, qui proscripti sunt, aut eorum, qui in adversariorum præsiidiis occisi sunt.* Dubitationis causa esse videtur, quod, ut idem (a) scribit, L. Valerius Flaccus Interrex de Sulla Dictatore tulit, (b) ut omnia quæcumque ille fecisset, essent rata; utque, quem vellet civium, indicta causa occidere posset: cum vero hæc omnes injustissimæ essent, ac per vim latae, contemnere eas Cicero, atque earum minus peritus videri vult. De eadem lege Cicero in Prætura urbana sensit, cum docet, lege Cornelia proscriptum juvari vetitum esse. Quod vero de proscriptorum liberis dicitur, sæpius tentatum est ut abrogaretur: sed Cæsar eos primus ad honores admisit, ut Suetonius scribit. Eadem lege arbitror agros publicatos quorundam municipiorum, & coloniarum, quæ Marianorum partes sequebantur; ut Cicero in Rullum tertia oratione ostendit.

CORNELIA

DE TRIBUNIS PLEBIS.

Hoc quoque Sullæ fuit adversus plebejos, (c) ut Tribuniciam potestatem multis modis minueret. Abstulit enim Tribunis jus le-

gum ferendarum; quo jure omnem Rempublicam conturbare solebant, lege præsertim Hortensia plebiscitis confirmatis. Abstulit (d) honores alios, magistratusve habendi potestatem: quod postea C. Cotta Consul lege Aurelia lata restituit. Illud denique Tribunis solum reliquit, ut, cum injuriæ faciendæ potestatem non haberent, auxilium ferendi haberent facultatem. Atque ea plane causa fuit Tribunos creandi, ut auxilio essent, ne cui injuria fieret: quamobrem prehensionem habebant, vocationem non habebant. Exstat Macri Tribuni plebis oratio ex historiis Sallustii, (e) qua lex hæc abroganda curatur. Enumerat autem, qui Tribuniciam potestatem aut restituere, aut evertere conati sunt: de quibus in Sicilia dicemus. In ea oratione vim Tribuniciam telum a majoribus libertati paratum appellat, servitutem vero eum rerum statum. Constat autem, Cn. Pompejo Consule, neque Cæfare, neque M. Crasso altero Consule invito, Tribuniciam potestatem fuisse restitutam.

CORNELIA

SUMPTUARIA.

Sumptuarias leges Ammianus Marcellinus libro sextodecimo scribit, ex rhetris Lycurgi sumptas fuisse, diuque observatas, & jam senescentes reparasse Sullam. Diodorus Siculus libro duodecimo bibliothecæ Zaleucum omnium optimas Locrensibus tulisse, quibus & convivia & sodalitates coercuit; & aureis anulis, aut delicatis vestibus uti vetabat, exceptis mœchis, aut lenonibus; mulieres una plus ancilla uti, nisi temulenta foret; item domo noctu egredi ne liceret, nisi ad amatorem iret. Ita prius magnum crimen confiteri oportebat, quam delicis, sumptibusque operam darent, quibus ad illa facilis aditus pateret. Sed ut ad Corneliam redeamus, ea cenarum sumptus coercerentur. Namque, ut Gellius (f) scribit, Kalendis, Nonis, Idibus, atque Iudorum diebus, feriisque quibusdam solemnibus, festiis tricenis cenam parare jus, potestasque erat; cæteris tantum ternis. Macrobius (g) hac lege non magnificentiam conviviorum prohibitam fuisse ait, sed minora pretia rebus venalibus imposita. Plutarchus (h), Sullam non solum de sumptibus cenarum, sed de funerum quoque sumptibus leges tulisse, scribit; quas postea facile migraverit. Hanc legem secuta Æmilia est, de qua antea scripsimus.

CORNELIA

JUDICIARIA.

Idem L. Sulla equites Romanos, quos primus C. Sempronius Gracchus lege lata iudices fecerat, judicare vetuit; & in Senatorum potestate judicia restituit. Decem solos annos iudicaverunt, ut Cicero in Verrinis scribit. Aurelia

(d) Ap-
pian. lib. 1.
bel. civil.
Ascon. in
Cornel. Cic.
lib. 3. de
legib.

(e) Gell.
lib. 13. cap.
12.

(a) Cic.
de lege agraria
lib. 3.
& de legib.
lib. 1.

(b) Ap-
pian. lib. 1.
bel. civil.
Flor. lib. 89.

(c) Flor.
lib. 89.

(f) Lib.
2. cap. 24.

(g) Lib.
3. Satur.

(h) In
Sulla.

relia enim lege tribus ordinibus Senatorum, Equitum, & Tribunorum arariorum judicia commissa sunt.

CORNELIA

DE ORDINE MAGISTRATUUM.

SIve hic magistratuum gerendorum ordo a Sulla constitutus lege lata sit, sive id sine lege servari voluerit; Appianus, scribit non antea Prætozem, quam Quæstorem, neque antea Consulem, quam Prætozem fieri permisisse. Item intra decennium nemini eundem magistratum dari iussisse. De Quæstura idem Ulpianus (a) scribit, ingressum esse & primordium gerendorum honorum, sententiæque in Senatu dicendæ. Tulliana tamen lex Ædilibus hoc tribuit, ut is primus ascensus sit ad honoris amplioris gradum. Et in Verrinis paulo amplius quam privatum Ædilem se vocat, licet Quæstor antea in Sicilia fuisset. Itaque sic constituendum est, Quæstores primo, postea Ædiles, deinde Prætores, postremo Consules veteres magistratus constituisse. His ætatem Annali lege certam fuisse constitutam constat, ut in Julia Annali scribemus. De decem annis Livius libro septimo: *Apud quosdam, inquit, invenio, L. Genutium Tribunum plebis tulisse ad populum ne fœnerare liceret: item aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet; neve duos magistratus uno anno gereret; utique liceret Consules ambos plebeios creari.* Ea lege Florus scribit libro quinquagesimo sexto Scipionem Æmilianum solum fuisse secundo Consulatu, priori vero Annali. M. Tullii lex illa est ex his legibus translata: *EVNDEM MAGISTRATVM NE INTERFERVINT DECEM ANNI NE QVIS CAPITO. AEVITATEM ANNALI LEGE SERVANTO.* Huc quoque pertinet, quod in Miloniana de P. Clodii petitione scriptum est, qui, suo anno relicto, Præturam proximo petiit: & Philippica XI. *Qui ex Ædilitate Consulatum petit, solvatur,* inquit, *legibus.*

CORNELIA

DE SOLUTO LEGIBUS.

HÆc lex non a Sulla, sed a C. Cornelio Tribuno plebis lata est, C. Calpurnio Pisone, M. Acilio Glabrione Consulibus, post Romam conditam anno sexcentesimo octogesimo sexto. Hic postea accusatus majestatis, quod, intercedente collega, legis codicem acceperit ab scriba, & legerit; defensus est a M. Tullio duabus orationibus, quæ hodie non exstant. A sconi interpretatio exstat, qua, quid hac lege contineretur, cognovimus. Antiquo jure cautum erat, ne quis nisi per populum legibus solveretur: & in omnibus Senatusconsultis, quibus aliquem legibus solvi placebat, adiciebatur, ut de ea re ad populum ferretur. Sed postea

& ferri desitum est; & nonnumquam ne de rogatione quidem ad populum ferenda in Senatusconsultis adiciebatur; & Senatusconsulta per paucos fiebant. Itaque C. Cornelius primo tulerat, Ut ne quis nisi per populum legibus solveretur; id cum obrinere non potuisset, contentus fuit ea lege, Ut ne quis in Senatu legibus solveretur, nisi ducenti adfuissent; neve quis cum solutus esset, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur. Ulpianus (b) libro tertio decimo ad legem Juliam & Papiam principem legibus solum esse scribit, Augustam non esse. Id etiam per populum fieri olim solebat lege Regia lata, de qua postea. Sed mihi antiqua illa lex, quam Duodecim tabularum fuisse arbitror, magis e re publica fuisse videtur, ut cum populus legis condendæ solus potestatem haberet, idem abrogandæ legis, atque aliqua ex parte ei derogandæ potestatem haberet. (c) Idem de principe dicendum est; modo uterque non levi de causa moveatur.

CORNELIA

DE EDICTIS PERPETUIS.

Idem tulit, (d) ut Prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent: quæ res gratiam ambiosis Prætoribus, qui varie jus dicere assueverant, sustulit, ut Pedianus scribit. Nemo est qui ignoret, Prætores edicta proposuisse, ut scirent cives, quod jus de quaque re quisque dicturus esset. Id jus Prætorium, vel Honorarium dicitur; (e) quod Prætores introduxerunt, adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia, propter utilitatem publicam. Hinc Publiciana actio appellata est, quam Publicius Prætor primus in edicto proposuit. Primus quoque Rutilius edixit, se amplius non daturum patrono, quam operarum & societas actionem: posteriores Prætores certæ partis bonorum possessionem pollicebantur. Itaque singulorum edicta, dum ipsi in magistratu erant, servabantur: quorum cum intra annum esset imperium, Prætoris edictum legem annuam appellabant. Actiones quoque tanto tempore durabant. (f) Sed sive hac lege juberentur sibi constare, & non varie dicta eodem anno proponere; sive ut eodem pacto omnes translaticis edictis uterentur, quod Hadriano, & Salvio Juliano deberi multi putant; constat Julianum perpetuum edictum collegisse, idque ab Hadriano Imperatore edicto atque Senatusconsulto confirmatum. (g) Sed fieri potuit, ut quod a Cornelio constitutum est, usu receptum non sit; aut, cum ne ea quidem lex tolleretur veterum edictorum varietatem, Hadriano restituere optimam hanc juris partem operæ pretium esse visum sit.

(b) L. Princeps. D. de legib.

(c) L. De quibus. D. de legib. l. Barbarius. de offic. prætor. l. ult. C. de legib. l. Digna. eod.

(d) L. 2. §. Eodem tempore. D. de orig. jur.

(e) L. Jus autem civile. D. de just. & jure. In Institut. de action. §. Sed iste quidem. l. 1. D. de bon. liber.

(f) In Inst. de prepe. & tempor. act. in princ. Cic. lib. 3. in Verrem.

(g) L. 2. §. Sed quia divinæ. C. de vet. jure enucl. l. Si quis servum. C. de cond. ind.

(a) L. n. nic. D. de offic. Quæstor. Cic. lib. 3. de legib.

CORNELIA

DE CAPTIVIS.

(a) L. *Legis Cornelia. D. qui test. fac. poss.* Julianus (a) libro quadragesimosecundo Digestorum sic scribit: *Lege Cornelia testamenta eorum, qui in hostium potestate decesserint, perinde confirmantur, ac si hi, qui ea fecissent, in hostium potestatem non pervenisissent; & hereditas ex his ad unumquemque pertinet.* Quæ ita intelligenda sunt, non ut testamentum, quod is apud hostes fecit, valeat (nam id ne illo quidem domum redeunte valet) sed ut quod antea, dum in civitate esset, fecit; si illic decesserit, valeat ex lege Cornelia; si autem redierit, jure postliminii. (b) Paulus quoque libro singulari ad legem Falcidiam scribit, legem Falcidiam ad eos quoque pertinere, qui apud hostes moriuntur, propter legem Corneliam, quæ perinde eorum testamenta confirmat, atque si in civitate decessissent. Addit Julianus, bona eorum, qui in hostium potestate decesserint, sive testamenti factionem habuerint, sive non habuerint, ad eos pertinere, ad quos pertinerent, si in hostium potestatem non pervenisissent. *Idemque jus, inquit, in eadem causa omnium rerum jubetur esse lege Cornelia, quæ futura esset, si hi, de quorum hereditatibus & tutelis constituebatur, in hostium potestatem non pervenisissent.*

CORNELIA

DE INJURIIS.

(c) L. *Hos accusare. in fin. de accus.* Ujus legis auctorem Sullam putamus ex verbis Venuleii Saturnini. (c) Illud Ulpianus (d) scribit, ex hac lege injuriarum agere posse, qui se pulsatum, verberatumve, domumve suam vi introitam esse dicat. Eadem lege caveri ait, ut non judicet, qui ei, qui agit, gener, focer, vitricus, privignus, sobrinusve est, propiusve eorum quemque ea cognatione, adfinitateve attinget, quive eorum ejus, parentisve ejus eorum, patronus erit. Permittitur autem actori jusjurandum deferre, ut reus juret injuriam se non fecisse. Paulus vero libro quinto sententiarum scribit: *Injuriarum actio ex lege Cornelia constituitur, quotiens quis pulsatur, vel ejus domus introitur ab his, qui vulgo derectarii appellantur, in quos extra ordinem animadvertitur.* Derectarii sunt, qui in aliena cenacula se dirigunt furandi animo, qui plus quam fures puniendi sunt. (e) Hæc itaque lex ad illos tres casus pertinet; aliæ injuriæ aut legibus Duodecim tabularum, aut Prætoris edicto coërentur.

CORNELIA

MAJESTATIS.

INCERTUS etiam hujus legis est auctor. Tantum enim reperio C. Cornelium hac lege fuisse accusatum, L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato Consulibus, quod intercessionem collegæ Tribunus plebis non obtemperaverit. Defensus tamen a Cicerone est, & absolutus magno numero sententiarum, ut Asconius refert. In Pisonem quoque ita scriptum est; *Mitto exire de provincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum injussu populi, aut Senatus, accedere: quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia Majestatis, Julia de pecuniis repetundis planissime vetant.* Et in epistola ad Lentulum de eadem Ciceronem sensisse existimo illis verbis: *Quoniam ex Senatusconsulto provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in Urbem introisset.* Et in alia ad Ap. Claudium de triginta diebus, qui ad decedendum de provincia lege Cornelia constituti essent; item alia de sumptibus quam maxime ad legem Corneliam legatis decernendis. Ex quibus arbitror totam rem provinciam hac lege constitutam; ne, specie imperii legitimi, quidquam contra Rempublicam novaretur.

CORNELIÆ

INCERTÆ.

DE REPETUNDIS fortasse lex quoque Cornelia fuit, ex illis verbis Ciceronis in oratione pro Rabirio Postumo: *Jubet lex Julia persequi ab his, ad quos ea pecunia, quam is cæperit, qui damnatus sit, pervenerit.* Hoc totidem verbis translatum caput est, quot fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia. Eodem quoque pertinere potest, quod libro quarto in Verrem idem scribit, leges Cornelias ne reiciendi quidem amplius, quam trium judicum facere potestatem.

DE LUDIS. Marcianus (f) libro quinto regularum scribit, ex lege Titia, & Publicia, & Cornelia sponsonem facere licere in his ludis, qui virtutis causa fierent.

DE PLAGIARIIS. Appulejus libro octavo: *Crimen, inquit, legis Corneliæ incurram, si civem Romanum pro servo tibi vendidero.* De hoc crimine in Fabia videndum est. Hæc itaque sunt, quæ de Corneliis legibus certis, incertisque reperimus.

DECIA

DE DUUMVIRIS NAVALIBVS.

C JUNIO Bubulco Bruto tertium, Q. Emilio Barbula iterum Coss. duo imperia dari cœpta sunt per populum pertinentia ad rem

(f) L. In quibus. D. de aleator.

rem militarem: alterum, ut a populo crearentur Tribuni militum, de quibus in Atilia Marcia vidimus: alterum, ut Duumviros navales classis ornandæ, reficiendæque causa idem populus juberet. M. Decius Tr. Pl. ad plebem id tulit. Hæc Livius lib. IX. Ante primum bellum Punicum Romani nullam pene rei maritimæ operam dabant; terrestria bella finitimorum magno animo atque industria gerebantur. Primus C. Duilius Consul navalem de Siculis, & classe Punica egit triumphum Kalendis Inter Calendaribus, anno Urbis quadringentesimo nonagesimotertio, post unum & quinquaginta annos quam hæc lex lata est. Tum primum classem ædificatam, Polybius libro primo scribit; antea fociorum classe utebantur. Itaque leve fuisse illorum Duumvirum officium crediderim.

D I D I A

S U M P T U A R I A.

Post decem & octo annos, quam lex Fania lata est, hoc est, anno Urbis sexcentesimo decimo, Ap. Claudio Pulchro, Q. Metello Macedonico Consulibus, hanc legem esse latam Macrobius libro tertio scribit: ut eadem lege universa Italia teneretur; utque non solum qui prandia, cenæve majore sumptu fecissent, sed etiam hi, qui ad ea vocati essent, aut eis interfuissent, pœnis ejusdem legis tenerentur. Secuta est hanc legem Licinia, de qua suo loco videndum erit.

D O M I T I A

D E S A C E R D O T I I S.

Tertio C. Marii Consulatu, ut Paterculus ait libro secundo, Cn. Domitius Tribunus plebis tulit, ut Sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet. (a) Dion tamen scribit libro trigesimo septimo, Sullam hanc legem abrogasse, & Cicerone Consule, per Labienum restitutam. De hac lege Cicero in quadam epistola ad M. Brutum ita scribit: *Ciceronem nostrum in vestrum collegium cooptari volo, existimo omnino absentium rationem Sacerdotum comitiis posse haberi: nam etiam factum est antea. C. enim Marius, cum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur; nec quominus id postea liceret, ulla lex sanxit.* Eodem loco Julia de Sacerdotiis mentio fit, de qua posterius.

D U I L I A D E T R I B U N I S
P L E B I S E T P R O V O C A T I O N E.

Quo anno Verginiæ cædes Decemvirorum, qui legibus scribendis erant creati, imperio finem attulit; plebis secessione in Aventinum, Sacrumque montem Tribuni plebis creati sunt: (b) in quibus M. Duilius, qui infi-

gnem Tribunatum ante Decemviros gesserat, & L. Icilius. Is statim plebem rogavit, plebesque scivit, ne cui fraudi esset secessio. Duilius de Consulibus cum provocatione creandis rogationem tulit. Creati sunt valde populares L. Valerius, M. Horatius, qui leges Sacratas tulere; ut, quod tributim plebs jussisset, populum teneret; item de provocatione, Ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet; qui creasset, eum jus fasque esset occidi; denique de Tribunis, ut qui eis nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset. Tum M. Duilius Tribunus plebem rogavit, plebesque scivit; ut qui plebem sine Tribunis reliquisset, quique magistratum sine provocatione creasset, tergo ac capite puniretur. Id partim Consulari lege sanciebatur, partim superioribus consequens erat. Cicero libro tertio prioris partis legem similem finxit: *SANCTIQUE SVNTO, NEVE PLEBEM ORBAM TRIBVNIS RELINQVVMTO.* Ad hanc legem pertinet quod Gellius ait libro tertio, Tribunos plebis nullum diem abesse Roma licere: ne, si omnes abessent, plebem sine Tribunis relinquerent. Quod vero de provocatione dictum est, id in Dictatore negligi cœpit, T. Quinctio Capitolino sextum; Agrippa Menenio Lanato Consulibus, ut Livius scribit libro quarto. Annus is erat trecentessimus quartusdecimus post Romam conditam, cum ante decem annos leges de provocatione latæ fuissent.

D U I L I A M E N E N I A

F E N E B R I S U N C I A R I A.

In Varronis sententiam itum est (c), fenus a fetu dictum esse, quasi pecunia eos fructus pariat, ut apud Græcos τῆνθη, ἀπὸ τῆς πίτην. Hinc fenebres leges dici, quæ de hujusmodi nummorum fetu latæ essent, Pompejus scribit. Livius vero libro septimo, C. Marcio Rutilo, Cn. Manlio Consulibus de unciario fenore a M. Duilio, L. Menenio Tribunis plebis latum esse anno Urbis trecentesimo nonagesimosexto. Eam usuram levem fuisse, ex parum læto vultu patrum, & cupiditate plebis apparet. Cumque semisses esse usuras sciamus in singulos annos, inque denarios centenos, denarios fenos, & eadem ratione trientes, besseque usuras interpretemur; semper unciarias centesimi nummi in annos singulos interpretatus sum. Non desunt tamen quibus placet centesima ipsa usura, sed menstrua, eo præsertim argumento, quod ad semunciarium fenus post decem annos redacta sit, T. Manlio Torquato, C. Plautio iterum Consulibus. Tacitus libro quinto in Duodecim amplius unciario fenore exigi prohiberi; Tribunicia rogatione ad semuncias redactum; postea vetitam versuram; postremo Casarem Dictatorem tulisse de modo credendi, ac possidendi intra Italiam. Hæc Taciti opinio nonnihil a Livii historia discrepat. Sed & ipse Livius in calce ejusdem libri: *Invenio apud quosdam,*

(c) Gell. lib. 16. cap. 12. Sext. Pomp. verbo Fenus. Noni de propr. servm.

(a) Videnda oratio 2. in Rul. lum. Cicer. & Suet. in Neron.

(b) Liv. lib. 3.

inquit, *L. Genucium Tribunum plebis tulisse ad populum, ne fenerare liceret.* Ejus legis Appianus libro primo mentionem facere videtur, cum de morte A. Sempronii Afelli Praetoris scribit, de qua Florus libro septuagesimo-quarto. Sed hæc in Genucia, & in Duodecim plenius.

F A B I A

D E P L A G I A R I I S.

(a) L. Non statim. in fine. D. de lege Fab. de plag. Paulus lib. 5. sentent. * invictum. P. F.

* invictum. P. F.

(b) L. 1. & 3. D. de libero hom. exhib. Paulus ubi supra.

(c) L. ult. D. & C. ad l. Fab. de plag.

(d) L. 3. D. eod. tit.

(e) L. Lege Fabia. D. de manum. l. In bello. §. Si deportatum. de captiv.

(f) Dion. lib. 48. Suidas, Euseb. in Chron. I. Sidorus lib. 5. etym. c. Quædam. dist. 2.

[g] L. 1. D. ad l. Falc.

Hac lege cavetur, ut Callistratus ait, (a) *ut liber homo, qui hominem ingenuum, vel libertinum invitum celaverit, vinculum * habuerit, emerit sciens dolo malo; quive in earum qua re socius erit; quique servo alieno, servare persuaserit, ut a domino, dominave fugiat; vel eum, eamve invito vel insciente domino dominave celaverit, vinculum * habuerit, emerit sciens dolo malo; quive in ea re socius erit; ejus poena teneatur.* Datur autem interdictum, (b) quod de libero homine exhibendo dicitur, ut exhibeatur is, qui detinetur. Lege Fabia (c) poenâ nummaria crimen coercetur. Ea tamen poena in usu esse desit; & pro delicti modo major, minorve infligitur; nonnumquam gladio, aut metallo rei plectuntur. Marcianus (d) hæc ejusdem legis verba refert: *SI SCIENS DOLO MALO HOC FECERIT: propterea quod bona fide mancipium possidens non punitur.* Ejusdem legis Cicero in Rabiriana perduellionis mentionem facit: neque exstat antiquior hujus legis memoria. Addit Paulus (e) lege Fabia prohiberi servum, qui plagium admittit, pro quo dominus poenam intulit, intra decem annos manumitti, mortis tempore, non testamenti facti numerandos.

F A L C I D I A

T E S T A M E N T A R I A.

Palcidius Tribunus plebis, L. Antonio, P. P. Servilio Isaurico iterum Consulibus, anno Urbis septingentesimo duodecimo legem tulit de testamentis. (f) Cujus duo capita Paulus (g) libro singulari ad eandem legem refert. *Lex Falcidia, inquit, lata est, quæ primo capite liberam legandi facultatem dedit usque ad dodrantem his verbis: QVI CIVES ROMANI SVNT, QVI EORVM POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTVM FACERE VOLET: VT EAM PECVNIAM EASQVE RES QVIBVSQVE DARE LEGARE VOLET, IVS POTESTASQVE ESTO. Secundo capite modum legatorum constituit his verbis: QVICVMQVE CIVIS ROMANVS POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTVM FACIET, IS QVANTAM CVIQVE CIVI ROMANO PECVNIAM IVRE PVBLICO DARE LEGARE VOLET, IVS POTESTASQVE ESTO; DVM ITA DETVR LEGATVM NE MINVS QVAM PARTEM QVARTAM HEREDITATIS EO TESTAMENTO HEREDES CAPIANT. EIS QVIBVS QVID ITA DATVM LEGA-*

Tom. I.

TVMVE ERIT, EAM PECVNIAM SINE FRAVDE SVA CAPERE LICETO: ISQVE HERES QVI EAM PECVNIAM DARE IVSSVS DAMNATVS ERIT, EAM PECVNIAM DEBETO DARE QVAM DAMNATVS EST. Hac lege consultum est heredibus, (h) quibus ex verbis legis Duodecim tabularum minime erat cautum, si testatores totam hereditatem legatis exhausissent. Ac licet Furia & Voconia modus esset legatis adhibitus, ne plus uni legatario, quam heredi; neve cuiquam plus mille aureis nummis legaretur: plenius consultum est hac lege. Quid enim si pluribus minutis legatis patrimonium consumpserit? Eusebius (i) tamen in ea opinione est, ut quæ de retinenda quarta portione dicuntur, tum vera sint, cum quatuor, aut pauciores heredes sunt: at si plures, tunc semissem retinere possint. Quo jure portio filiis debita ex Justiniani constitutione datur (k). Ego tamen Eusebio non facile crediderim. Illud constat; (l) si excefferit dodrantem testator, pro rata portione legata per legem ipso jure minui: sed detrahendum esse, quod extra bonorum quantitatem est, deinde quod ex bonis apud heredem remanere oportet. Nam si quingenta legaverit, qui habebat quadringenta; prius quinta, postea quarta pars detrahi debet. Jam vero si velit testator omnia sine hujus legis diminutione, uti dilucide testamento scripta sunt, dari; veteri quidem jure non observabatur: Justiniano (m) visum est testatoris voluntatem exsequi. Longum esset omnia persequi, quæ in omnibus Justiniani libris hac de lege conscribuntur. Ad legem Falcidiam (n) Rutilius Maximus librum singularem scripsit, & Julius Paulus alterum, ex quibus aliquot exstant in libris Digestorum capita.

F A N N I A

S U M P T U A R I A.

Gellius libro secundo Noctium (o) ex Ateii Capitonis collectaneis refert, *Senatus decretum vetus, C. Fannio Strabone, M. Valerio Messalla Coss. factum, anno Urbis quingentesimo nonagesimosecundo, quo jubentur principes civitatis, qui ludis Megalensibus mutitarent, idest, mutua convivia agitarent, jurare apud Consules verbis conceptis, non amplius in singulas cœnas sumptus esse facturos, quam centenos vicenosque æris, præter olus, & far, & vinum; neque vino alienigena, sed patrio usuros; neque argenti in convivio plus, quam libras centum illaturos.* Post id *Senatusconsultum legem Fanniam fuisse latam, quæ ludis Romanis, item plebeis, & Saturnalibus, & aliis quibusdam diebus in singulos dies centenos asses insumi concessit, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos, ceteris denos.* Athenæus libro sexto legem Fanniam plures tribus convivas præter domesticos adhiberi; nundinis tamen, quæ ternæ singulis mensibus fiunt, plures quinque vetare scri-

(h) In Instit. de l. Falcid. in princip. ubi Theop. vid.

(i) Euseb. in Chron.

[k] Nov. 18. Auth. de trien. & sem.

(l) L. In quantitate. in fin. D. ad l. Falc.

(m) L. Quod in bonis. §. 1. D. ad l. Falc. Nov. 1. c. 2. Auth. de hered. & Falc. §. Si vero expressim.

(n) L. Si heres centum. D. de leg. 1. l. 1. & 3. ad l. Falc. l. Ideoq. de ritu nupt. l. Grege. de leg. 2. l. Quod dicimus. de ritu nupt. (o) c. 24.

F

scri-

scribit. Cibaria denis festeriis emi permitti; carnis vero aridae non plus quindenis libris in singulos annos infumi: terra vero nata, uti olea & legumina lege permiffa, non æstimanda. Plinius libro decimo naturalis hiftoriæ (a) fic scribit: *Gallinas saginare Deliaci cœpere: hoc primum antiquis cœnarum interdictis exceptum invenio jam lege C. Fannii Consulis, undecim annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucrum poneretur, præter unam gallinam, quæ non esset altilis; quod deinde caput translatum per omnes leges ambulavit.* Et Tertullianus (b): *Quonam illæ, inquit, leges abierunt, sumptum & ambitionem comprimentes? quæ centum æra non amplius in cœnam subscribi jubebant? nec amplius quam unam inferri gallinam, & eam non saginatam? Video enim centenarias cœnas a centenis jam festeriis dicendas.* Hanc legem, ut Macrobius (c) scribit, C. Titius suavit; lata autem est duobus & viginti annis post Orchiam, quæ prima de cœnis lata est, qua numerus convivarum præscribatur. Ingenti autem omnium ordinum consensu pervenit ad populum. Eo enim res redierat, ut Sammonicus Serenus a Macrobio relatus scribit; ut gula illecti plerique ingenui pueri pudicitiam & libertatem suam venditarent; plerique ex plebe Romana vino madidi in comitium venirent, & ebrii de Reipublicæ salute confulerent. Fanniam post annos decem & octo Didia est consecuta, de qua antea scripsimus. De terra natis, quæ, ut Athenæus ait, lege excipiebantur, exstat elegans Ciceronis ad Gallum epistola [d]: *Lex, inquit, sumptuaria, quæ videtur dicitur attulisse, ea mihi fraudi fuit. Nam dum volunt isti lauti terra nata, quæ lege excepta sunt, in honorem adducere; fungos, heluellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. Itaque ego, qui me ostreis, & murænis facile abstinebam, a beta etiam & malva deceptus sum.*

FLAMINIA AGRARIA.

M. Emilio Lepido, M. Poblacio Malleolo quingentesimo vigesimoprimum, C. Flaminius C. F. Tribunus plebis, qui postea bis Consul & Censor fuit, & ad Thrasimenum occisus est, legem tulit, (e) Ut ager Picens, unde Senones Galli fuerant expulsi, militibus divideretur. Tulit eam legem tum Senatu, tum omnibus optimatibus perinvitis, quem pater suus concilium plebis habentem de templo deduxit. (f) Templum (g) dicebatur locus augurii aut auspicii causa quibusdam conceptis verbis finitus. Eam tamen legem fuisse perlatam, Polybius ostendit; qui ea de causa Gallicum bellum excitatum fuisse scribit, quod viderent Galli, non de gloria, sed de præda Romanos contendere.

- (a) *cap. 1.*
 (b) *Tertull. in apolog.*
 (c) *Macrobius lib. 3. Saturn.*
 (d) *Lib. 7. epist. 26.*
 (e) *Polybius lib. 2. Cic. in Lucullo, & in Bruto.*
 (f) *Cic. lib. 2. de Inven.*
 (g) *Varro lib. 6. de Ling. Lat. Gell. lib. 14. cap. 7. Sex. Pomp. verbo, Con-templari. & verbo, Minora templa.*

FRUMENTARIÆ LEGES.

De his in Appuleja, Clodia, Octavia, & Semproniam.

FUFIA CANINIA

DE TESTAMENTARIA MANUMISSIONE.

Paulus in calce libri quarti Sententiarum scribit, lege Fufia Caninia caveri, ut certus fervorum numerus testamento manumittatur: a duobus usque ad decem, pars dimidia: a decem usque ad triginta, pars tertia: a triginta ad centum, pars quarta: a centum ad quingentos, pars quinta: plures quam centum manumitti non posse (h). Addit Cajus libro primo institutionum, nullam esse eorum manumissionem, qui supra eum numerum testamento manumittuntur: itaque nominatim eis libertatem relinqui oportere, & ordinem testamenti sequendum. Sed & si pro nomine artificium, aut officium servi scribat, ex Senatufconsulto Orphitiano, ut Paulus scribit, perinde libertas competit, ac si nominatim data sit; nisi forte plures sint: nam impediunt se servi, tum, cum confuse nominantur. Hac de causa recte Justinianus (i) scribit: *Libertas incerta personæ non videbatur posse dari, quia placebat nominatim servos liberari.* Idem tamen Imperator hanc legem constitutione sustulit, neque minus voluit dominos testamento, quam vivos omnibus servis suis libertatem relinquere. Ad hanc legem Paulus (k) librum singularem scripsit, ex quo aliqua in Digestorum libris referuntur, huic legi accommodata.

(h) *Vid. den. Vopisc. in Tacito.*

(i) *In Inst. de legat. §. Libertas. l. unica. C. de lege Fuf. Can. tol. & in Inst. eod. tit.*
 (k) *L. Si quis eum. D. de cond. & demon. l. Potestatis. de verb. signif.*

FUFIA INCERTA.

Cicero in Prætura Urbana: *Cedo mihi leges Atinias, Furias, Fufias, ipsam, ut dixi, Voconiam, omnes præterea de jure civili: hoc reperies in omnibus statui jus, quo post eam legem populus utatur.* Asconius: *Iste omnes, inquit, de jure civili sunt; nihil continent criminum capitalium, publicique judicii.* Fufia familia plebeja fuit. Consulatum habuit ex ea primus Q. Fufius, Q. F. C. N. Calenus, cujus collega fuit P. Vatinius, odium populi Romani, anno septingentesimo sexto. Itaque hanc legem Tribuniciam fuisse arbitror. Illa enim Ciceronis longius ab eo tempore absunt. Quinctus quidem certe pater Caleni laudatur a Cicerone in Antoniana octava.

FURIA

TESTAMENTARIA.

Tulit apud majores nostros, inquit Cicero pro Balbo, legem C. Furius de Testamentis: tulit Q. Voconius de mulierum he-

(a) Theophilus in Institut. de l. Falc. in princ.

*hereditatibus: quas Latini voluerunt, ascrive-
runt.* Lege Furia, ut Theophilus ait, (a) jubebatur uni legatario non amplius mille aureis nummis legari posse. Qui plus accepisset, id quod plus esset, quadruplicatum restitueret. Hæc lex abrogata est lege Falcidia lata. Quantam enim cumque pecuniam dari, legarive permissum est; dummodo ex eo testamento quarta portio hereditatis apud heredem maneret. (b)

(b) L. I. D. ad l. Fal.

FUSIA

DE OBNUNTIATIONE.

Qui malam rem nuntiat, obnuntiat: qui bonam, annuntiat. Et proprie obnuntiare dicuntur augures, qui aliquid mali ominis, scævumque viderint: inde etiam etymologia hujus verbi est. Hæc Ælius Donatus in Adelphis. Fuit autem obnuntiatio duabus legibus Ælia & Fusia confirmata. Centum prope annos servatæ hæc leges fuere: sed lege Clodia, L. Pisone, A. Gabinio Consulibus, abrogatæ sunt.

GABINIA TABELLARIA

DE MAGISTRATIBUS.

Cicero libro tertio de legibus scribit, quatuor leges Tabellarias fuisse, quibus populo permittebatur suffragium non voce, sed tabella ferre. In quo magnam jacturam nobilitas fecit, propterea quod qui palam repugnare non audent, per tabellam quidvis efficiebant. Prima Gabinia fuit de magistratibus mandandis, lata ab homine ignoto & sordido Gabinio (c) Tr. Pl. anno Urbis sexcentesimo quattodecimo, Cn. Calpurnio Pisone, M. Popilio Lænote Consulibus. Biennio post Cassia lata est de populi judicio. Papiria tertia fuit de legibus: extrema Cœlia de perduellionis judicio, quod solum lege Cassia excipiebatur. Ita factum est, ut omnia, quæ ad populum pertinerent, suffragio decernenda tabella tecta a popularibus viris circumferrentur. Nam præter leges, & magistratus mandandos, & judicia publica, nihil populo Romano relinquatur. (d)

(c) Cic. in Lælio.

(d) Polyb. lib. 6. Dionys. lib. 2.

GABINIA

DE LEGATIONIBUS.

Idem Cicero libro secundo epistolarum ad Q. fratrem scribit, lege Gabinia sanctum esse, ut ex Kalendis Februariis ad Kalendas Martias legatis exterarum nationum quotidie Senatus daretur. Et in epistola ad P. Lentulum (e) negat, Senatum haberi alia de re posse mense Februario toto, nisi perfectis, aut rejectis legationibus. In Verrinis quoque de Prætura urbana, & de jurisdictione mensis Februarii in eandem rationem facit mentionem. Alterum ejusdem legis caput fuit; ut neve in Urbe verfu-

(e) Lib. 1. epist. 4.

ram facere, neve ex syngrapha jus dicere adversus provinciales homines liceret. [f] Lata autem hæc lex est ab A. Gabinio, non illo quidem, qui Tribunus plebis de Pompeii Magni imperio in piratas legem tulit, & postea Consul cum L. Pisone fuit (nam Tribunatus Gabinii biennio post gestus est, quam Verres accusatus est) sed ab altero ex eadem familia.

(f) Cic. lib. 5. & 6. ad Attic.

GENUCIA FENEBRIS.

C Marcio Rutilio quartum, Q. Servilio C. Ahala Coss. anno Urbis quadringentesimo undecimo, invenire se apud quosdam Livius scribit in calce libri septimi, L. Genucium Tribunum plebis tulisse ad populum, ne fenerari liceret; item aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet: neu duos magistratus uno anno gereret; utique liceret Consules ambos plebejos creari. Sed, an omnes has leges Genucius tulerit, Livius non dicit, immo magis dubitat, an eodem anno latæ sint. M. Cato initio libri de re rustica ita scribit: *Est interdum præstare mercaturis rem quærere, ni tam periculosum fiet; & item fenerari, si tam honestum fiet. Majores enim nostri sic habuerunt, & ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, feneratorum quadrupli. Quanto pejorem civem existimant feneratorum, quam furem, hinc licet existimari.* Ejusdem Catonis Majoris responsum a Cicerone (g) laudatur. Nam cum quæreretur ab eo, an maxime in re familiari expediret fenerari, respondit: An hominem occidere? nihil interesse existimabat hominem gladio aut fenore occidere. Tacitus (h) quoque, & Appianus veterem legem fuisse scribunt, ut in Duilia retulimus, quæ fenerari, verfuramque facere vetaret.

(g) Cic. lib. 2. in fine, de Off. sic.

(h) Tacit. lib. 5. Appian. lib. 1.

GLITIA

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

CAjus (i) libro singulari ad legem Glitiam: *Non est consentiendum parentibus, qui injuriam adversus liberos suos testamento inducunt, quod plerumque faciunt maligne, circa sanguinem suum inferentes judicium novercalibus delinimentis, instigationibusque corrupti.* De hac lege nihil amplius accipi. Vereor tamen, ne non mendosus hic locus sit: nam neque hoc familiæ nomen est, ut in reliquis; neque id memini me alio loco legisse, præter M. Claudii M. F. Glitiæ Dictatoris cognomen, qui scriba fuerat, & coactus est abdicare, ludis tamen prætextatus interfuit. Hunc Suetonius (k) Ilyciam, Florus C. Gluciam appellat. Sed Glucia Serviliorum cognomen est, ut in Servilia repetundarum dicemus. Glitia Dictator fuit anno Urbis quingentesimo quarto.

(i) L. Non est. D. de inoffic. test.

(k) Suet. in Tiberio. Flor. lib. 19. Fast. Capit.

HIRTIA.

HUjus legis apud Ciceronem mentio fit in epistola M. Antonii, Philippica XIII. *Massiliensibus jure belli adempta reddituros vos pollicemini. An nescitis neminem Pompejanum, qui vivat, tenere lege Hirtia dignitates?* Hæc Antonius. Tum Cicero: *quisquam jam legis Hirtia, inquit, mentionem facit? cujus non minus arbitror laborem ipsum, quam eos, de quibus lata est, pœnitere. Omnino quidem (mea sententia) legem illam appellare fas non est: & ut sit lex, non debemus illam Hirtii legem putare.* Hanc legem A. Hirtius, ut opinor, tulit, Pompejo superato, & C. Cæsare Dictatore perpetuo constituto. Quæ, cum per vim lata fuisse videatur, legis nomen habere non merebatur.

HORATIA.

HÆc lex lata est a L. Valerio Potito, & M. Horatio Barbato Coss. qui primi Consules post Decemviros fuerunt, ut Livius libro tertio scribit. Cum enim in tyrannidem conversa esset Decemvirorum potestas; cum ipsi legibus ferendis tantum creati essent, neque velent magistratus cæteros sufficere; Appii Claudii luxuria effecit, ut Virginius filiam occideret; & in montem Aventinum ex Algido exercitus signa transferret, quo plebs quoque Urbana se contulit, ut Pomponius (a) scribit. Hanc seditionem populares Consules creati popularibus legibus sedaverunt.

(a) L. 2.
§. Initium.
de orig. jur.

I. *Omnium primum* (inquit Livius) *cum veluti in controverso jure esset, tenerentur ne patres plebiscitis, legem Centuriatis comitiis tulere, Ut quod tributim plebs jussisset, populum teneret. Qua lege Tribunicis rogationibus telum acerrimum datum est.* Dionysius de eadem lege libro XI. scribit, confirmatas fuisse leges, quas plebs Tributis comitiis tulisset, eademque potestate eas esse voluerunt cum his, quas populus Romanus Centuriatis comitiis ferret: capiteque sanxerunt, si quis adversus eas fecisse deprehensus esset; ejusque bona publicari jufferunt. *Plebiscitum est*, ut Justinianus (b) ait, *quod plebs, plebejo magistratu interrogante, veluti Tribuno, constituebat: Lex vero, quod populus Senatorio magistratu interrogante, veluti Consule. Appellatione populi, universi cives significantur, connumeratis etiam patriciis & Senatoribus. Plebis autem appellatione sine patriciis & Senatoribus ceteri cives.* Centuriata comitia erant, ut superius jam vidimus, cum per quinque classes, quæ censu & ætate erant separatae, populus Romanus suffragium ferebat. In quibus comitiis optimates principatum tenebant, quippe qui cum locupletiores essent, primum locum in suffragiis ferendis obtinebant. Curiata vero, & Tributa comitia habebantur, cum per curias & tribus populus confuse suffra-

(b) Inst.
de jure nat.
§. Lex. §.
Plebiscit.

gium ferebat; in quibus populares homines regnabant. Cum enim multo plures plebei & egeni homines essent; quam locupletes & optimates; quod plebi placuisset, efficiebatur. Quamobrem Livius ait, plebiscita confirmata esse, cum plebi concessum est, ut, quod Tributis comitiis placuisset, id pro lege observaretur. Hæc tamen lex iterum in contentionem venit, & Hortensia lege opus fuit, quæ plebiscita iterum confirmaret; quod mox scribam.

II. *Aliam deinde Consularem legem* (inquit Livius) *de provocatione, unicum presidium libertatis, Decemvirali potestate eversam non restituum modo, sed etiam in posterum mununt, sanciendo novam legem; Ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet. Qui creasset, eum jus fasque esset occidi; neve ea cædes capitalis noxæ haberetur.* Hujus legis a Dionysio mentio non fit: sed exactis Regibus, a P. Valerio Publicola latum esse scribit, ut provocare ad populum liceret: quæ de re in Valeria lege dicemus. Namque, ut Livius libro X. scribit, ter ab eadem familia post Reges exactos de provocatione latum est. Pomponius (c) quoque noster scribit, exactis Regibus, Consules duos esse constitutos, penes quos summum jus uti esset, lege rogatum est: sed ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent, lege lata factum esse, ut ab eis provocatio esset. Interdum tamen necessitatibus Reipublicæ coacti, Dictatores in sex menses creantur, a quibus neque provocandi jus fuit, & capitis animadversio eis data est. Sed Dictatura CXX. annis ante L. Sullam intermissa fuit. Quadringentis vero annis, & eo amplius, a primo Dictatore, ipse Sulla se Dictatorem in tempus, non certum, ut antea, sed incertum creati jussit: quem secutus C. Cæsar Dictaturam perpetuam accepit. Eam deinde M. Antonius Cos. S. C. sustulit, ut Cicero initio Antonianarum scribit. Sed ad Imperatores ventum est, qui Rempublicam sine provocatione rexerunt.

III. Addit Livius: *Et cum plebem hinc provocatione, hinc Tribunicio auxilio satis firmassent, ipsis quoque Tribunis, ut sacrosancti viderentur, cujus rei prope iam memoria aboleverat, relatis quibusdam ex magno intervallo caeremoniis, renovarunt: & cum religione inviolatos eos, tum lege etiam fecerunt, sanciendo, Ut qui Tribunis plebis, Ædilibus, Judicibus, Decemviris nocuissent, ejus caput Jovi sacrum esset, familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret. Hac lege, inquit, juris interpretes negant quemquam sacrosanctum esse, sed eum, qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri. Itaque Ædilem prehendi, ducique a majoribus magistratibus: quod etsi non jure fiat (noceri enim ei, cui hac lege non liceat) tamen argumentum esse, non haberi pro sacrosancto Ædilem: Tribunos veteri jurejurando plebis, cum primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse. Fuere qui interpretarentur, eadem hac Horatia lege Consulibus quoque & Prætoribus, quia eisdem*

(c) L. 2.
§. Exactis.
2. de or. jur.

auspiciis, quibus Consules, crearentur, cautum esse. Judicem enim Consulem appellari. Quæ refellitur interpretatio, quod his temporibus nondum Consulem Judicem, sed Prætozem appellari mos fuerit. Hæc Livius de Horatia lege scribit: quem locum totidem verbis describere placuit, quoniam est ab eo Jurisconsultorum more lex interpretata. Et quod ait Jurisconsultos dicere, ea lege sacros homines fieri, qui illis magistratibus nocuissent, Macrobius lib. III. ex Trebatio lib. IX. religionum scribit, mirum non esse cætera sacra violari nefas esse, homines ex legibus diis sacros jus fuisse occidi. Nam veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur, sed abigebant ad fines deorum, quibus sacrum esset: animas vero sacratorum hominum diis debitas esse existimabant. Itaque quamprimum eas ad deos mittere curabant. In eam rationem Virgilianum carmen interpretatur:

*Iniecere manum Parcæ, telisque sacrarunt
Evandri....*

Sed & Horatianum illud eodem pertinet:

Hic intestabilis & sacer esto.

Quod vero Livius ait, Tribunos non hac lege, sed veteri jurejurando sacrosanctos esse constitutos; ad Sacratam legem pertinet, & ad sacramentum, cujus Dionysius lib. VI. mentionem facit. Qua de re in Sacratæ legibus dicemus. Jam vero quod Consulum mentionem esse factam negat, opinionem nostram, de qua in Duodecim scripsimus, confirmat; Consules a veteribus Prætores esse appellatos, idque in Duodecim tabulis, cum de impuberibus Prætoris arbitratu verberandis scribitur, intelligendum esse. Namque in hac lege ne Judices quidem esse dictos ait. Consules autem & Prætores & Judices esse aliquando appellatos, ex efficta hac Ciceronis lege constat. REGIO IMPERIO DVO SVNTO, HIQ. PRAEEVENDO, IVDICANDO, CONSVLENDO PRAETORES, IVDICES CONSVLES APPELLANTOR. Quamobrem recte dictum est, hac lege de plebis magistratibus actum. Ædiles vero, quorum hic mentio fit, Ædiles plebis sunt, qui ædibus sacris præerant, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, ut Pomponius (a) scribit. Nam Curules, ut etiam Prætores, ex patribus fuerunt post aliquot annos constituti, tum cum placuit etiam ex plebe Consules creari. Decemviri autem & judices qui fuerint, non facile dixerim; sed existimo minores aliquot plebis magistratus fuisse, de quibus in Æbutia nonnulla.

HORTENSIA.

(a) d. l. 2. §. Iisdem temporibus. & §. Deinde.
(b) d. l. 2. §. Deinde cum esset.
Idem Pomponius (b) scribit, cum esset in civitate lex XII. Tabularum & jus civile, quod ejus legis interpretatio fuit, essent & legis actiones, evenisse, ut plebs in discordiam cum pa-

tribus perveniret, & secederet, sibi que jura constitueret, quæ jura plebiscita vocantur: mox cum revocata est plebs, quia multæ discordiæ nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuisse ea observari lege Hortensia; & ita factum esse, ut inter plebiscita & legem species constituendi interesset, potestas autem eadem esset. Justinianus (c) quoque cum & legis & plebisciti differentiam constituisset, de qua in Horatia diximus: *Sed & plebiscita*, inquit, *lege Hortensia non minus valere, quam leges cœperunt.* Item A. Gellius libro XV. refert, Lælium Felicem libro I. ad Q. Mucium scripsisse, Tribunos plebis neque advocare patricos, neque referre ad eos de re ulla posse. Ita ne leges quidem proprie dici, sed plebiscita, quæ, Tribunis ferentibus, accepta sunt. *Quibus rogationibus ante*, inquit, *patricii non tenebantur, donec Q. Hortensius Dictator eam legem tulit, ut eo jure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur.* Fuit autem hic Dictator creatus, ut Florus libro XI. scribit, cum propter æs alienum, & graves & longas seditiones plebs in Janiculum secessisset. Qui cum plebem inde deduxisset, in ipso magistratu decessit. Post hanc legem, quidquid Tribunos plebem rogaverat, etsi vere plebiscitum esset, tamen lex dicebatur. Quamobrem Ulpianus (d) libro XVIII. ad edictum scribit: *Lex Aquilia plebiscitum est, cum eam Aquilius Tr. Pl. a plebe rogaverit.* Quod non recte Theophilus interpretatur, ut, cum seditio illa orta est, id plebiscitum ab Aquilio Tribuno rogatum sit. Nam cætera omnes leges a Tribunis latæ plebiscita appellantur, ut Falcidia, Sempronix, Appulejæ, Clodiæ, quas Tribunicias quoque leges vocabant. Illas autem, quas Consules populum rogabant, Consulares. M. Cicero de lege Agraria: *Leges sunt, inquit, veteres, neque eæ Consulares, si quid interesse hoc arbitramini, sed Tribunicix, vobis, majoribusque vestris vehementer gratae atque jucundæ, Licinia atque Æbutia.* Et in Sextiana oratione: *Quem non tam admiror, inquit, quod meam legem contemnat hominis inimici, quam quod se statuit omnino Consularem legem nullam putare.* Idem tamen Cicero Tribuni plebis rogationem plebiscitum appellat libro II. de Finibus. Nam cum L. Tubulus Prætor in quæstione inter ficarios ita aperte pecunias cepisset ob rem judicandam, ut anno proximo P. Scævola Tr. Pl. ferret ad plebem, vellent ne de ea re quæri. *Quo plebiscito*, inquit, *decreta a Senatu est Consuli quæstio Cn. Capioni: profectusque in exilium Tubulus statim est, neque respondere est ausus: erat enim res aperta.*

Lege quoque Hortensia effectum est, ut Macrobius scribit libro I. Saturnaliorum, ut nundinæ, quæ olim feriæ fuerant, fastæ postea essent: ut rustici, qui nundinandi causa in Urbem venissent, lites componere possent. Namque, ut in superioribus scripsimus, dies aut festi, aut profecti erant, aut intercisi. Festis, ut Macrobius ait, inerant sacrificia, epulæ, ludi, feriæ.

(c) Inst. de jure nat. §. Plebiscitum.

(d) L. I. ad l. Aquil.

feria. Profestis fasti, comitiales, comperendi-
ni, stati, præliares dies, quos superius perfecuti
sumus. Feriarum publicarum idem quatuor
genera constituit: Stativas, quæ universo po-
pulo communes erant certis constitutisque die-
bus, quæ in fastis statis observationibus adno-
tatae erant, ut Agonalia, Carmentalia, Luper-
calia. Conceptivas, quæ quotannis a magistra-
tibus & sacerdotibus concipiiebantur in dies vel
certos, vel incertos, ut sunt Latinae, Pagana-
lia, Sementinae, Compitalia. Imperativas, quas
Consules, vel Prætores pro arbitrio potestatis
indicebant. Quartum genus feriarum nundinas
olim constituebant, quibus diebus conveniebant
in Urbem ad negotia vel publica, vel privata.
Octo enim diebus, ut Rutilius scripsit, in agris
rustici opus faciebant; nono die, intermisso ru-
re, ad mercatum, legesque accipiendas Romam
veniebant. Qua de causa tribus nundinis, ut
in Cæcilia lege diximus, proponi legem oportebat,
antequam acciperetur, ut ab omnibus
cognosci diligenter posset. Hac itaque de cau-
sa nundinae lege Hortensia facta facta sunt. Fa-
stos autem dies veteres appellabant eos dies,
quibus Prætori licebat fari tria verba sollempnia,
DO, DICO, ADDICO. Cæteri nefasti dicebantur.
Etenim, ne rusticae operæ litium causa impedi-
rentur, permissum Prætori est, ut his feriarum
diebus, etsi nefasti essent, jus tamen dicere li-
ceret.

HOSTILIA DE FURTIS.

(a) In
Inst. de iis,
per quos ag.
poss. in fr.

Justinianus libro IV. Institutionum (a) ita
scribit: *Præterea lege Hostilia permissum
erat furti agere eorum nomine, qui apud hos-
tes essent, aut Reipublicæ causa abessent, qui-
ve in eorum, cujus tutela essent.* Hanc legem
Regiam, aut Consularem fuisse, aut Tribuni-
ciam, nobis incertum est. Fuit quidem certe
A. Hostilius Mancinus Consul anno II. belli
Persici; cujus collega fuit A. Atilius Serranus:
item L. Mancinus Consul cum Q. Fabio Ma-
ximo Æmiliano anno Urbis sexcentesimo octavo:
& C. Hostilius Mancinus M. Æmilii Lepidi
Porcinæ collega anno DCXVI. Hic est C.
Mancinus, qui deditus est Numantinis: nec
eum, ut ait Pomponius (b), acceperunt.

(b) L.
ult. D. de
legat.

ICILIA.

Hanc legem L. Icilius Tr. Pl. tulit, M.
Valerio, Sp. Virginio Coss. ut Diony-
sius libro X. & Livius libro III. scripserunt.
Qua lege Aventinus mons publicatus est, ut
populus in eo, ubi vellet, domos ædificaret. Sen-
tentia autem legis hujusmodi erat, ut Diony-
sius scribit: *Quæcumque privati homines iuste
possident, earum rerum domini sint. Quæ ve-
ro vi, aut clam ædificare aliquis cepit, solu-
tis ædificii sumptibus, populo tradantur. Cæ-
tera, quæ publica sunt, ea populus sine ullo
sumptu inter se dividat.* Hanc legem Livius
scribit non licuisse Decemviris tollere: ita e-

nim legum ferendarum potestas eis permessa est,
modo ne Icilia lex de Aventino, aliaque Sa-
cratae leges abrogarentur. Quamvis vulgo men-
dosi Liviani libri circumferantur, & Acilia pro
Icilia scribatur. Fuit autem L. Icilius, qui L.
Virginii filiam despondit, quæ a patre interfe-
cta est, ne ab Ap. Claudio Decemviro stu-
prum pateretur: & Livius eo loco Icilium Tri-
bunicium, & virum acrem, & pro causa ple-
bis expertæ virtutis appellat.

JULIÆ LEGES.

Nullum nomen legum est magis celebre
Nac frequentatum hoc ipso Juliarum le-
gum. Quod C. Julii Cæsaris, & ejus filii Au-
gusti honori est datum, quorum cognomen ad
cæteros omnes Imperatores pervenit. Nam, ut
Justiniani Novellam legem XLVII. (c) imite-
mur, sive vetustissimam illam Romanorum ori-
ginem investigemus, Ascanius nobis Æneæ filius
præsto erit, de quo optimus Poeta:

(c) Au-
th. ut præp.
nom. imp.

*At puer Ascanius, cui nunc cognomen Julio
Additur, ilus erat, dum res stetit Ilia regno.*

Et non multo post:

Julius a magno demissum nomen Julio:

sive ad maximi imperii initia respiciamus, &
magnum illum Cæsarem, & pium Augustum
inveniemus, ut Justinianus scribit. Nam quod
nuper in ea lege Severus additus est, mendosi
cujusdam libri peccato accidit. In Veneto enim,
& Florentino libro, ex quo Noricus manavit,
scriptum est, τ̄ καίσαρα, τ̄ μέγαυ η̄ αὐγύστον
τ̄ σίβασόν. Ulpianus (d) quoque, cum vellet
libro XLVI. ad edictum ostendere, familiam ap-
pellari plurium personarum, quæ ab ejusdem
ultimi genitoris sanguine proficiscuntur: *Sicu-
ti, inquit, diximus familiam Juliam, quasi
a fonte quodam memoriæ.* Has autem Julias
leges permultas fuisse reperimus, quarum lato-
res duos illos Cæsares fuisse, atque alios vetu-
stiores ex eadem familia, existimamus. Nos ita-
que prius de legibus Augusti, quæ plures atque
insigniores fuerunt, deinde de cæteris scribemus.
Et principio de lege Julia de adulteriis coer-
cendis videamus.

(d) L.
Pronuntia-
tio. in fine.
de ver. sig.

JULIA DE ADULTERIIS.

Ulpianus (e) libro primo de adulteriis
scribit: *Hæc lex lata est a Divo Augu-
sto. Quærent aliqui, cur, cum Augustus ex
Octavia familia fuerit, ejus lex Julia dicatur?*
Quibus etsi lib. III. Emendationum satis, ut
arbitror, fecimus; tamen hoc loco illud adde-
mus, veteres præter duo illa adoptionis genera,
quæ in vulgus nota sunt, cum quis apud po-
pulum, vel principem adoptatur, si sui juris est;
vel apud magistratum, si in aliena potestate
est; tertium adoptionis genus per testamentum
ha-

(e) L. 1.
ad l. Ju-
liam. de
adult.

ha-

petus facile decernentis fuit refranandus. Itaque patri, ut filiam & quemcumque adulterum occidat, permiffum est: marito vero, ut turpem adulterum, non etiam uxorem. Sed tamen apud Papinianum (a) libro XXXVI. quaestionum, Marci & Commodi, item D. Pii rescripta referuntur, quibus ultimum supplicium remittitur, cum fit difficillimum iustum dolorem temperare; & magis, quia plus fecerit, quam quia vindicare se non debuerit, puniendus sit. Itaque si humilis loci sit, in opus perpetuum tradi; si honestior, in insulam relegari iubetur. Mariti lenocinium, ut Ulpianus (b) libro quarto de adulteriis scribit, eadem lex coercuit, qui deprehensam uxorem in adulterio retinuit, adulterumque dimisit. Debit enim, inquit, uxori quoque irasci, quae matrimonium ejus violavit. Tunc autem puniendus est maritus, cum excusare ignorantiam suam non potest, vel adumbrare patientiam pretextu incredibilitatis. Idcirco enim lex ita locuta est, ADULTERVM IN DOMO DEPREHENSVM DIMISERIT: quod voluerit in ipsa turpitudine deprehendentem maritum coercere. Idem scribit: Quod ait lex, Adulterii damnatam si quis duxerit uxorem, ea lege teneri; an & ad stuprum referatur, videamus, quod magis est. Certe si ob aliam, inquit, causam ea lege sit condemnata, impune uxor ducetur. Addit Ulpianus, (c) illum quoque plecti, qui pretium pro comperto stupro acceperit, siue maritus sit, siue alius: si gratis remisit, non plecti. Qui quaestum ex adulterio uxoris suae fecerit, hoc est, qui quid acceperit, ut adulteretur uxor, plectitur. Sed si ob negligentiam, vel culpam, vel quandam patientiam, vel nimiam credulitatem; extra legem positus est. Idem Ulpianus libro VIII. disputationum scribit: Lenocinii crimen lege Julia praescriptum est, cum sit in eundem maritum poena statuta, qui de adulterio uxoris suae quid ceperit: item in eum, qui in adulterio deprehensam retinuerit. Ceterum qui patitur uxorem suam delinquere, matrimoniumque suum contemnit, quique contaminationi non indignatur, poena adulterum non infligitur. Ad hanc partem legis, ut a praepotore accepi, Aufonii Galli carmen pertinet:

*Jurisconsulto, cui vivit adultera conjunx,
Papiae lex placuit, Julia displicuit.*

Papia enim matrimoniis favebat, Julia mariti lenocinium vindicabat. Is quoque quasi adulter punitur, ut Papinianus libro II. de adulteriis (d) scribit, qui domum suam, ut stuprum, adulteriumve cum aliena matrefamilias, vel cum masculino fieret, sciens praebuerit, vel quaestum ex adulterio uxoris suae fecerit. Appellatione autem domus, habitatio quoque significatur; & si amici quis domum praebuisset, tenetur, ut Ulpianus (e) ait libro IV. de adulteriis: Sed & si quis, inquit, in agro, balineorum stuprum fieri praebuisset, compre-

hendi debet. Idem Ulpianus (f) eodem libro ait, intra sexaginta dies post divortium, ne mancipia per manumissionem subducantur quaestioni, manumitti ea a muliere prohibuisse. Tot enim dies marito dantur ad accusandum, ut Alexander (g) rescripsit. Ipsa igitur (inquit Ulpianus) quae divertit, omnes omnino servos suos manumittere, vel alienare prohibetur, quia ita verba faciunt, ut ne eum quidem servum, qui extra ministerium ejus mulieris fuit, vel in agro, vel in provincia, possit manumittere, vel alienare. Quod quidem perquam durum est; sed ita lex scripta est. Additur idem de his, qui post divortium comparati sunt, item de paternis servis, & maternis, qui in ministerium filiae fuerant. De eisdem sexaginta diebus aliis locis (h) tractatur. Sed & Ulpianus (i) libro XLVII. ad edictum scribit, Juliam legem, nisi certo modo divortium factum sit, pro infecto habere. Qua de causa Cuius verba libro III. ad legem XII. Tabularum ad hanc legem potius, quam ad Duodecim tabulas referenda esse arbitror. Si ex lege, inquit, (k) repudium missum non sit, & idcirco mulier adhuc nupta esse videatur, tamen si quis eam uxorem duxerit, adulter non erit. Illud notandum est, quod in omnibus libris (Tusco excepto) mendosum circumfertur, Ulpianum libro III. de adulteriis ita scripsisse: (l) Si postulaverit accusator, ut quaestio habeatur de servo adulterii accusato; siue voluit ipse interesse, siue noluit; jubent iudices, eum servum aestimari, & ubi aestimaverint, tantam pecuniam, & alterum tantum eum qui nomen ejus servi detulerit, ei, ad quem ea res pertinet, dare jubebunt. Scribunt alii, Tantam pecuniam adulterum, & tantam eum, &c. nimis ridicule, cum adulter servus sit. Et ad extremum ejus capitis ita scribendum est: Notandum est, quod capite quidem nono cavetur, si servus adulterii accusetur, & accusator quaestionem in eo haberi velit: at hic simplum. Agebat autem de servis rei, vel reae, quae absoluta fuit, in quaestione debilitatis, aut mortuis. Vulgo vero scribitur, quod hoc capite quidem non cavetur. Cui mendo causam dedit levis quaedam occasio; quod in Florentino libro, ex quibus caeteri descripti intra CCCC. annos sunt, alterum O hujus verbi nono, deletum esse videatur. Ego vero non dubito, priora illa verba, quae mendosa esse diximus in omnibus libris praeter Florentinum, ex nono capite legis Juliae sumpta fuisse. Namque etiam Papinianus libro II. de adulteriis (m) scribit: De servo, qui accusatur, si postuletur, quaestio habetur: quo absoluto, in duplum pretium accusator domino damnatur. Item Diocletianus Domitio rescripsit: (n) Dominis servorum per accusatoris calumniam tortorum, adversus eum poena dupli lege Julia provideatur. Quod Accursium non fugit, etsi in caeteris mendoso libro usus sit. Caetera, quae ad hanc legem pertinent, in nostris libris plene tra-

(a) L. Si adulterium. §. Imp. Marcus.

(b) L. Mariti lenocinium.

(c) L. 2. §. 1. eod.

(d) L. Qui domum.

(e) L. Et si amici.

(f) L. Prospexit. & segg. qui & a quib.

(g) L. Jure mariti. C. de adult.

(h) L. Miles §. Sexaginta. l. Mariti. §. Praeter ea, de adult. l. 3. C. eod.

(i) L. un. in fine. unde vir & uxor.

(k) L. Si ex lege de adult.

(l) L. Si postulaverit. in princip. & in fine. eod.

(m) L. ult. de calum.

[n] L. Dominis. C. de calum.

tractantur. Tantum addam, post quinquennium neque adulterum, neque mulierem accusari posse, neque etiam ceteros qui ex hac lege accusari possunt, ut Ulpianus scribit libro IV. de adulteriis. (a) Id autem tempus numeratur a die commissi criminis: at sexaginta dies, qui marito ad accusandum competunt, vel sex menses extraneo, ex die divortii numerantur; modo ne quinquennium exactum sit, ut idem Ulpianus scribit. Tryphoninus (b) quoque libro III. disputationum scribit, denegari marito minori intra LX. dies non accusanti restitutionem. Idem ait, nullam deprecationem adulterii poenae esse, si se minor annis adulterum fateatur. Quod ad alia quoque omnia, quae eadem lege puniuntur, porrigendum esse scribit: veluti si adulterii damnatam sciens uxorem duxerit, aut in adulterio deprehensam uxorem non dimiserit, quæstumve de adulterio uxoris fecerit, pretiumve pro comperto stupro acceperit, aut domum præbuerit ad stuprum, adulteriumve in eam committendum. De poena vero hujus legis ita Justinianus scribit libro IV. Institutionum: (c) *Item lex Julia de adulteriis coercendis, quæ non solum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, sed & eos, qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent. Sed eadem lege Julia etiam stupri flagitium punitur, cum quis sine vi vel virginem, vel viduam honeste viventem stupraverit. Poenam autem eadem lex irrogat stupratoribus; si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum; si humiles, corporis coercionem cum relegatione.* Hæc de lege Julia de adulteriis.

JULIA DE PUDICITIA.

Ab eodem Augusto lex hæc lata est, quam arbitror ab Justiniano cum illa altera de adulteriis coercendis esse confusam. Etenim Suetonius de legibus Augusti ita scribit: *Leges retractavit, & quasdam ex integro sanxit, ut sumptuariam, & de adulteriis, & de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus.* Itaque, quod antea diximus, qui adulterii damnatam uxorem duxerit, ea lege puniri: id Imperator Alexander ad hanc legem refert. (d) *Castitati, inquit, temporum meorum convenit, lege Julia de pudicitia damnatam in poenis legitimis perseverare. Qui autem adulterii damnatam, si quocumque modo poenam capitalem evaserit, sciens duxit uxorem, vel re-duxit; eadem lege ex causa lenocinii punietur.* Item quod idem Imperator rescripsit, (e) reos adulterii duos simul marem & foeminam ex eadem causa fieri, lex Julia de pudicitia vetat, sed ordine peragi utrosque licet. Ulpianus libro II. de adulteriis (f) idem scribit: *Si quis & adulterum & adulteram simul detulerit, nihil agit, poteritque, quasi neutrum detulerit, rursus a quo velit, initium facere, quia nihil agit prima delatione.* Et alio loco: (g) *Quæritur an alius adulteram, alius adulterum po-*

stulare possit: ut quamvis ab eodem ambo simul postulari non possint, a diversis tamen singuli possint. Sed non ab re est hoc probare, diversos accusatores admitti posse, dum, si ante denuntiationem nupsit, prior mulier accusari non possit. Quod ea de causa dictum est, quoniam, ut idem libro I. scribit, (h) qui uxori repudium miserit, potest ei denuntiare ne sejo nuberet: & si denuntiaverit, ab ea incipere potest: sin minus, expectabit sententiam de adultero latam: si absolutus fuerit, per eum mulier vincit, nec ultra accusari potest, ut idem Ulpianus libro II. scribit. (i) Ad has leges Horatius respexit libro IV. carminum:

*Nullis polluitur casta domus stupris,
Mox & lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperæ,
Culpam poena premit comes.*

JULIA

DE MARITANDIS ORDINIBUS.

Hanc cum aliquanto quam ceteras severius emendasset Augustus, præ tumultu recusantium perferre non potuit, nisi adempta lenitate parte poenarum, & vacatione triennii data, auctisque præmiis, ut Suetonius scribit. Cumque etiam immaturitate sponfarum, & matrimoniorum crebra mutatione, vim legis eludi sentiret, tempus sponfas habendi coarctavit, & divortii modum imposuit. Ejus fraudis Martialis libro VI. ut opinor, mentionem facit his verbis:

*Julia lex populis ex quo Faustine renata est,
Atque intrare domos jussa pudicitia:
Aut minus, aut certe non plus trigesima
lux est,
Et nubit decimo jam Telesina viro.*

Namque Domitianus Juliam legem restituit, & castrari mares vetuit: quod alio epigrammate idem poeta conjunxit:

*Ludus erat sacra connubia fallere tedæ,
Ludus & immeritos exsecuisse mares:
Utraque tu prohibes Cæsar, populisque fu-
turis
Succurris, nasci quos sine fraude jubes.*

De eadem lege Florus libro LIX. scribit, Q. Metellum Censorem, ut ducere uxores omnes omnino cogerentur liberorum creandorum causa, censuisse, ejusque orationem Augustum, cum de maritandis ordinibus ageret, velut eo tempore scriptam, in Senatu recitasse. De hac in nostris libris hæc scripta esse reperimus. Imperator Alexander (k) Minicio rescripsit, *ut qui duos filios in potestate vel diversis temporibus habuit, lege Julia de maritandis ordinibus obligatione operarum liberetur.* Ipsi Ju-

(a) L. Mariti. §. Hoc quinquennium. de adult.

(b) L. Auxilium. de minori.

(c) Inst. de pub. jud. §. Item lex.

(d) L. Castitati. C. de adult. L. Mariti. §. Quod ait. D. eod.

(e) L. Reos. C. eod.

(f) L. Si maritus sit. in fine. D. eod.

(g) L. Denuntia-se. §. Quæritur. eod.

(h) L. Qui uxori. eod.

(i) D. l. Denuntia-se. in fine.

(k) L. Nec patronis. C. de operis liberato.

(a) L. Qui libertinus. D. eod.

liæ legis verba Paulus (a) libro II. ad legem Juliam & Papiam refert hæc: QVI LIBERTINVS DVOS PLVRESVE A SE GENITOS NATASVE IN SVA POTESTATE HABEBIT, PRAETER EVM QVI ARTEM LVDICRAM FECERIT, QVIVE OPERAS SVAS VT CVM BESTIIS PVGNARET LOCaverit: NE QVIS EORVM OPERAS, DONI, MVNERIS, ALIVDVE QVIDQVAM LIBERTATIS CAUSA PATRONO, PATRONAE, LIBERISVE EORVM, DE QVIBVS IVRAVERIT, VEL PROMISERIT, OBLIGATVSVE ERIT: DARE, FACERE, PRAESTARE DEBETO. Quæ vero postea sequuntur, legis verba non sunt, neque enim in Tusco libro diplo notata sunt, ut reliqua. Ex quibus verbis apparet, quod Paulus, Ulpianus, & Cajus ad legem Juliam & Papiam scripserunt, id eos ad hanc legem de maritandis ordinibus, & ad legem Papiam & Poppæam scripsisse. Quod aliis quoque exemplis constat. Scribit Ulpianus libro XLVI.

(b) L. I. in fine. unde vir & uxor.

ad edictum: (b) Si liberta ab invito patrono divertit, lex Julia de maritandis ordinibus retinet istam in matrimonio, dum eam prohibet alii nubere, invito patrono. Idem Ulpianus (c) libro III. ad legem Juliam & Papiam: In eo jure, quod dicit invito patrono libertam, quæ et nupta est, alii nubere non posse; patronum accipimus, ut rescripto Imperatoris nostri, & Divi patris ejus continetur, & eum, qui hac lege emit, ut manumittat: Et postea: Hoc caput ad nuptam tantum libertam pertinet, ad sponsam non pertinet. Deinde ait lex, INVITO PATRONO: invitum accipere debemus eum, qui non consentit ad divorcium. Et alio loco sub titulo de divortiiis ex eodem libro (d) refertur: Quod ait lex, DIVORTII FACIENDI POTESTAS LIBERTAE QVAE NVPTA EST PATRONO NE ESTO: non infectum videtur effecisse divortium, quod jure civili dissolvit matrimonium: Et postea: Ait lex, QVANDIV PATRONVS EAM VXOREM ESSE VOLET, & velle debet uxorem esse, & patronus durare. Paulus (e) quoque libro II. ad legem Æliam Sentiam scribit, lege Julia de maritandis ordinibus remitti jusjurandum, quod liberto in hoc impositum est, ne uxorem ducat, libertæ ne nubat, si modo nuptias contrahere recte velint. Qua de re in Ælia Sentia dictum est. Eodem pacto ex his, quæ Terentius Clemens (f) libro IV. & V. & Cajus libro III. ad legem Juliam & Papiam scribunt, arbitror hac eadem lege Julia prohiberi omnes vias obligandi mulieres ne nubant; quamobrem legata ea conditione capi possunt, conditione neglecta. Et ad hanc legem Clementem (g) respicere, cum ita scribit, Legem utilem Reipublicæ, sobolis scilicet procreandæ causa, latam, adjuvandam interpretatione. Ad eandem Flaccus in sæculari carmine referendus est:

*Divæ producas sobolem, patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque novæ feraci
Lege marita.*

(c) L. In eo jure. de ritu nup.

(d) L. ult. de div.

(e) L. Adigere. in fine. de jure pat.

(f) L. Sed si hoc. in fine. l. Cum ita. & seq. de con. & de mon.

(g) L. Hoc modo eod.

Exstat apud Paulum (h) libro I. ad legem Juliam & Papiam caput integrum ejusdem legis. Ita enim scribit: *Lege Julia ita cavetur: QVI SENATOR EST, QVIVE FILIVS, NEPOSVE EX FILIO, PRONEPOSVE EX FILIO NATO CVIVS EORVM EST, ERIT: NE QVIS EORVM SPONSAM VXOREMVE SCIENS DOLO MALO HABETO LIBERTINAM, AVT EAM QVAE IPSA, CVIVSVE PATER, MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT. NEVE SENATORIS FILIA, NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATO, NATA: LIBERTINO, EIVE QVI IPSE, CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT: SPONSA NVPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO. NEVE QVIS EORVM DOLO MALO SCIENS SPONSAM VXOREMVE EAM HABETO.* Celsus tamen libro XXX. Digestorum scribit, lege Papia (i) caveri omnibus ingenuis præter Senatores, eorumque liberos, libertinam uxorem habere licere. Et Justinianus libro V. constitutionum: (k) Si libertam quis uxorem habeat, deinde inter Senatores scribatur dignitate illustratus, an solvatur matrimonium, apud Ulpianum quærebatur: quia lex Papia inter Senatores & libertas stare connubia non patitur. Sed Justiniano visum est legis Papiæ severitatem eo casu comprimere. Idemque respondit, si liberti focer Senator factus sit. Ex his apparet, quod Paulus legi Juliam, id Justinianum & Celsum Papiæ legi tribuere. Sed, ut antea scripsi, utraque ab jureconsultis conjuncta est, & existimo in Papiam permulta capita legis Juliam esse translata. Namque, ut Tacitus libro III. scribit, Papiam Poppæam senior Augustus post Julias rogationes incitandis coelibum poenis, & augendo ærario sanxerat. Sed de Papia alio loco scribemus. De hac parte hujus legis, sive Julia, sive Papia est, credendum est Ulpianum libro I. & Paulum libro II. ad legem Juliam & Papiam scripsisse, ut libro I. Digestorum (l) relatam est de Senatoris filiis. Idem Justinianus (m) rescripsit, nuptias, quæ inter masculos & feminas majores, vel minores sexagenariis, vel quinquagenariis lege Julia, vel Papia prohibitæ sunt, nullo modo se prohibere. Suetonius vero scribit, Claudium Cæsarem abrogasse legis Papiæ Poppææ caput, quod a Tiberio Cæsare adiectum erat, quasi sexagenarii generare non possent: quod Alciatus animadvertit libro III. Dispunctionum. Ejus tamen opinio, ut eadem Papia sit, quæ Julia de maritandis ordinibus dicitur, mihi non probatur; propterea quod Papiam ex Tacito post Julias rogationes latam esse constat. Multo minus quod Isidorum reprehendendum putat: qua de re in Papia dicitur. Juvenalis autem carmen ad hanc ipsam Juliam pertinet. Nam placet, vel ut alii scribunt, sed placet Ursidio lex Julia. Quinquagenariæ mulieres, ut Aristoteles & Plinius libro VII. scripserunt, raro gignunt, earumque partus mirabiles Justinianus (n) altera constitutione appellat, legitimos tamen filios ex his nasci vult. Paulus (o) quoque libro XXXIII. ad edictum: Si

(h) L. Lege Julia. de ritu nup.

(i) L. Lege Papia. eod.

(k) L. ult. C. de nup.

(l) L. Senatoris filium. & seq. de Senator.

(m) L. Sancimus nuptias. C. de nupt.

(n) L. Si major. de legi. her.

(o) L. Si sterilis. de action. emp.

ste-

sterilis, inquit, ancilla sit, cujus partus venit, vel major annis quinquaginta, cum id emptor ignoraverit, ex empto tenetur venditor. Quamobrem cum ille, qui quinquagenariam mulierem duceret, ex aliis liberos habere posset, prohibitus est lege Papia, ne quinquagenariam duceret. Idem in majoribus sexaginta annis constitutum est, ut non ducerent uxores, quia illæ ex aliis liberos suscipere possent. In quo Accursius errat. De eadem lege apud Gellium

(a) Lib. 2. Cap. 15. (a) reperio scriptum: *Capite enim VII. legis Juliae priori (inquit) ex Consulibus fasces sumendi potestas sit, non qui pluris annos natus est, sed qui pluris liberos, quam collega, aut in sua potestate habet, aut bello amisit. Sed si par utriusque numerus liberorum est, maritus, aut qui in numero maritorum est, praefertur. Si vero ambo & mariti, & patres totidem liberorum sunt, tum ille pristinus honos instauratur, & qui major natus est, prior fasces sumit. Super his autem, qui aut caelibes ambo sunt, aut parem numerum filiorum habent, aut mariti sunt, & liberos non habent, nihil scriptum in lege de ea aetate est. Solitos tamen, inquit, audio, qui lege potiores essent, fasces primi mensis collegis concedere, aut longe aetate prioribus, aut nobilioribus multo, aut secundum Consulatum ineuntibus. Scribit Livius libro I. Romulum primum Romanorum regem cum cætero habitu se augustiorem, tum maxime licioribus XII. fecisse, quosdamque dicere ab numero avium, quæ augurio regnum portenderant, eum numerum esse secutum. Livio eorum opinio placet, quibus & apparitores, & lictores ab Etruscis finitimis, unde sella curulis, unde toga prætexta sumpta est, numerum quoque ipsum ductum placet: & ita habuisse (inquit) Etruscos, quod ex duodecim populis communiter creato rege singulos singuli populi lictores dederint. Quod Dionysius libro III. ad Tarquinium Priscum refert, ut Etruscorum legati attulerint ei auream coronam, sellam eburneam, sceptrum, in quo summo aquila sedebat, tunicam purpuream cum aureis signis, & amictum purpureum varium, cujusmodi est, quo Lydorum & Persarum reges utuntur, sed non ita quadratum, sed rotundum; quam Romani togam, Græci τριβεννον appellant. Item duodecim secures, ut quidam (inquit) scripserunt, ex singulis urbibus singulas ferentes. Erat enim Etruriæ mos Regi securim & virgarum fascem lictores præferre. Quod si duodecim illis Etruriæ regibus unum esse ducem exercitus placuisset, illi duodecim fasces dabant; idque ait alios ad Romulum referre, sed fieri potuisse, ut Romulus Tuscorum morem secutus sit. Tarquinium tamen scribit ad Senatum retulisse, an illis insignibus eum uti paterentur: illis permittentibus, auream coronam tulit, picta toga & prætexta usus est, item sceptro & sella eburneis: lictores quoque XII. cum securibus & virgis jus dicenti præsto erant, & euntem præcedebant. Quæ omnia apud eos, qui regia potestate, exactis Regibus,*

usi sunt, hoc est, Coss. relicta fuerunt, corona & toga picta exceptis, nisi cum victores e provinciis redirent in triumpho. Sed de cæteris insignibus alias. De fascibus idem Livius libro II. scribit, Consules annuos regia potestate creatos omnia jura, omnia insignia tenuisse; id modo cautum esse, ne, si ambo Coss. fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior, concedente collega, fasces habuit. His fascibus secures demptas fuisse a Valerio intra urbem tantum, cum de provocatione concessum est, ex Livio libro III. & XXIV. sunt qui arbitrentur: quod aperte Dionysius libro V. tradit, ut in Valeria dicemus. Sed fascium habendorum vicissitudo, ut ex Gellio apparet, non in dies singulos, ut Budæo placet, sed in menses mutabatur. Quod etiam Dionysius ait libro V. antiquitatum: *eoque mense (inquit) alterum collegam ministri duodecim sine securibus cum bacillis præcedebant.* Suetonius etiam auctor est, C. Cæsarem Cos. antiquum morem retulisse, ut quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur. Cætera in XII. Tabulis, cum de sepulchris agetur, videbimus. Itaque, cum Consules alternis mensibus fascibus uterentur, vetus consuetudo fuit, ut primo mense major natus fasces haberet. Sed D. Augustus maluit eum honorem plurium liberorum parenti concedere; aut si pari numero liberos haberent, marito. Sed & observatum esse Gellius ait, ut qui ea lege præferbatur, cederet nonnumquam longe aetate majoribus, aut multo nobilioribus, aut his, qui iterum Consules fierent. Idem opinor in nominibus Consulium præponendis observatum, ut ejus nomen, qui primus fasces tenuisset, in Consulibus appellandis præponeretur; quod tamen nusquam traditum reperi. Ad hoc Gellianum caput Ulpianus (b) fortasse scribebat, cum libro XX. ad legem Juliam & Papiam Proconsules non amplius quam sex fascibus uti scripsit: qua de re in XII. dicemus. Refertur etiam libro XXIII. Digestorum Marciani (c) caput libro XVI. institutionum, capite XXXV. legis Juliae: ita enim inscriptum est: *Qui liberos, inquit, quos habent in potestate, injuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt, ex constitutione DD. Severi & Antonini per Proconsules, præsidesque provinciarum coguntur in matrimonium collocare & dotare.* Illud etiam ad eandem legem pertinere arbitror, quod Ulpianus (d) libro I. ad legem Juliam & Papiam scribit de his, quæ palam quæstum fecissent, aut in adulterio deprehensæ essent, quas opinor ea lege notari. Eiusdem legis est, ut arbitror, quod Ulpianus (e) libro VII. ad easdem leges scribit, ut, si maritus invita uxore dotalem servum manumiserit, quidquid ad eum pervenerit, restituat. *Adicitur, inquit, in lege, ut & si dolo malo aliquid factum sit, quominus ad eum perveniat, teneatur. & postea: De viro heredeque ejus lex tantum loquitur, de socero, successoribusque soceri*

(b) L. Proconsules. de offic. Proc.

(c) L. Qui liberos. de ritu nupt.

(d) L. Palam. de ritu nupt.

(e) L. Si vero negotium. de sol. matrim.

ri nihil in lege scriptum est. Item quod ait lex, QVANTA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM DATO: ostendit estimationem voluisse legem præstari. Paulus quoque libro XXII. quæstionum legis Juliæ verba refert hæc: AVT DOLO FECIT QVO MINVS AD EVM PERVENIAT. Sed & omnia, quæ ad legem Juliam & Papiam jurisconsulti scripserunt, ad hanc legem & Papiam pertinere existimo. Et, ut ex singulorum capitum Digestorum inscriptione animadverti, Ulpianus (a) libros viginti ad eas leges scripsit, ut ex illo capite, quo de fascibus Proconsulum agi dicebamus, apparet: item ex XVIII. capite de excusationibus (b) quod ad Gellianam quoque legem pertinere non dubito. Ut enim illic bello amissi liberi Coss. profunt, ut in fascibus præferantur; sic Ulpianus ad tutelæ excusationem eos prodesse ait. Hi sunt viginti illi libri, quos ad leges Ulpianum scripsisse in indice Digestorum dicitur. Sic etiam reliqui, qui ad leges scripti esse dicuntur, intelligantur; quod nemo hæcenus animadvertit. Nam Cajus (c) quoque libros XV. ad leges scripsisse dicitur, & ex quintodecimo ad legem Juliam & Papiam illa sub titulo de his, quæ ut indignis auferuntur, Justinianus refert: *In fraudem juris fidem accommodat, qui vel id, quod relinquitur, vel aliud tacite promittit restitutum se personæ, quæ legibus ex testamento capere prohibetur.* Paulum (d) etiam ad leges libros decem scripsisse ferunt; & extremum caput, *Si quid in fraudem patroni factum sit*, ex libro X. Pauli ad legem Juliam & Papiam sumptum est. Quamquam sub titulo de concubinis quædam ex XII. libro reperiantur: quod aut mendosum est, aut index ille, aut ego deceptus in describendo sum. Jam vero Terentius Clemens (e) ad leges libros viginti scripsisse dicitur; ex vicesimo quidem nihil relatum animadverti, sed tamen ex XVIII. sumptum est caput XV. de operis fervorum: item singulare de ademptione libertatis. Sic etiam (f) Marcellus & Junius Mauricianus libros fenos ad leges conscripserunt; ex tertio vero Marcelli quædam sub titulo de ritu nuptiarum reperiuntur; ex tertio quoque Mauriciani (g) caput XV. de jure fisci. Ex cæteris horum jurisconsultorum libris permulta in Pandectis relata esse animadverti, quæ hoc loco referre operæ pretium non esse existimavi. Sunt alia ex lege Julia, & Papiæ Poppæa sumpta in Ulpiani fragmentis libri singularis regularum. Ad cæteras Julias leges veniamus.

JULIA AMBITUS.

Hanc legem idem Augustus tulit, ut Suetonius ait, de qua Paulus libro V. sententiarum ita scribit: *Petiturus magistratum, vel provinciæ sacerdotium, si turbam suffragiorum causa conduxerit, servos advocaverit, aliamve quam multitudinem conduxerit, convictus ut vis publicæ reus in insulam deportatur.* Modestinus (h) vero libro II. de pœnis eam legem in Urbe cessasse scribit; quia ad cu-

ram principis magistratum creatio pertinet, non ad populi favorem. Sed si in municipio contra hanc, inquit, legem magistratum, aut sacerdotium quis petierit, per S. C. centum aureis cum infamia punitur. Sed sciendum est, quod Dion libro LIII. & Strabo libro XVII. & Theophilus libro II. institutionum scribunt, D. Augustum, ut firmiorem potestatem sibi, posterisque suis præstaret, in illo totius orbis imperio adumbratam quandam popularis potestatis formam instituisse. Provincias enim omnes divisit, atque eas, quæ pacatæ longe a Romanis hostibus aberant, populo reliquit, qui in eas Proconsules, atque Prætores mitteret: in quibus eligendis ambitus vindicari potuit. Eas vero sibi retinuit, quas impacatas, atque vicinas hostibus esse cognoverat. Nam, cum is nomen Imperatoris, hoc est, ducis militaris sibi sumpisset, bella per eum administrari oportebat. In eas itaque legatos suos, procuratores, & præsides mittebat. Exstantque hodie hujus divisionis vestigia, præter hæc ipsa magistratum nomina, de quibus aliquando agemus; tum quod Theophilus (i) notat, ab Justiniano differentiam esse sublatam stipendiariæ & tributariæ provinciæ; tum etiam quod Constantinus Harmenopolus libro I. τὴν προχειρὰ scribit, eas provincias, quæ populo Romano concessæ sunt, proprie publica bona dici. Cæteras civitates, si quid habeant, tamquam peculium id obtinere, cum aut Cæsaris, aut populi sint. Quod Ulpianus libro X. (k) ad edictum probat: *Bona, inquit, civitatis abusive publica dicta sunt. Sola enim ea publica sunt, quæ populi Romani sunt.* Et Cajus libro III. ad edictum provinciale: *Eum, inquit, qui vectigal populi Romani conductum habet, publicanum appellamus. Nam publica appellatio in compluribus causis ad populum Romanum respicit: civitates enim privatorum loco habentur.* Sed hac etiam de re accuratius alio loco tractabitur, quo & provinciarum nomina & magistratum, quorum in nostris libris mentio fit, colligemus. Interea illud addamus, hanc Augusti simulationem, qua illud aucupari videbatur, ut is solus teneret rem bellicam & tributa (nam hoc etiam sibi retinuit) quibus vinculis regiari potestatem occultaret, paulatim evanuisse. Namque initio in provincias illas populi de Cæsaris voluntate magistratus eligebantur, deinde ne populus quidem consulebatur, sed omnia ad principis nutum fiebant. Idque est quod Modestinus scribit. Alterum ambitus genus suffragiorum Justiniani Novella VIII. punitur, de quo alias.

JULIA SUMPTUARIA.

DE hac lege præter Suetonium, ita Gellius libro II. scribit: (l) *Postremo lex Julia ad populum pervenit, Cæsare Augusto imperante, qua profestis quidem diebus ducenti finiuntur, Kalendis, Idibus, Nonis, & aliis quibusdam festivis trecenti, nuptiis autem, & repotiis se-*

(a) D. L. Proconsules.

(b) L. Bello amissis. de excus.

(c) L. In fraudem. de his que ut ind.

(d) L. 2. de concub.

(e) L. Operis fervorum. l. un. de adem. lib.

(f) L. Plerique. l. Proxime. de ritu nup.

(g) L. Senatus censuit. de jure fisci.

(h) L. un. de lege Julia ambitus.

(i) Instit. de rev. div. §. Per traditionem.

(k) L. Bona. & seq. de verb. signif.

(l) C. 24.

se-

sestertii mille. Esse etiam dicit Capito Atejus edictum (Divi ne Augusti, an Tiberii Cæsaris, non satis commemorari) quo edicto per dierum varias sollempnitates a trecentis sestertiis adusque duo millia sumptus cænarum propagatus est, ut his saltem finibus luxuriæ effervescentis æstus coerceretur. Repotia sunt, ut Sextus Pompejus notat, cum postero die nuptiarum apud novum maritum cœnatur, quia quasi reficitur potatio. Sestertii tum quatuor assibus æstimabantur, ut apud Justinianum & Mæcianum (a) libro singulari de assibus, atque alios, quorum scripta libro II. Emendationum & opinionum retulimus. Asses autem semunciam æris pendebant, ut Plinius scribit ex Papiria lege. Itaque sestertii sex libram æris constituebant: XX. libræ æris aureum nummum ex Arcadii constitutione. (b) Qua ratione tota hujus legis æstimatio confici potest, & ad similitudinem nostrorum nummorum redigi pingui, ut ajunt, Minerva. Namque, ut aurificum statera hæc examinentur, non est a nobis hoc tempore postulandum.

(a) L. ult. C. de donat.

(b) L. un. C. de coll. æris lib. 10.

(c) L. Apud eum de manum.

Augusti quoque lex a Paulo libro XVI. ad Plautium (c) refertur: Imperator, inquit, cum servum manumittit, non vindictam imponit, sed cum voluit, fit liber is qui manumittitur ex lege Augusti. Hæc illa est fortasse, de qua in Fusia Caninia dicebamus Suetonium scribere, D. Augustum manumittendi modum terminasse, & pleraque de eorum manumissionibus constituisse, de quibus in Junia quoque Norbana dicemus. His reperio Augustum nomen Juliarum legum dedisse, etsi de hujus postremæ legis nomine mihi non constet. Papiam quoque & Falcidiam eodem tempore latas esse constat. Nunc de cæteris videamus.

JULIA DE REPETUNDIS.

M Cicero in oratione Sextiana testis est, hanc legem a C. Cæsare latam esse. De qua Marcianus libro XIV. institutionum scribit: (d) Lex Julia repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas quis in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, ministeriove publico cepit, vel cum ex cohorte cujus eorum est. Excipit lex a quibus licet accipere: a sobrinis, propioreve gradu cognatis suis, uxore. Addit Venulejus Saturninus (e) libro III. publicorum judiciorum: Eadem lege tenentur qui ob denuntiandum, vel non denuntiandum testimonium pecuniam acceperint. Item eadem caveri, ait, ne quis ob militem legendum, mittendumve æs accipiat: neve quis ob sententiam in Senatu, consiliove publico dicendam pecuniam accipiat, vel ob accusandum, vel non accusandum; utque urbani magistratus ab omni sorde se abstineant, neve plus doni, muneris in anno accipiant, quam quod sit aureorum centum. Item Macer libro I. judiciorum publicorum (f) scribit: Lex Julia de repetundis præcepit, ne quis ob judicem, arbitrumve dandum, mutan-

(d) L. 1. de l. Jul. rep.

(e) L. Eadem lege. eod.

(f) L. Lex Julia. eod.

dum, jubendumve ut judicet; neve ob non dandum, non mutandum, non jubendum ut judicet: neve ob hominem in vincula publica coniciendum, vincendum, vincirive jubendum, exve vinculis dimittendum: neve quis ob hominem condemnandum, absolvendumve: neve ob litem æstimandam, judiciumve capitum, pecuniæve faciendum, vel non faciendum, aliquid acceperit. Illud quoque cavetur, ne in acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum publice dandum, præbendum, adprehendendum, facta testata tuenda, ante quam perfecta, probata, præstita lege erunt. Datur ex hac lege, ut Scævola (g) libro IV. regularum scribit, in heredes actio intra annum, dumtaxat a morte ejus qui arguebatur. Usucapi autem vetatur, quod contra hanc legem datum est, ut Paulus (h) libro LIV. ad edictum scribit. Eadem lex venditiones, locationes ejus rei causa plures, minorisve factas irritas facit. M. quoque Cicero in oratione in Pisonem scribit: Exire de provincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum injussu populi, aut Senatus accedere, cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia majestatis, Julia de pecuniis repetundis planissime vetant. Et pro Rabirio Postumo: Jubet lex Julia persequi ab his, ad quos ea pecunia, quam is ceperit qui damnatus sit, pervenerit. Si est hoc novum in lege Julia, sicuti multa sunt severius scripta, quam in antiquis legibus, & sanctius vindicata; sane etiam consuetudo hujus generis judiciorum nova sit. Hoc totidem verbis translatum caput est, quot fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia. Hujus autem legis poena quæ fuerit, ignoramus. Macer (i) tamen scribit: Hodie ex lege repetundarum extra ordinem puniuntur, & plerumque vel exsilio puniuntur, vel etiam durius, prout admiserint. Olim, ut ex Verrinis Ciceronis constat, lis æstimabatur, bonaque vendebantur ejus qui damnatus esset; is vero in exilium voluntarium proficiscebatur. Sed illæ orationes ante C. Cæsaris Consulatum habitæ, quo tempore lex hæc lata; cæteræ, quas antea retulimus, post illius Consulatum. In epistolis autem M. Cæli ad Ciceronem (k) repetitur, legis de repetundis unum & centesimum caput fuisse: QVOD EORVM IUDICVM MAIOR PARS IUDICARIT, ID IVS RATVMQVE ESTO. Quod ad hanc legem pertinuisse non dubito.

(g) L. 2. eod.

(h) L. Quod contra. eod.

(i) D. L. Lex Julia. in fine.

(k) Lib. 9. epist. 7.

JULIA AGRARIA.

A Grariam legem idem Cæsar tulit, ut Calistratus (l) ait libro V. de cognitionibus: & adversus eos, qui terminos statutos extra suum gradum, sineve moverint dolo malo, pecuniaria poena constituta est. Nam in terminos singulos, quos ejecerint, locove moverint, quinquaginta aureos in publicum dari jubet; & ejus actionem & petitionem ei, qui voler, eise jubet. Hanc legem, ut Suetonius & Florus li-

(l) L. ult. de term. mo.

bro

bro CIII. scribunt, Caesar Cos. tulit, invito Senatu, & M. Bibulo ejus collega obnuntian- te, quem armis foro expulit, &, ut domo ab- ditus reliquum tempus ageret, coegit. Ipse cam- pum Stellatam majoribus consecratum, agrum- que Campanum ad subsidia Reipublicæ vecti- galem relictum, divisit extra sortem viginti millibus civium, quibus terni, pluresve liberi essent. Hæc Julia lex appellatur a Suetonio in Augusto, cujus pater C. Octavius inter XX. viros agrum Campanum plebi Julia lege divi- sit. Exstat etiam Tiberii Cæsaris constitutio de sepulchris post codicem Theodosianum, in qua monumentorum multa genera exprimuntur: in quibus est, quod non longe ab adibus, vel itinere publico constitutum est juxta legem Semproniam, & Juliam, quod cardinibus & decumanis constitutum esse monstratur. Decu- manus limes, ut Urbicus & Sextus Pompejus scribunt, est, qui ab oriente ad occidentem, vel contra fit: cardo, qui ad meridiem a se- ptentrione, vel contra. Idem Suetonius scri- bit, Casarem Dictatorem octoginta civium millia in transmarinas colonias distribuisse.

JULIA JUDICIARIA.

(a) L. an. in fin. de l. Jul. ambitus.

M Odestinus (a) libro II. de pœnis scri- bit: *Si reus, vel accusator domum judicis ingrediatur, per legem Juliam judicariam in legem Ambitus committit; idest, aureos centum fisco inferre jubetur.* Hanc Pau- lus (b) libro II. ad legem Juliam & Papiam, publicorum judiciorum appellasse videtur: *Lege, inquit, Julia publicorum judiciorum cavetur, ne invito denuntietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobri- no natum, eosve, qui priore gradu sint: item ne liberto ipsius, liberorum ejus, parentium, viri, uxoris, item patroni, patronæ, & ut ne patroni, patronæ adversus libertos, neque liberti adversus patronum cogantur testi- monium dicere.* Ulpianus (c) autem libro II. & III. ad edictum scribit, ex his verbis legis Juliae judiciorum, *QVOMINVS INTER PRIVATOS CONVENIAT, sufficere privatorum consensum, qui jurisdictioni alicujus se subiciant, licet ille ignoret qui tribunali præest. Ad eandem (d) Callistrati verba refero libro I. edi- cti monitorii. Cum lege Julia cautum, inquit, sit, ne minor XX. annis judicare cogatur: nemini licere minorem XX. annis compromis- sarium judicem eligere.* Item, quæ de nume- ro patronorum alio loco scripta sunt, cum hac lege convenirent, nisi quod illa magis ad Au- gusti leges pertinere videntur. Existimo, hanc legem a C. Cæsare Dictatore latam esse, quod Cicero Philippica prima significare videtur. Is enim, ut Suetonius scribit, judicia ad duo ge- nera judicium redegit, Equestris ordinis, ac Senatorii; Tribunos ærarios, quod erat tertium, substituit. In quo Aureliam abrogavit. Erant Tribuni ærarii, qui militibus æs dabant, eiuf-

(b) L. Lege Julia. de testib.

(c) L. I. & 2. de judic.

(d) L. Cum lege. de recep.

que pecunia attributa dabatur, ut Varro scri- psit; ipsi eam Quæstori provinciæ dabant, ut ex Asconio in Prætura urbana Budæus notat. Hi ex Equitibus erant, ut Plinius libro XXXIII. scribit.

JULIA DE CIVITATE ROMANA.

JULIA, qua civitas universo Latio data est, de qua Ser. Sulpitius in libro de dotibus, & Neratius de nuptiis scripserunt, ut Gellius refert libro IV. Noctium. (e) Namque ait Servium scripsisse, in Latio qui uxorem du- cturus erat, ab eo unde ducenda erat, stipula- batur eam in matrimonium ductum iri; qui daturus erat, spondebat daturum. Hic contra- ctus sponsalia dicebatur; promissa, sponsa; al- ter sponsus dicebatur, agebaturque ex spon- su si fidem ille fregisset, lisque æstimabatur, nisi justa causa adferretur. Idque observatum esse ait, quoad civitas universo Latio lege Ju- lia data est. Ejusdem rei (f) apud Ulpianum lib. singular. de sponsalibus, & Florentinum libro III. institutionum mentio relata est. *Spon- salia dicta sunt a spondendo. Nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores fu- turas: unde & sponsi, sponsæque appellatio nata est.* Sed & apud Arnobium libro IV. speratæ, pactæ, & interpositis stipulationibus sponsæ differunt. Non longe ab eadem re ma- trimonia, quæ per coemptionem fiebant, ab- sunt; de quibus in XII. Tabulis dicemus. Ju- liæ vero legis a Cicerone mentio fit in oratio- ne pro Balbo. Cujus verba, quoniam obscura esse existimantur, referam, & quo pacto acci- pienda esse arbitrer, scribam. *Innumerabiles, inquit, leges de civili jure sunt latæ, quas Latini voluerunt, ascriverunt. Ipsa denique Julia, qua lege civitas est sociis & Latinis data; qui fundi populi facti non essent, civi- tatem non haberent? in quo magna conten- tio Heracliensium & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in his civitatibus juris sui libertatem civitati anteferreret.* Balbus Gadita- nus, dum in castris Cn. Pompeii Magni milita- ret, ab eo civitatem Romanam est consecu- tus. Itaque L. Cornelius Balbus dictus est. Sed cum is ex fœderato populo esset, civem Ro- manum fieri eum non posse dicebant, nisi is populus fundus factus esset: hoc est, nisi is populus legibus Romanis uteretur. Reprehen- dit id Cicero, atque adferit, eum fuisse in his rebus majorum morem, ut, cum populus Ro- manus quidquam jussisset, si id focii, aut La- tini recepissent, eaque lex in eo populo tam- quam in fundo reledisset, tum ea lege is po- pulus teneretur; qui ea de causa fundus popu- lus dicebatur. *Nisi forte, inquit, Julia lege cives Romani facti non sunt, nisi qui fundi populi facti essent?* Gellius libro XVI. (g) scribit: *Municipes sunt cives Romani ex mu- nicipiis suo jure & legibus suis utentes, mu- neris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capeffendo appellati*

[e] Cap. 4.

(f) L. 2. spons.

[g] Cap.

13.

vi.

videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, cum numquam populus eorum fundus factus esset. Cui Ulpianus (a) ad stipulatur libro II. ad edictum, & Paulus (b) libro IX. Idem quoque Gellius translatione quadam non ineleganti hoc nomine libro XIX. usus est. Hæc ego, inquit, dixi, non ut hujus sententiæ legisque fundus, subscriptor- que fierem, sed ut ye viri docti opinionem ἀπαρχμύδου destituerem. Itaque apud Ciceronem Neapolitanorum contentio esse potuit, num magis placeret suo jure uti, quam cives esse Romanos. Sed quod de focis ait, non est ad omnes populi Romani focios referendum (id enim Antonini constitutione (c) effectum est) sed ad Italicos tantum. Florus tamen libro LXXX. Marianis temporibus ait Italicis populis a Senatu civitatem datam esse; id per quem actum sit, non dicitur. Quamobrem Julia ne ea lex fuerit, incertum est. Sed tamen hoc a Cæsare concessum arbitror: nam Quæstor, ut Suetonius scribit, colonias Latinas de petenda civitate agitantes adiit, & ad audendum aliquid concitabat. Sed & Cicero libro XIV. (d) ad Atticum scribit: *Scis quam diligam Siculos, & quam illam clientelam honestam judicem. Multa illis Cæsar, neque me invito; & si Latinitas erat non ferenda: verum tamen. Ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem a Dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani: cujus rei, vivo illo, mentio nulla.* Jus Latii a civitate Romana distinxit, non quo Latini cives non essent, sed quod, ut de libertatibus dicemus in Junii legibus, non ita ianmunes Latinae urbes erant, atque coloniae, atque plebs urbana. Quod jus Italicum fortasse sub titulo de censibus libro L. Digestorum dicitur. Sed hæc posterius. Ipsum Cæsarem legionem Alaudarum Gallicam, civitate Romana donasse, Suetonius scribit, omnesque medicinam Romæ professos, & liberalium artium doctores.

JULIA THEATRALIS.

Scribit Plinius libro XXXIII. (e) Tiberii Cæsaris anno nono anulorum equestrium auctoritati formam constitutam, C. Asinio Polli- one, C. Antistio vetere Coss. post Romam conditam anno DCCLXXV. constitutumque esse, ne cui jus anulorum esset, nisi cui ingenio ipsi, patri, avoque paterno sestertia CCCG. census fuisset, & lege Julia Theatrali in XIV. ordinibus sedendi. Ita verum fuit, quod ipse ante hæc verba refert, anulos distinxisse alterum ordinem a plebe, sicut tunica latior, quam latum clavum appellabant, Senatam ab equitibus distinguebat. Equites autem dicebantur, quod equo mererent suis sumptibus. Item iudices, quod Sempronia lege judicarent. His quatuordecim ordines lege Roscia, & Julia Theatrali ad spectacula dati sunt. Sed his tantum, qui quadringentis millibus censerentur, ut antea dictum est. Quadringenta enim sestertia, toti-

dem millia sestertiorum nummorum esse, nemo ignorat. Hujus legis a Suetonio in Augusto mentio fit. *Cum enim, inquit, plerique equorum, attrito bellis civilibus patrimonio, spectare ludos e quatuordecim non auderent, metu pœnæ Theatralis, pronuntiavit Augustus non teneri ea, quibus ipsis, parentibusve equester census unquam fuisset.* De hoc equestri censu illud Martialis intelligendum est:

*Si dederint superi decies mihi millia centum,
Dicebas, nondum Scævola factus eques.*

Item Horatius libro I. epistolarum:

*Si quadringentis sex septem millia defunt
Plebs eris.*

Ex quibus omnibus intelligimus, quod Cajus ait, libro XI. (f) ad edictum provinciale, receptam esse honoris causa inter conjuges donationem: ut puta si uxor laticlavii petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat: census enim augendi causa donatum esse existimamus. Ex quo fiebat, ut Senator esse posset, cujus tunica illa latior, quæ & laticlavium, & latusclavus dicitur, erat insigne: aut eques Romanus fieret, qui anulo utebatur. Senatorius census fuit duodecies sestertium, ut in duodecim diximus. Lati autem clavi mentio quoque fit in Alexandri constitutione, ut alii animadverterunt, quamvis mihi nimis suspectus ille locus sit. De jure vero aureorum anulorum idem Plinius ait, quod etiam libro XL. Digestorum Justiniani scriptum est: solere libertos id jus a principe impetrare, ut ingenui haberentur: quamvis, ut Paulus (g) libro IX. ad legem Juliam & Papiam scribit, ab hereditate ejus patronus non excluditur. Sed postea Justinianus libertis concessit Novella LXXVIII. ut id jus impetrare non oporteret.

JULIA DE SACERDOTIIS.

DE hac lege (h) ita Cicero scribit in epistola quadam ad M. Brutum: *Est etiam in lege Julia, quæ lex est de Sacerdotiis proxima, his verbis: QUI PETIT, CUIUSVE RATIO HABEBITUR. aperte indicat posse rationem haberi etiam non presentis.* Quod, ut in Domitia scripsimus, a Cicerone relatum est, ut ejus filius in collegium augurum cooptaretur, absens. Hanc a C. Cæsare latam arbitror.

Julia de patronorum numero nescio an eadem sit cum ea, quam judicariam appellavimus. Tantum reperio apud Asconium, defendisse M. Scaurum patronos sex, L. Domitio Aenobarbo, & Appio Claudio Pulchro Coss. cum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur; ac post bella civilia ante legem Juliam ad duodenos patronos est perventum. Id tamen Augusti temporibus evenisse arbitror.

JU.

(a) L. I. Ad munic.
(b) L. Munus trib. de verb. signi.

(c) L. In orbe. de statu hom. & Nov. 78. in fine.

(d) Epist. 12.

(f) L. Nuper. de donat. int. vir.

(g) L. Is qui jus. de jure aur. anu. Auth. Ut liberti de cætero.

(e) Cap. 2.

(h) L. Si Rufinus. C. de test. milit.

JULIA

DE LEGATIONIBUS.

(a) *Epist.* 11. **A** Pud Ciceronem libro XV. ad Atticum [a] ita crediderim scriptum fuisse: *Habent opinor liberae legationes definitum tempus lege Julia, nec facile addi potest, † idque adeo genus legationis, ut cum velis, introire, exire liceat: quod nunc mihi additum est. Bella est autem hujus juris quinquennii licentia. Quamquam quinquennium cogitem? Contrahi mihi negotium videtur.* Ex quibus verbis videtur significare, Julia lege quinquennium liberis legationibus esse praestitutum. Cicero tamen libro III. de legibus cum legem hanc scripsisset, REI SVAE ERGO NE QVIS LEGATUS ESTO: addit nihil turpius esse, quam quemquam legari, nisi Reipublicae causa: neque placere ut hereditates & syngraphas suas persequantur legati sine mandatis & sine ullo Reipublicae munere. Itaque hoc genus legationis ipse Cicero Consul, approbante Senatu, fustulisset, nisi ei levissimus Tr. Pl. intercessisset: annum tamen fecit, quod erat perpetuum. Credendum ergo est postea quinquennium permissum. De his legationibus ita Ulpianus scribit libro LXXIV. ad edictum Praetoris: (b) *Qui libera de legatione. Qui libera legatione abest, non videtur Reipublicae causa abesse. Hic enim non publici commodi causa, sed sui abest.* Quae verba Accursium non percepisse, recte Budaeus notat. Sed & Alfenus libro V. Digestorum (c) scribit: *Non vere dicitur Reipublicae causa abesse eum, qui sui privati negotii causa in legatione est.* M. Cicero oratione prima in Rullum: *Hereditatum, inquit, obeundarum causa, quibus vos legationes dedistis [cum Senatoribus autem loquitur] qui & privati & privatum ad negotium exierunt, non maximis opibus, neque summa auctoritate praediti; tamen auditis profecto quam graves eorum adventus sociis vestris esse soleant.* Idem in altera oratione in Rullum, & in oratione pro Flacco scribit.

JULIA MAJESTATIS.

(d) *L. 3. ad l. Jul. majest.* **H**aec lex praecipit, ut Marcianus scribit (d) libro XIV. institutionum, eum, qui majestatem publicam laeserit, teneri. Cujus rei per multa exempla ab eodem, & a Scævola (e) libro IV. regularum traduntur. Sed & Ulpianus libro VIII. disputationum scribit: *Qui de provincia, cum ei successum esset, non discessit, aut qui exercitum deseruit, vel privatus ad hostes perfugit, quive sciens falsum conscripsit, vel recitavit in tabulis publicis.* Nam & hoc, inquit, capite primo lege Majestatis enumeratur. Justinianus vero libro IV. institutionum (f) scribit, hanc legem in eos, qui contra Imperatores, vel Rempublicam aliquid moliti sunt, suum vigorem extendere. *Cujus pra-*

na, inquit, animae amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur. Hæc lex cui referenda sit, plane ignoro. Suspitor tamen C. Cæsaris fuisse. Etenim Cicero Philippica prima scribit, ejus legem fuisse, ne Prætoriae provinciae plus quam annum, ne plus quam biennium Consulares obtinerentur. Quae lege nulla melior, utilior, & optima in Republica sæpius flagitata, sed eam M. Antonius fustulit.

JULIA DE VI PUBLICA.

(g) *L. 1. ad l. Jul. de vi pub. l. 2. eod.* **M**arcianus libro XIV. institutionum (g) scribit hac lege teneri, qui arma, tela domi suæ, agro, in villa, præter usum venationis, vel itineris, vel navigationis coegerit. Item excipiuntur arma, quæ quis promercii causa habuerit, hereditateve ei obvenerint; ut Scævola scribit libro IV. regularum. Addit Marcianus (h) in eadem causa esse, qui turbæ, seditionisve faciendæ consilium inierint, servos, aut liberos homines in armis habuerint. Ulpianus (i) tamen libro LXVIII. ad edictum, exceptum esse ait, qui propter venationem habeat homines, qui cum bestiis pugnent, ministrosque ad ea habere conceditur. Venationem hoc loco tam publicam, quam privatam intellige. Solebant enim veteres publicis spectaculis venationum delectari, ad quas damnatos homines deferebant. M. Cicero (k) in epistola quadam ad M. Marium: *Reliquæ sunt (inquit) venationes binæ per dies quinque, magnificæ, nemo negat. Sed quæ potest esse homini politico delectatio, cum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur, aut præclara bestia venabulo transverberatur?* In hunc modum accipiendum est quod de venatione ferarum libro XI. constitutionum (l) dicitur, ut occidere leones vulgo liceat, & ut bestiae ad comitatum principis ab omnibus limitum ducibus transmittantur, quæ septem non amplius dies intra singulas civitates detineantur, ut quamprimum uti eis Cæsar possit: poenaeque constituitur adversus eos, qui eas bestias occiderint, librarum auri quinque. Quamobrem recte Alciatus noster libro II. *παρέρων* interpretatur, quod Cajus libro III. de poenis [m] scripserat: *Ad bestias damnatos favore populi Praeses dimittere non debet. Sed si ejus roboris, vel artificii sint, ut digne populo Romano exhiberi possint, principem consulere debet.* Hi enim non liberantur; sed consulitur princeps, utrum velit eorum artificio & robore in venatione uti. Huc etiam pertinet quod Cajus libro I. ad legem Juliam & Papiam (n) scripsit, ad bestias damnatos longo tempore detineri solere antequam supplicium sumatur. Diocletianus quoque & Maximianus in consistorio dixerunt, (o) Decurionum filios non debere bestiis obijci: vanasque voces populi audiendas non esse, cum aut obnoxium crimine absolvi, aut innocentem condemnari desideraverint. Quamquam non iniqua est Accursianorum interpretatio, ut si quis arti-

[h] *L. 3. eod.*(i) *L. Qui dolo. eod.*(k) *Lib. 7. epist. 1.*(l) *L. un. C. de ven. ferarum. lib. 11.*(m) *L. Ad bestias. de poenis.*(n) *L. Qui ultimo. eod. tit.*(o) *L. Decurionum. C. eod.*

tificio, aut scientia excellat, tantisper ejus supplicium differatur, dum princeps consulitur. Sed & in venationibus erant qui operas suas locarent, erant etiam qui virtutis ostentandæ causa cum bestiis pugnarent, ut Ulpianus scribit libro VI. ad edictum. (a) Exstat hodie Novella CV. Justiniani, quæ Consulibus spectacula præscribit, in quibus *μονημέριον* exhiberi jubetur, quo die hujusmodi venationis genus edebatur. Namque libro I. Græcorum epigrammatum in hanc sententiam Leon philosophus εἰς τὸ *μονημέριον* sui Consulatus scribit:

*Phæbe potens jaculis, musarum maxime princeps,
Fac, germana feras, animos addendo feroces,
Incitet, ut caveæ clamores æthera pulsent.
Nec tamen ullius gemitum me audire decebit,
Nunc cum sceptrâ Jovis fuerim placidissimi adeptus.*

Sed ad legem Juliam revertamur. Et Marcianus libro XIV. institutionum (b) scribit, eadem lege teneri, qui pubes cum telo in publico fuerit; & qui pessimo exemplo convocata seditione villas expugnaverit; & qui cum telis & armis bona rapuerit. Item qui ex incendio rapuerit aliquid præter materiam: & qui puerum, vel foeminam per vim stupraverit: quique in incendio cum gladio, aut telo rapiendæ causa fuit, vel prohibendi dominum res suas fervare. Item (c) qui hominibus armatis possessionem domo, agrove suo, aut navi sua dejecerit, aut expugnaverit. Item qui cœtu, concursu, turba, seditione incendium fecerit, quique hominem dolo malo incluserit, obsederit, quive fecerit quominus sepeliatur, quo magis funus diripiatur, distrahatur, quive per vim sibi aliquem obligaverit; nam eam obligationem lex rescindit. Addit Ulpianus libro VIII. de officio Proconsulis: [d] *Lege Julia de vi publica tenetur, qui cum imperium, potestatemve haberet, civem Romanum adversus provocationem necaverit, verberaverit, jussitve quid fieri, aut quid in collum injecerit, ut torqueatur. Item quod ad legatos, oratores, comitesve attinebit, si quis quem eorum pulsasse, sive injuriam ei fecisse arguetur.* Marcianus quoque scribit libro V. publicorum, eadem lege caveri, ne quis reum vinciat, impediatur, quominus Romæ intra certum tempus adsit. Sunt alia, quæ Ulpianus (e) persequitur libro LXVIII. ad edictum, & alii aliis locis. Macer quoque libro I. judiciorum (f) scribit, posse dici sepulchri violati crimen ad hanc legem pertinere ex illa parte, qua de eo cavetur, qui fecerit quid, quominus aliquis funeretur, sepeliaturve: quia & qui sepulchrum violat, facit quo quis minus sepultus sit. Ad hanc legem fortasse Cicero respexit in oratione de aruspicum responsis: *Decrevit, inquit, Senatus, eos, qui id fecissent, lege de vi, quæ est in eos qui univer-*

Tom. I.

sam Rempublicam oppugnassent, teneri. Sed hæc ad Plautiam quoque pertinere potuerunt. Damnato autem de vi publica, ut Ulpianus (g) scribit, aqua & igni interdicitur, quam deportationem Justinianus (h) appellat, & tum locum habere ait, cum armata vis plectitur: vis autem, quæ sine armis fit, lege Julia de vi privata in tertiam partem bonorum coercetur, idque est quod libro XLIII. Digestorum dicitur de vi & de vi armata: quarum altera a Cicerone in oratione pro Cæcinnâ vis quotidiana, altera vis armata a nostris appellatur. Eratque olim duplex ea de re interdictum, ut ex illa Ciceronis oratione constat. Cujus tota defensio Ulpiani verbis (i) comprobatur libro LXIX. ad edictum.

JULIA DE VI PRIVATA.

Paulus [k] libro LV. ad edictum scribit: *Legis Juliae de vi privata crimen committitur, cum cœtum aliquis, & concursum fecisse dicitur, quominus quis in jus produceretur, & si quis questionem de alterius servo habuisset.* Et si quis aliquem dejecit ex agro suo hominibus congregatis sine armis, ut Ulpianus (l) ait libro LXIX. ad edictum. Sed & qui convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur, pulsatur, neque homo occisus erit, ut Scævola (m) libro IV. regularum scribit. Id ipsum tamen Ulpianus [n] libro LXVIII. ad edictum, ad legem Juliam de vi publica refert, in quo videtur Tribonianus hallucinari libro XLVIII. Digestorum. Debuit enim altero loco cum armis, altero sine armis addere, ex libro IV. institutionum Justiniani, [o] ut antea retulimus. Addit Marcianus [p] libro XIV. institutionum: *De vi privata damnati pars tertia bonorum ex lege Julia publicatur, & cautum est, ne Senator sit, nec Decurio, aut ullum honorem capiat; neve in eum ordinem sedeat, neve iudex sit; & videlicet omni honore, quasi infamis, ex S. C. carebit.* Illud nescio, ad hanc legem, an ad illam alteram pertineat, quod Julianus ait libro XLIV. Digestorum: [q] *Lex, inquit, Plautia & Julia ea demum vetuit longa possessione capi, quæ vi possessa fuissent, non etiam ex quibus vi quis dejectus fuisset.* Quod Justinianus quoque refert libro II. institutionum. [r] Item quod Callistratus (s) libro quarto de cognitionibus scribit, *Lege Julia de vi caveri, ne hac lege in reum testimonium dicere liceret, qui se ab eo, parentove ejus liberaverit; quive impuberes erunt, quive iudicio publico damnatus erit, qui eorum in integrum restitutus non erit, quive in vinculis, custodiave publica erit; quive ad bestias ut depugnaret, se locaverit; quive palam questum faciet, feceritve; quive ob testimonium dicendum, vel non dicendum, pecuniam accepisse iudicatus vel convictus erit.* Quæ verba dipte notata in Florentino libro sunt. Dipten autem appello eam notam, de qua Isidorus libro I. etymologiarum scri-

(g) D. l. Qui dolo: in fine. [h] Inst. de pub. jud. §. Item lex Julia. de vi. & de interd. §. Recupera-
randæ.

(i) L. Quod est. de vi & vi arm.

(k) L. Legis Juliae. ad l. Jul. de vi priv.

(l) L. Si quis aliquem. eod.

(m) L. 2. eod.

(n) L. qui dolo. §. Hac lege. ad l. Jul. de vi pub.

(o) D. §. Item lex. de pub. jud.

(p) L. 1. ad l. Jul. de vi priv.

(q) L. Non solum. §. Si dominus. de usucap.

(r) Inst. de usucap. §. Furtivæ.

(s) L. Testium. §. Lege Julia. de testibus.

(a) L. 1. §. Et qui operas. de postul.

(b) L. 3. ad l. Jul. de vi pub.

(c) L. Qui cœtu. eod.

(d) L. Lege Julia. 1. eod.

(e) L. Qui dolo. l. Hi qui ædes. eod.

(f) L. Sepulchri violati crimen. de sep. viol.

scribit, in libris interpretum rerum divinarum solere religiosos viros ea nota sacrorum librorum testimonia demonstrare. Et apud Ciceronem libro VIII. ad Atticum (a) in optime scriptis libris est: *Animadvertito illum locum, ubi erit δ.πλῆ: videbis de Cneo nostro ipse Vibullius quid existimet.* Qua nota nos libenter utimur, quod eam in vetustissimis quibusque libris adjectam esse animadvertimus.

JULIA DE ANNONA.

Ulpianus libro IX. de officio Proconsulis (b) scribit, hac lege teneri, qui contra annonam fecerit, societatemve coerit, quo annona carior fiat. Eademque lege caveri ait, ne quis navem, nautamve retineat, aut dolo malo faciat, quo magis detineatur, & poena XX. aureorum statuitur.

JULIA PECULATUS.

Hac lege cavetur, ut Ulpianus libro XLIV. ad Sabinum (c) scribit, *ne quis ex pecunia sacra, religiosa, publicave auferat, neve intercipiat, neve in rem suam vertat, neve faciat, quo quis auferat, intercipiat, vel in rem suam vertat, nisi cui utique lege licebit; neve quis in aurum, argentum, aes publicum quid indet, neve immisceat, neve quo quid indatur, immisceatur, faciat sciens dolo malo, quo id pejus fiat.* Addit Venulejus Saturninus (d) libro III. judiciorum publicorum: *Qui tabulam æream legis, formamve agrorum, aut quid aliud continentem reflexerit, vel quid inde immutaverit, lege Julia peculatus tenetur. Eadem lege tenetur, qui quid in tabulis publicis deleverit, vel induxerit.* De poena vero ita Ulpianus (e) libro I. de adulteriis scribit: *Peculatus poena aquæ & ignis interdictionem, in quam hodie successit deportatio, continet.* Sacrilegi capite puniuntur, ut Paulus ait libro singulari de judiciis publicis.

JULIA DE RESIDUIS.

Hæc lex ab Justiniano (f) cum superiore conjungitur. Marcianus tamen libro XIV. institutionum scribit: *Lege Julia de residuis tenetur is, apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, ex pecunia, quam accepit, aliave qua causa pecunia publica refedit. Sed & qui publicam pecuniam in usu aliquo acceptam retinuerit, nec erogaverit, hac lege tenetur.* Qua lege damnatus, amplius tertia parte, quam debet, punitur. Paulus quoque libro singulari de judiciis publicis (g) scribit, legem Juliam residuorum post annum residuam esse jussisse eam pecuniam, quam is, qui in provinciam ibat, debebat, eamque professus erat apud ararium. Addit Marcianus libro I. judiciorum publicorum (h) hac lege teneri, qui in tabulis publicis minorem pecuniam, quam quid venierit, aut loca-

verit, scripserit, aliudve quid simile commiserit.

JULIA DE TUTORIBUS

A PRÆSIDIBUS DANDIS.

Justinianus libro I. institutionum (i) scribit: *Si cui nullus omnino tutor fuerat ex testamento, aut ex legibus, ei dabatur in Urbe quidem a Prætoribus urbano, & majore parte Tribunorum plebis tutor ex lege Atilia: in provinciis vero a Præsidibus provinciarum ex lege Julia & Titia.* Aliis quoque casibus tutor ex his legibus petebatur, ut si sub conditione, aut ex die certo datus erat testamento tutor, item quandiu ex testamento nemo heres existeret, atque etiam si tutor ab hostibus captus esset. Sed, ut in Atilia lege diximus, ex his legibus tutores pupillis delierunt dari, posteaquam primo Consules pupillis utriusque sexus tutores ex inquisitione dare cœperunt, deinde Prætores ex constitutionibus. Cœperunt autem Consules tutores dare D. Claudii temporibus; qui sanxit, ut pupillis extra ordinem tutores a Coss. darentur, ut Suetonius scribit. Quamobrem libro singulari de excusationibus scripsimus, Modestinum dixisse Consulari potestate suppleri, quod in testamento deerat. Prætor autem Tutelaris a M. Antonino Philosopho introductus est, ut Julius Capitolinus scribit; de cujus Prætoris officio Ulpianus & Paulus singulares libros scripserunt, ut in libris de excusationibus a Modestino refertur.

(i) Inst. de Atil. tut. in princ.

JULIA

DE BONIS CEDENDIS.

Libro VII. constitutionum titulo, *Qui bonis cedere possunt*, existat Imperatorum Diocletiani & Maximiani rescriptum in hæc verba: *Legis Juliae de bonis cedendis beneficium constitutionibus Divorum nostrorum parentum ad provincias porrectum esse, ut cessio bonorum admittatur, notum est.* Item libro quarto Theodosianarum constitutionum sub titulo, *Qui bonis ex lege Julia cedere possunt*, Gratiani & Theodosii constitutiones duæ reperiuntur, quæ in illo VII. Lib. Justiniani relatae sunt.

JULIA

DE FUNDO DOTALI.

De hac lege ita Cajus (k) libro XXI. ad edictum provinciale scribit: *Lex Julia, quæ de dotali prædio prospexit, ne id marito liceat obligare, aut alienare, plenius interpretanda est, ut etiam de sponso idem juris sit, quod de marito. Dotale prædium, inquit Ulpianus libro V. de adulteriis (l), accipere debemus tam urbanum, quam rusticum. Ad omne enim*

(k) L. Lex Julia. de fundo dot.

(l) L. Dotale. eod.

(a) Epist.

2.

(b) L. 2. De l. Jul. de annonâ.

(c) L. 1. Ad l. Jul. pecul.

(d) L. Qui tabulam. eod.

(e) L. 3. eod. l. Sacrilegi. eod.

(f) L. Lege Julia. §. Lege. eod.

(g) L. Sacrilegi. in fine. eod.

(h) L. Hac lege. eod.

enim ædificium lex Julia pertinebit. Prædii appellatione etiam pars continetur: ut si prædium commune sit. Justiniani quoque constitutio (a) exstat, in qua ita scriptum est: *Lex Julia fundi dotalis Italici alienationem prohibebat fieri a marito, non consentiente muliere; hypothecam autem, nec si mulier consentiebat.* Quod ab eodem principe ad provincias porre-ctum est; item additum, ut alienare fundum, ne consentiente quidem uxore, maritus possit. Quod etiam libro II. institutionum (b) refer-tur. Hæ sunt Juliae leges, quæ nescimus, ad Augustum ne Cæsarem, an vero ad Cajum referendæ sint.

(a) L. un.
§. Et cum
lex. C. de
rei ux. act.

(b) Inst.
quib. alien.
tib. in princ.

(c) In Ju-
lia. cap. 42.

Cæsaris Dictatoris lex fuit, cujus nomen ignoramus, quam Suetonius [c] refert. *Octoginta enim civium millibus in transmarinas colonias distributis, ut exhaustæ quoque urbis frequentia suppeteret, sanxit, ne quis civis major annis viginti, minorve XL. qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset; neu quis Senatoris filius nisi contubernalis, aut comes magistratus peregre proficisceretur; neve hi, qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent. Omnesque medicinam Romæ professos, & liberalium artium doctores, quo libentius & ipsi Urbem incolerent, & ceteri appeterent, civitate donavit.* Hæc Suetonius. Et sane hæc lex necessaria fuit, non propter colonias solum, sed & propter bellorum civilium cædes, urbe hominibus exhausta.

Idem Cæsar de pecuniis mutuis, rejecta novarum tabularum expectatione, decrevit, ut debitores creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum, quanti ante bellum civile fuerant comparatæ, deducto fœnore. Qua ratione quarta pars fere, ut Suetonius ait, deperibat. Hinc illi joci Ciceronis sunt in epistolis ad Papirium Pætum: *Sed quando, ut video, æstimationes tuas vendere non potes, neque ollam denariorum implere, Romanam tibi remigrandum est.* Item illud: *Numquam plura prædia habuisti.* Addit Tacitus libro V. legem Dictatoris fuisse, qua de modo credendi, possidendique intra Italiam cavebatur. Quam Tiberii tempore neglectam ipse restituit.

Julia Annalis a neutro Cæsare lata est, sed, ut in Annali dictum est, a L. Julio Annali Tr. Pl. ut Livius scripsit libro XL. qua de ætate eorum, qui magistratus gererent, agebatur, ut illic scripsimus.

Julia Miscella ab Julio Miscella dicta est, ut Justinianus significare videtur XXII. Novella: (d) Non desunt tamen, qui interpretentur hujus legis cognomen non a latore legis acceptum, sed a mixtis multarum rerum capitibus, ut Satyram: quod mihi non displicet; nam & id cognomen Juliae gentis nusquam legi: & ut esset, potuit ab hac lege emanare, ut Annalis cognomen. Miscellos ludos Suetonius in Caligula factos refert, eadem fortasse ratione appellatos. Hac lege cautum fuit,

(d) Auth.
de nupt. §.
Quæ vero.

ut si vir uxori testamento legatum reliquisset ea conditione, ne ad secundas nuptias veniret, intra annum legatum capere posset, & nubere, si modo juraret se liberorum procreandorum causa id agere. Post annum vero Q. Mucii Scævola cautione præstita se nupturam non esse, legatum capiebat. Sed hanc legem Justinianus (e) abrogavit, & initio constituit nullo sacramento aut cautione opus esse, sed liberam voluntatem uxoribus ac viris relinquit legata capiendi. Postea vero ea capere quidem post annum permisit, sed cautione præstita restitutos se ea, si nuptias contraxissent.

(e) L. 2.
§. 3. C. de
ind. vid.

JUNIAE LEGES.

Cicero in Cornelia apud Asconium, Q. Cæcilio Metello, M. Junio Syllano Coss. anno Urbis DCXLIV. latum esse scribit, ut leges, quæ rem militarem impedirent, abrogarentur. Cum enim Junius ipse bello Cimbrico male rem gessisset, leges, quæ per eos annos populo latae erant, quibus militiae stipendia minuebantur, abrogavit; ut Asconius scribit: qui liber maxime mendosus est, tum hoc loco in Junii Syllani nomine, quem modo Æmilium, modo Silvium appellat, tum etiam in Livii legibus, quas Junias postea nominat.

Junia & Licinia a D. Junio Silano, & L. Licinio Muræna Coss. lata, ut opinor, est anno Urbis DCXCI. quam Cicero in Sextiana inter Consulares leges Juniam refert, quas libro II. & IV. ad Atticum contemni moleste fert. Quid autem in his legibus scriptum amplius esset ignoro.

JUNIA NORBANA.

Hanc legem latam esse existimo Tiberii Cæsaris tempore, M. Junio Silano, L. Norbano Coss. anno DCCCLXXI. qua servi Latinam libertatem consequerentur. Namque civitas Romana, ut Cicero in Topicis scribit, tum competebat servis, cum censu, aut vindicta, aut testamento liberi fiebant. Quod ita Severinus interpretatur, ut censu manumitterentur servi, cum consensu domini servi nomen in censum delatum esset. Vindicta fiebat liber, lictoris virga ad servi caput admota; nam virgam ipsam vindictam appellabant; servum in libertatem eodem lictore vindicante. De censu idem Cicero ait libro I. de Oratore: *Quid de libertate? quo iudicium gravius esse nullum potest: nonne ex jure civili potest esse contentio? cum quaeritur, is, qui domini voluntate census sit, si non sit conditum lustrum, sit ne liber.* Lustrum enim a Censoribus fiebat, quo tempore quibusdam sacrificiis, cum census ageretur, tota civitas lustrabatur; ut ex illo primo Servii Tullii lustrum apud Livium libro I. cognosci potest. Theophilus quoque libro I. institutionum & tria illa genera manumittendi refert, & in eundem modum ea interpretatur; sed addit, opus esse, ut servi do-

minus ex jure Quiritium dominus esset, item ut legitimam ætatem servus habeat, hoc est, annos triginta. Quamobrem libro III. Emendationum scripsimus, Justinianum (a) ita fortasse scriptum reliquisse sub titulo de libertinis: *Et omnes libertos nullo nec ætatis manumissi, nec domini manumittentis, nec in manumissionis modo discrimine habito civitate Romana decoravimus.* Nam, ut Theophilus scribit, non domini ætas, sed dominium inspiciebatur. De vindicta autem notum est poetæ (b) nescio cujus carmen:

Vindicta postquam meus a Prætoce recessi.

Fiebat enim apud Prætoce, aut Consulẽ hæc manumissio, apud quem ex lege Ælia Sentia si dominus minor XX. annis esset, causa probabatur. Vindicius autem, sive, ut Pomponius (c) scribit, Vindex, Vitelliorum servus, qui conjurationem post Reges exactos detexit, primus vindicta liberatus esse dicitur, ut Livius libro II. scribit. Vindictæ quoque nomen ab eodem tractum putant: postea observatum esse scribit, ut, qui ita liberati essent, in civitatem accepti viderentur. Cajus vero libro I. institutionum, cujus tamen libri duo, qui hodie exstant, mihi suspecti sunt (videntur enim alienas esse manus passî) in his tamen ita Cajus scribit: *Cives Romani sunt, qui his tribus modis, idest testamento, aut in ecclesia, aut ante Consulẽ fuerint manumissi. Latini sunt, qui aut per epistolam; aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur.* In quibus verbis existimo pro eo, quod de censu diximus, manumissionem in ecclesia esse adjectam ab eo, qui post Theodosianas leges institutiones Caii, & Pauli sententias conjunxit. Etenim libro IV. constitutionum Theodosii ea de re exstat Constantini rescriptum ad Osium episcopum datum XIV. Kalendas Maii, Crispiterum & Constantino iterum Coss. Qui dies & Consules adscribendi sunt libro I. constitutionum Justiniani, (d) ubi ejusdem legis verba referuntur. Itaque censu obsoleto ex ea lege civitas Romana servis dabatur, si in æde sacra apud Pontificem ejus provinciæ libertas daretur. Latini vero & illis modis fiebant, & aliis, qui ex Justiniani constitutione, & ex Theophili institutionibus colligi possunt. Namque Justinianus (e) dum totam hanc Latinam libertatem tollit, enumerare videtur eos modos, quibus Latini liberti fiebant. Principio enim per epistolam jubet libertate data, quinque testibus adhibitis, civitatem competere: quem esse Latinæ libertatis modum Cajus & Theophilus scribunt. Item inter amicos totidem testibus præsentibus. Addit, quod ex edicto D. Claudii, cujus apud Suetonium quoque mentio fit, olim Latinitas competebat, si ægrotus servus domo ejectus esset: hic enim olim libertus Latinus fiebat, hodie civis Romanus. Huc accedit, si ancilla adversus conditionem venditionis prostituta sit. Sed & qui pileati domini

funus antecedunt, ut captivi cives Romani, qui in triumpho pileati incedebant, quasi liberati servitute ab eo qui triumphabat; ut apud Livium in calce libri XXX. Q. Terentius Scipionem Africanum secutus est, & libro XXXIV. T. Quinctium capitibus rasis qui servitute exempti fuerant. Est autem utrumque a Plauto in Amphitrione conjunctum: *Nisi etiam* (inquit) *herus me ignorabit, quod ille faciat Jupiter, ut ego hodie raso capite calvus capiam pileum.* Erat autem hoc etiam in manumissionibus observatum, unde testamento manumissi, atque adeo omnes defuncti liberti funus pileati antecedebant, ut in Fufia Caninia dictum est. Sed quoniam heredes solebant ostentationis gratia multos servos ita adornare, neque eis postea ut libertis utebantur, jussit Justinianus cives Romanos fieri: item illos, qui cadaver ventilare in lectulo videntur, de quibus nihil accepi. Sed arbitror ejusmodi esse, atque eos, qui in funere Pontificum, aut optimatum hodie ad cadaver atrati cum insignibus atque flabellis ministrant. Sed neque hos, neque illos, neque etiam ancillas prostitutas Latinitatem olim fuisse consecutas, ab Justiniano aperte dicitur. Sed tamen initio scripsit se eos modos persequi, quibus Latina libertas dabatur. Quod sequitur apertum est, si libertas ea conditione data esset sive testamento, sive vindicta, ut manumissus libertate Latina uteretur. Hunc enim olim Latinum fuisse non dubito, ex Justiniani lege civem Romanum. Sed & si sub conditione libertas daretur, & heres ei præstitisset antea libertatem, Latinus erat: si condicio existeret, civis (ut opinor) Romanus. Sed ex illa constitutione civis utroque casu, sed altero heredis libertus, altero orcinus, hoc est testatoris: ita enim a jureconsultis veteribus dicebatur, qui libertatem a testatore directam cepisset; ab Orco nomine deducto, quo verbo Virgilius sæpe usus est. Sunt qui malint orthinos ἀπό τῆς ὀρθῆς, quod rectum significat, ut Accursius hoc quoque animadvertit. Sed Theophilus χρωματικόν interpretatur (f) & in Florentino libro non uno in loco orcinus appellatur, a cujus libri scriptura non temere recedendum esse arbitramur. Jam vero si in liberali judicio superatus fuerat servus a domino; deinde servi pretium ab aliquo ei solutum esset, in Latinitate servus constituebatur: sed id quoque Justinianus tollit, & ei civitatem dat, patronatus jure illi ablato. Item Latina fiebat, quæ cum ancilla esset, homini libero fuit in uxorem a domino data, & dos ei, tamquam liberæ, data fuit. Sed & qui apud acta servum suum filium dixerat, aut ipsi servo instrumenta, ex quibus servus ostendebatur, tradiderit, vel ipse corruerit, qui novissimus Latinitatis modus fuisse dicitur. Et his omnibus casibus ex illa Justiniani constitutione cives Romani fiunt, hoc autem postremo necesse est quinque testes adesse, cum dominus instrumenta servo dat, aut ea corrumpit. Cæteros Latinitatis modos tollit, in quibus ille est, de quo

(f) L. Tutela. In pr. de legit. tutor. l. Ergo. §. Hi qui. de fid. lib. l. Duo socii. de her. inst.

Ca-

(a) Inst. de libert. §. ult.

(b) Persius.

(c) L. 2. §. Initium. de orig. jur.

(d) L. ult. C. de his, qui in ecc. ma.

(e) C. de Latina libert. tol. l. un.

Cajus & Theophilus scribunt, si servus ad convivium adhibeatur. Sed & Theophilus cum dicat servis XXX. annis minoribus civitatem Romanam non dari, item opus fuisse, ut eorum domini ex jure Quiritium domini essent, vel pleno jure: significare videtur, tum quoque Latinam libertatem competere. De pleno jure ita scribit, dominium aut naturale, quod in bonis appellat, aut ex jure Quiritium esse: qui utroque jure dominus est, pleno jure dominus esse dicitur. Qua de re libro tertio Emendationum diximus. Nam licet nudum Quiritium jus, quod ex mancipatione & nexu, item ex cessione in jure veniebat, ut in XII. Tabulis dicemus; Justiniani constitutionibus (a) sublatum sit: tamen exstant ejusdem rei vestigia, præter ea quæ a nobis illic relata sunt. Etenim Severinus (b) in notis ad Ciceronem ita scribit: *Si quis nexu abalienet rem mancipii, id quod suum fuit, in alterius potestatem pleno jure transtulit. Quod si etiam in jure cedat, plenum abalienationis jus erit.* Et Justinianus libro III. institutionum: (c) *Cum paterfamilias, inquit, sese in adrogationem dat, omnes res ejus corporales & incorporales, quæque ei debite sunt, adrogatori antea pleno jure adquirebantur.* Item Imperatores Diocletianus & Maximianus Eucarpia rescripserunt, (d) si post venditionem ante traditionem manumisit venditor ancillam, pleno jure dominus constitutus, civem Romanam facere non prohiberi: personali tamen actione venditorem conveniendum. De eo vero dominio, quod in bonis dicitur, non solum in illa Justiniani constitutione de nudo jure Quiritium tollendo mentio fit, sed & libro IV. institutionum (e) scriptum est, in actione vi bonorum raptorum non spectari rem in bonis actoris esse. Nam sive in bonis sit, sive non, si tamen ex bonis sit, locum illa actio habet. Quo loco recte quidam notant, rem in bonis esse, quæ possideatur. Namque Ulpianus (f) libro LIX. ad edictum scribit, in bonis nostris computari non solum quæ domini nostri sunt, sed & si bona fide a nobis possideantur, vel superficiaria sint. (g) Item si quid est in actionibus, petitionibus, & persecutionibus, hoc est, in personalibus, realibus, & extraordinariis persecutionibus, ut idem Ulpianus scribit libro XLIX. ad Sabinum. Sed ad Latinos libertos, & ut Justinianus appellat, Junianos revertamur, & qua in re a cæteris libertis differrent, videamus. Et Cajus libro I. institutionum scribit, Latinos a civibus Romanis differre, quod cives testamenti factionem habeant, Latini neque testamenta facere, neque ex testamento cuiquam succedere possint. A dediticiis vero, de quibus in Ælia Sentia dictum est, qui intestabiles etiam sunt, eo differunt Latini, quod dediticii nullo pacto civitatem Romanam consequi poterant, Latini si iterum testamento, aut vindicta, aut in ecclesia manumitterentur, cives fiebant. Hoc ipsum in epistola quadam Plinii minoris agnoscimus libro VII. epistolarum: *Proconsul, inquit,*

provinciam Beticam per Ticinum est petiturus: spero, immo confido me facile impetraturum, ut ex itinere deflectat ad re; si voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumisisti. Ex Justiniano autem libro I. institutionum (h) constat, servos a dominis semper manumitti posse, veluti cum Prætor, aut Præses, aut Proconsul in balneum, vel in theatrum eunt. Quod vero de testamenti factione dicitur, id non uno in loco ab Justiniano quoque traditur. Nam sub titulo de successione libertorum (i) ita scribit: *Latinorum legitima successiones nulla penitus erant, quia licet ut liberi vitam suam peragebant, attamen ipso ultimo spiritu simul animam, atque libertatem amittebant, & quasi servorum bona eorum jure quodammodo peculii ex lege Junia Norbana manumissores detinebant.* Sed & liberi manumissoris ex S. C. Largiano, nisi nominatim exhereditati essent, extraneis heredibus præferbantur. Ex edicto autem D. Trajani, si invito, vel ignorante patrono ad civitatem Romanam Latinus libertus vocatus esset, civitate vivus fruebatur, moriebatur autem Latinus. Hæc tamen omnia, Latinitate sublata, ut antea diximus, abrogata sunt. Illa quoque constitutione (k) sæpius hoc ipsum jus Latinorum repetitur: *Quis enim, inquit, patiatur talem esse libertatem, ex qua ipso tempore mortis in eandem personam simul & libertas, & servitium concurrant; & qui quasi liber moratus est, eripiatur non solum in mortem, sed etiam in servitutem?* Sed animadvertendum est, quod ex Cajo (l) retulimus, solos cives Romanos posse ex testamento quidquam consequi. Quod tamen in Justiniani libris non ita aperte scriptum reperio, data civitate Romana omnibus his, qui sub imperio Romano erant, ab Antonino Pio. Significare autem hoc Justinianus (m) & Theophilus videntur, cum originem fideicommissorum tradunt libro II. institutionum: *Sciendum (inquit Imperator) est, omnia fideicommissa primis temporibus infirma fuisse, quia nemo invitus cogebatur præstare id, de quo rogatus erat. Quibus enim non poterant hereditatem, vel legata relinquere, si relinquebant; fidei committebant eorum, qui capere ex testamento poterant hereditatem.* Quæ verba ita Theophilus interpretatur, ut ea de peregrinis intelligat. Evenisse enim nonnumquam ait, ut civis Romanus parentes, aut cognatos peregrinos haberet, qui cum ex testamento neque hereditatem, neque legata consequi possent, rogabantur heredes, qui testamenti factionem haberent, ut his legata, aut hereditatem restituerent. Cujus opinio T. Antonini constitutione (n) comprobari videtur, cujus verba sunt hæc: *Qui deportantur, si heredes scribantur, tamquam peregrini capere non possunt. Sed hereditas in ea causa est, in qua esset, si scripti non fuissent.* Neque enim verum est quod quidam putant, peregrinos deportatos tantum significare. Significat enim id nomen alterius civitatis civem: Pe-

(a) L. un. C. de nudo jure Quir. rol.

(b) L. un. C. de usuc. transf. Boeth. in Topic. Cicer.

(c) Inst. de adq. per adrog.

(d) L. Si ancillam. C. de action. em.

(e) Inst. de vi bon. rap. §. Sane.

(f) L. Bonorum appellatio. de ver. sign.

(g) L. Pecuniar. §. Actionis. eod. tit.

(h) Inst. de libert. §. Servi.

(i) Inst. de succ. lit. in fine.

(k) C. de Lat. lib. in princ.

(l) L. In orbe. de stat. bon.

(m) Inst. de fideicom. ber. in princ.

(n) L. r. C. de her. inst.

Peregrini & incolæ officium est (inquit Cicero libro I. Officiorum) *nihil præter suum negotium agere, nihil de alio inquirere; minimeque in aliena esse Republica curiosum.* Quin potius deportati ea de causa peregrini appellabantur, quod civitatem amittebant. Ulpianus libro IV. ad Sabinum: (a) *Solemus, inquit, dicere media tempora non nocere; ut puta civis Romanus heres scriptus, vivo testatore, factus peregrinus, mox ad civitatem Romanam pervenit, media tempora non nocent.* Idem libro V. ad edictum (b) peregrinitatem appellat eum statum, in quo deportatus est. In lege quoque Falcidia (c) non sine causa adscriptum est: *QVI CIVES ROMANI SVNT, QVI EORVM POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTVM FACERE VOLET: ut Paulus libro singulari ad eam legem scripsit. Hæc igitur est Latinorum libertorum & civium Romanorum differentia, quæ ab antiquis ducta temporibus est ad similitudinem antiquæ Latinitatis, quæ in colonias missa est, ut Justinianus ait, (d) ex qua nihil aliud Reipublicæ, nisi bellum civile accessisse scribit. Quæ verba nescio an ita accipienda sint, ut cum Romani colonias Latinas deduxissent, hæc postea coloniarum cum cæteris Latinis bellum sociale civitatem petendo moverunt: quo pacto ipsa rei origo sublata est, ut postea scribit. Quod vero supra dictum est, Latini liberti successionem patronum accipere, tamquam peculium: id in Constantini quoque rescripto ad Maximum reperitur, quod libro II. Theodosiani codicis refertur (e) in hæc verba: *Si is, qui dignitate Romanæ civitatis amissa Latinus fuerit effectus, in eodem statu munere lucis excesserit, omne peculium ejus a patrono, vel patroni filiis, sive nepotibus ejus, qui nequaquam jus agnationis amiserint, vindicetur.* Aliam differentiam apud Paulum libro IV. sententiarum reperi titulo de manumissionibus. Mutus enim & furvus servum vindicta liberare non poterant; inter amicos tamen & per epistolam manumittere poterant. Itaque Latinos facere, non cives permittebatur: poterat tamen is servus ad justam libertatem, si ea conditione venderetur, pervenire. Hæc de Latinis libertis, qui ex lege Junia Norbana fiebant, scribere operæ pretium visum est.*

JUNIA PETRONIA.

Hermogenianus libro I. juris epitomarum (f) scribit: *Lege Junia Petronia si dissonantes pares judicium sententiæ existant, pro libertate pronuntiari jussum.* Item Modestinus libro VI. regularum (g) scribit: *Post legem Petroniam & S. C. ad eam legem pertinentia, dominis potestas ablata est ad bestias depugnandas suo arbitrio servos tradere, oblato tamen judici servo, si justa sit domini querela, sic pœnæ tradetur.* De hac lege nihil amplius accipi.

Alia lex est, cujus Cicero mentionem facit libro III. Offic. his verbis: *Male etiam, qui peregrinos urbibus prohibent, eosque exterminant, ut Petronius apud patres nostros, Papius nuper; nam esse pro crve, qui civis non sit, rectum est non licere: quam tulerunt legem sapientissimi Consules Crassus & Scævola: usu vero urbis prohibere peregrinos, sane inhumanum est.*

JUNIA VELLEA.*

ITa enim appellatur, non Julia, ut in Florentino libro vidimus apud (h) Cajum libro II. institutionum, & Ulpianum libro XXXVI. ad Sabinum. De hac lege non est quod multa scribamus, in tanta librorum multitudine, qui nobilitatum illud Scævola caput, GALLVS SIC POSSE, interpretantur. Locos tantum quosdam collegi, quibus hujus legis mentio fieri videtur, ex quibus sententia ejus magna ex parte cognoscetur. Et apud Scævola libro VI. Quæstionum (i) hujus legis verba referuntur pauca, quæ duobus capitibus divisa esse dicuntur. Priore capite cavetur, ut liceat institui nondum natos, qui cum nascentur, sui erunt. Qua de causa de lege Vellea ita cœpit tractare. *Voluit vivis, inquit, nobis natos similiter non rumpere testamentum: & videtur primum caput eos spectare, qui cum nascerentur, sui heredes futuri essent.* Verba autem legis referuntur hæc: *QVI TESTAMENTVM FACIET, IS OMNIS VIRILIS SEXVS, QVI EI SVVS HERES FUTVRVS ERIT, & cætera.* Quibus existimo detracta fuisse verba hæc, aut his similia, *INSTITVENDI POTESTATEM HABETO.* Posteriore capite (k) non permittit institui, hoc est, non id agit lex, ut permittat; sed illud cavet, ut vetet rumpi, neve ob eam rem minus ratum esset, quod succedat. De quo autem loquatur, ex ipsis legis verbis apparet: *Videndum num hac posteriore parte* (inquit Scævola) (l) *SI QVIS EX SVIS HEREDIBVS SVVS HERES ESSE DESIERIT, LIBERI EIVS, & cætera, IN LOCVM SVORVM SVI HEREDES SVCCEDVNT: possit interpretatione induci, & quæ sequuntur.* Hoc autem posteriori capite id agi, ut non rumpatur agnatione alterius sui heredis testamentum; alia quoque Scævola verba (m) significant: *Nam etsi* (inquit) *ita verba sunt, Qui testamentum faciet, is omnis virilis sexus, qui ei suus heres futurus erit, & cætera; etiam si parente vivo nascantur; sequenti parte succedentes in locum liberorum, non vult lex rumpere testamentum.* Sequentem enim partem alterum caput hoc, quo de agimus, interpretor: de quo mox. *Et ita interpretandum, inquit, est, ut si & filium, & nepotem, & pronepotem habeas; mortuis utrisque pronepos institutus succedens non rumpat. Et bene verba se habent, Si quis ex suis heredibus suus heres esse desierit, ad omnes casus pertinentia, quos supplendos in Galli Aquili sententia diximus.* Sunt (n) autem illi

* *Al. VELLEJA.*(h) *L. Postumor. in fine. de injus. rup. l. Si hereditas. §. Qui filium. de test. tur.*[i] *L. Gallus. §. Ille casus. de lib. & postum. §. Nunc de lege. eod. l.*(k) *d. §. Ille casus.*(l) *§. Videndum.*(m) *§. Nunc de lege. & seq.*(n) *§. Et quid si tantum.*(a) *L. Sed si conditioni. §. Solemus. de her. inst.*(b) *L. Sed si hac lege. §. Sed si per pœnam. de in jus vocand.*(c) *L. I. ad l. Falc.*[d] *C. de Lat. lib. sol. in pvinc.*(e) *L. von. de her. pet. in C. The.*(f) *L. Lege Junia. de manum.*(g) *L. Circumcidere. in fine ad l. Corn. de sic.*

illi casus de aqua & ignis interdictione, & de emancipatione, & captivitate, quos Gallus omiserat: item quod ad personas aliorum liberorum attinet. Ut vero hic, qui succedit, non rumpat (quod hoc capite dicebatur) institui eum, aut exheredari nominatim erat necesse, quod Scævola (a) illis verbis significat, *Dummodo heres institutus sit, aut exheredatus.*

(a) S. Etiam si parente. in fine.

Quæ verba ad eam speciem referuntur, cum mortuo filio & nepote, sive nepos ante filium, sive postea decedat, pronepos suus heres non rumpit, si institutus aut exheredatus sit. Etenim ex libro secundo institutionum (b) constat; suos & necessarios heredes esse, filium, filiam, nepotem, neptemve ex filio, & deinceps ceteros liberos, qui in potestate morientis fuerint. Sed, ut nepos & reliqui sui heredes sint, opus est, ut qui eos præcedunt, vivo avo, deserint in potestate esse. Item illud ad hæc ipsa recte intelligenda pertinet, ut sciamus olim necesse fuisse ei, qui filium in potestate haberet, ut eum heredem institueret, vel nominatim exheredaret: filias vero, aut nepotes, ac reliquos liberos per virilem sexum descendentes licebat inter ceteros exheredare, vel si silentio fuissent præteriti, jus adcrendi eis ad certam portionem præstabatur. Qua de re etsi Justinianus in quadam constitutione (c) scribat, filiam præteritam ad semissem olim ex jure adcrendi fuisse vocatam; tamen, ut Theophilus scribit, & Cajus libro II. institutionum, & Paulus libro III. sententiarum notant, quod alii animadverterunt, si heredes scripti sui heredes sint, ut puta filiarum fratres, in eam partem vocabitur, quam esset ab intestato habitura. Sin autem extranei heredes sint, ipsa semissem consequeretur. De nepotibus nihil Cajus, & Paulus scribunt, propterea quod hi lege Vellea ne rumpant, si sui heredes sunt, instituendi, aut exheredandi sunt nominatim. Id enim videtur lex Vellea ad vetus illud jus addidisse. Quæ lex, ut antea scripsimus, priore capite de postumis locuta est, quod Scævola scribit, item Ulpianus libro III. ad Sabinum: (d) *Postumi, inquit, per virilem sexum descendentes ad similitudinem filiorum nominatim exheredandi sunt, ne testamentum adgnascendo rumpant. Postumos autem dicimus eos dumtaxat, qui post mortem parentis nascuntur. Sed & hi, qui post testamentum factum in vita nascuntur, ita demum per legem Velleam rumpere testamentum prohibentur, si nominatim sint exheredati.* Scævola (e) quoque, cum de Galli Aquilii sententia disputat, omnes illos casus ad legem Velleam ait non pertinere: propterea quod Aquilius & Scævola de ea specie scribunt, cum postumus nepos aut pronepos post testatoris mortem natus est. Vellea priori capite de eo postumo agit, qui, vivo eo, natus est, deinde de ceteris qui succedunt in sui heredis locum. De posteriore capite multo pluribus locis agitur. Namque Cajus libro II. institutionum (f) scribit: *Postumorum loco sunt & hi qui in sui heredis loco succedendo, quasi*

(b) Inst. de her. qual. & dif. S. Sui. Inst. de exher. lib. in prin.

(c) L. Maximum vitium. C. Scimus. C. de lib. prat.

(d) L. 3. In princ. de injus. rup.

(e) D. 1. Gallus. in princ. & S. Et quid si tantum. & S. Quid si qui. & S. Nunc de lege.

(f) L. Postumorum. de injus. rup.

adgnascendo fiunt parentibus sui heredes. Et postea: *Ne ergo eo modo rumpat mihi testamentum, sicut ipsum filium, vel heredem instituere, vel exheredare nominatim debeo, ne non jure faciam testamentum; ita & nepotem, neptemve ex eo necesse est mihi vel heredem instituere, vel exheredare: ne forte me vivo filio mortuo succedendo in locum ejus nepos neptisve quasi adgnatione rumpat testamentum.* Idque lege, inquit, *Junia Vellea provisum est.* Idem scribit Justinianus, (g) paucis quibusdam verbis immutatis, quæ non recte ad principem essent referenda: quod in illis libris institutionum Justiniani animadverti. Ut enim hæc obiter notemus: cum totæ pene institutiones constent ex his, quæ ex jurisconsultorum institutionibus, atque aliis libris sumpta sunt: quidquid jurisconsulti (ut fit) de se finxerunt, id Tribonianus noluit de principe dici, nisi majestati ejus aptum esset: ut hoc loco. Cajus enim ita scribit: *Si filium, & ex eo nepotem, neptemve in potestate habeam: & postea, quæ antea retulimus: Ne ergo eo modo rumpat mihi testamentum.* At Justinianus, *Si quis filium & ex eo nepotem, neptemve in potestate habeat.* Deinde cætera in eandem rationem: *Ne ergo eo modo rumpatur ejus testamentum: & quæ sequuntur.* (h) Idem sub titulo de rerum divisione multis locis animadverti potest, qui libro quoque XLI. Digestorum referuntur. In quibus illud præclare immutatum est, quod Cajus libro II. rerum quotidianarum sive aureorum (i) ita scripserat: *Item quæ ex hostibus capiuntur, jure gentium statim capiuntur fiunt.* Etenim Justinianus Imperatoris dignitatem conservans: *Item, inquit, quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt.* Reliquit autem ea, quæ communia principi cum privatis sunt, ut illud est: (k) *Quarundam rerum dominium nanciscimur jure naturali, & cætera. Item in potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex justis nuptiis procreavimus.* Quæ eodem pacto in Digestis reperiuntur. Sed ut ad Velleam revertamur, in institutionibus post illa Cæii verba: *Idque lege Junia Vellea provisum est; additur: In qua similis exheredationis modus ad similitudinem postumorum demonstratur.* Quæ verba cum iis, quæ ex Ulpiano (l) antea retulimus, facere videntur, qui Velleam de exheredatione sola retulit. Adde Imperatoris Alexandri constitutionem, (m) cujus verba sunt hæc: Imperatoris Alexandri A. Heraclidæ. *Si avus tuus, qui patrem tuum & novercam æquis portionibus heredes instituit, cum te quoque haberet in potestate, testamento nominatim non exheredavit; mortuo patre tuo, vivo avo, sine impedimento legis Velleæ succedendo in patris tui locum, rupisti avi testamentum, & ad te hereditas ejus tota pertinuit.* Hic enim cum exheredatus non esset, quasi adgnascendo testamentum rupit, quod ne fieret, lege hac provisum est. Sed hi omnes de his testamentis loquuntur, in quibus hic qui

(g) Inst. de exher. lib. S. Postumorum.

(h) L. Naturalem. l. Adeo. l. Qua ratione de adq. rer. domin.

(i) D. 1. Naturalem. in fine. Inst. de rer. divis. S. Item ea.

(k) Inst. eod. S. Singular. l. 1. de adq. rer. dom. Inst. de patria pot. in princ. l. 3. de his qui sui.

(l) D. 1. 3. de injus. rup.

(m) L. 2. C. de lib. prat.

(a) L. 2.
de vulg. &
pup. ju.

qui succedit, institutus non est, quæ ne rumpantur, hic nepos exheredandus est. Sed tamen multo certius est, quod alii scribunt, ut aut instituantur, aut nominatim exheredentur. Ulpianus (a) libro VI. ad Sabinum: *Nepotibus, inquit, possumus & deinceps substituere, si qui non recasuri sunt in patris potestate. Sed si eos patres præcedant, ita demum substitui eis potest, si heredes instituti sint, vel exheredari. Ita enim post legem Velleam succedendo non rumpunt testamentum. Nam, si principale ruptum sit testamentum, & pupillare evanuit.* Idem Ulpianus (b) scribit libro

(b) L. Si
hereditas.
§. Qui filium.
de test.
inst.

XXXVI. ad Sabinum: *Qui filium, & ex eo nepotem habebat, si nepoti tutorem dederit, habet disceptationem, an aliquo casu non sit utilis datio: ut puta si proponas filium viro patre decessisse, & nepotem ex eo successisse viro avo. Et fortius dicendum, inquit, est tutelam quoque ex lege Junia Vellea (c) confirmatam. Nam & Pomponius libro XVI. ex Sabino scripsit valere tutoris dationem. Cum enim confirmatum sit testamentum, consequenter tutoris quoque datio valebit in eo testamento scripta, quod valet; id est, ubi nepos, vel heres institutus sit, vel nominatim exheredatus sit. Hæc enim ita scribenda sunt.*

(c) Confirmatum.
P. Flo.

Sed & solius institutionis mentio fit apud eundem Ulpianum libro IV. ad Sabinum: (d) *Nepotes autem, inquit, & deinceps cæteri, qui ex lege Vellea instituti non rumpunt testamentum, sub omni conditione institui possunt, etsi redigantur ad filii conditionem.* Quæ verba Lælius Taurellus noster ita interpretatur, ut ex lege Vellea nepotes instituantur sub conditione, quæ in eorum potestate non est: ut puta si sui nascerentur. Cum tamen filius sub ea conditione tantum, quæ est in potestate ipsius, institui possit, ut idem Ulpianus (e) scribit: etsi hi nepotes, qui succedunt eadem conditione sint qua filius; jura enim sui heredis nanciscuntur. Quæ res non est sine difficultate. Ad extremum Justiniani constitutio (f) referenda est, in qua hæc etiam lex refertur. Filio exheredato, extraneus heres institutus est: deliberante herede, filius decessit, filio vel nato, vel nascituro relicto: Justinianus ait, cum pater avo supervixerit, ex lege Vellea nepos patri succedere non potest, & rescindere testamentum. Sed tamen querelam ei patris nomine dat. Hæc sunt quæ de lege Vellea reperimus, ad quam Paulus libro singulari scripsisse dicitur, ex quo nihil in Digestis relatum esse accepi.

(e) L. Suus quoque.
eod.

(f) L. Si quis filium.
C. de inoff. test.

* Vel PLÆTORIA.

LÆTORIA *

* Vel PLætorius.

T Livius libro II. scribit, P. Voleronem Tr. Pl. L. Pinario, P. Furio Coss. rogationem tulisse ad populum, ut plebei magistratus Tributis comitiis fierent. Cui legi cum acriter ab nobilitate resisteretur, Lætorius * ei collega creatus est, belli gloria nobilis, rudi, ut in homine militari, lingua: a patribus autem Appius Claudius Appii filius Consul

creatus est, & T. Quinctius. Cum itaque inter Appium & Lætorium * contentio in maximum periculum civitatem adduxisset, lex accepta est: & tum primum Tributis comitiis creati Tribuni sunt quinque, cum antea duo tantum fuissent. Hæc Livius. Nos vero & alibi & in Horatia lege diximus, Centuriata comitia, quibus major erat patriciorum potestas, differre a Tributis, vel Curiatis: utroque enim nomine eadem comitia significantur. Nam licet Curia Tribuum portio initio fuerint, ut Dionysius scribit, postea tamen pro eisdem partibus utrumque nomen usurpatur, ut Sextus Pompejus ait. In his populo suffragium ferente confuse, plebs, quæ majori frequentia, quam nobilitas erat, vincebat patricios. Quamobrem soli plebei magistratus ex hac lege, item minores magistratus Tributis comitiis creabantur: majores vero, hoc est Consules, Prætores, atque Censores comitiis Centuriatis: ut apud Gellium lib. XIII. cap. 13. M. Messalla Augur scribit libro I. de auspiciis. Majores autem dici, quod majoribus auspiciis crearentur; quodque eorum auspicia magis rata essent, quam aliorum. Consules autem & Prætores collegas esse; quod eisdem auspiciis crearentur. Minores magistratus appellare videtur eos, qui neque vocationem ad se, neque prehensionem haberent, quique in jus vocari impune possent, ut Ædiles Cures, atque Quæstores; ut eodem libro scribit. Tribuni autem plebis vocationem non habebant, sed prehensionem; ad quam rem viatoribus utebantur. Hi enim initio intercessionibus faciendis, ne alicui injuria a magistratibus fieret, creati sunt. Itaque neque auspicia habebant, neque imperium, neque magistratum, ut Appius Claudius in ea contentione dicebat, quæ de hac lege facta est. Qui illud quoque negabat jus esse Tribuno in quemquam nisi in plebejum: sed neque illum ipsum submovere pro imperio posse, quia ita more majorum diceretur: *Si vobis videtur discedite Quirites.* Sed hac quoque de re Gellus eodem libro scribit.

* Vel Plætorium.

Lætoria quoque lege curatores vel propter lasciviam, vel propter dementia dabantur. Primus enim D. Marcus constituit, ut omnes adulti non redditis causis curatores acciperent, ut Julius Capitolinus scribit. Et Suetonius IV. lib. Prætorum relatus a Prisciano lib. VIII. *Lætoria, inquit, vetat minorem annis XXV. stipulari.* Justinianus tamen lib. I. institutionum (g) scribit, adolescentes invitos curatores non accipere, præterquam in litem. Prodigis vero, ac furiosis ex lege XII. Tabularum curatores dabantur, ut in Duodecim dicemus. De hac lege M. Cicero scribit lib. III. Officiorum: *Iste, inquit, dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela XII. Tabulis, & circumscriptio adolescentium lege Lætoria, & sine lege, judiciis, in quibus ex fide bona agitur.* Ita enim scribendum est, non lege Plætoria. Et lib. III. de natura deorum: *Inde iudicium publicum rei privata lege Lætoria: inde everriculum malitia.*

(g) Instit. de curat. §. Inviti.

litiarum omnium iudicium de dolo malo, quod C. Aquilius familiaris noster protulit. In XII. Tabulis retulimus M. Pratorii plebiscitum, cuius a Varrone, & a Censorino mentio fit, quo plebiscito Pratoris iurisdictio constituta esse videretur: ejus verba sunt hæc: PRAETOR VRBANVS QVI NVNC EST, QVIQVE POSTHAC FVERIT, DVOS LICTORES APVD SE HABETO, ISQVE SVPREMV M AD SOLIS OCCASVM IVS INTER CIVEIS DICITO. Non est tamen dissimulandum, alios ubique legere Lætoria.

LENIA VEL LEVIA.

A pud Ciceronem lib. II. de legibus Leniæ, vel Levæ leges pro Liviis, ut opinor, scriptæ sunt, Philippo Cos. abrogatæ, ut postea scribemus.

LICINIA.

Livius lib. VI. scribit, C. Licinium Stoloneum, L. Sextium Tribunos has leges promulgasse: unam de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, quod superesset, triennio æquis portionibus, quod annua, bima, trima die a nostris dicitur, persolveretur (a): alteram de modo agrorum, ne quis plus quingentis jugeribus agri possideret: tertiam, ne Tribunorum militum comitia fierent: fiebant enim Tribuni Consulari potestate, quod Pomponius (b) quoque refert: item ut Consul alter ex plebe crearetur. Sed tamen de his legibus accipiendis permultis annis pugnatum est. Addita quoque alia rogatio est, ut pro Duumviris sacris faciendis Decemviri crearentur partim ex plebe, partim ex patribus; quam legem decimum eis refectis acceptam esse scribit. Post annum deinde leges omnes acceptæ sunt, & L. Sextius de plebe primus Consul creatus est, cui collega ex patribus fuit L. Æmilius Mamercinus anno Urbis CCCXXCVI. Hac de causa Prætor urbanus patricius magistratus creatus est, item duo Ædiles Curules, quod Pomponius quoque significat. Appianus autem libro I. bellorum civilium Agrariam legem non solum de quingentis jugeribus fuisse ait, sed etiam ut majorum armentorum nemo plus centum, neve minorum amplius quingentis haberet. Accidit autem percommode, ut C. Licinius sua lege intra decennium decem millibus æris damnaretur a M. Popilio Lenate, C. Marcio, Cn. Manlio Coss. quod mille jugera agri possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset, ut Livius libro VII. refert. De eadem lege M. Varro libro I. de re rustica ita scribit: *Stolonis illa lex, quæ vetat plus D. jugera habere civem Romanum, & qui propter diligentiam culturæ Stolonum confirmavit cognomen, quod nullus in ejus fundo reperiri poterat stolo, quod effodiebat circum arbores e radicibus, quæ nascerentur e solo, quos stolones appellabant.* Addit illud, quod non alibi legi: *Ejusdem gentis C. Lic-*

Tom. I.

nus Tr. Pl. cum esset post Reges exactos annis CCCLXV. primus populum ad leges accipiendas in septem jugera forensia e comitio eduxit.

II. Ad eandem legem pertinere arbitror quod Cicero de lege Agraria oratione prima scribit: Leges veteres fuisse, neque eas Consulares, sed Tribunicias, Liciniam, atque alteram Æbutiam, quæ non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione, ac potestate; sed etiam collegas ejus, cognatos, adfines excipit, ne eis ea potestas, curatiove mandetur. Et de domo sua: *Quid nominis, inquit, inscriptio tibi? num aliud videtur esse, ac meorum bonorum directio? præterquam quod ne id quidem per legem Liciniam, ut ipse tibi curationem ferres, facere potuisti.* De eadem etiam libro II. ad Atticum, ut arbitror, intellexit, cum permultas leges enumerat, quarum contemptores Republicam everterint. (c) Marcianus autem libro XIV. institutionum, aliud caput Licinæ legis refert, de quo nihil amplius accepimus: *Si quis, inquit, iudicii communi dividendo evitandi causa rem alienaverit, ex lege Licinia ei interdicitur, ne communi dividendo iudicio experiat, verbi gratia, ut potentior emptor per licitationem vilius eam accipiat, & per hoc iterum ipse recipiat.*

(c) L. ult. de an. lien. jud.

LICINIA ET MUCIA.

Cicero in Corneliæ apud Asconium scribit: *Legem Liciniam & Muciam de civibus regundis video constare inter omnes: quam duo Coss. omnium, quos vidimus, sapientissimi tulissent; non modo inutilem, sed perniciosam Republicæ fuisse.* Eam legem L. Licinius Crassus Orator, & Q. Mucius Scævola Pontifex Maximus, ut Asconius ait, tulerunt; cum summa cupiditate civitatis Romanæ Italici populi tenerentur, & ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gereret. Necessaria itaque lex visa est, ut in suæ quisque civitatis jus redigeretur. Sed tamen ita alienati ea lege animi principum Italicorum populorum esse dicuntur, ut ea vel maxima causa belli Italici fuerit, quod post triennium exortum est. Hæc Pedianus. Cicero libro III. Officiorum ita scribit: *Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant, ut Petronius apud patres nostros, Papius nuper; nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere: quam tulerunt legem sapientissimi Consules Crassus & Scævola: usu vero urbis prohibere peregrinos sane inhumanum est.* Ex quibus Ciceronis (d) verba intelligentur, qui cum Catonem majorem Lysia Attico compararet: *Est enim, inquit, Atticus, quoniam certe Athenis est & natus, & mortuus, & functus omni civium munere, quamquam Timæus eum, quasi Licinia & Mucia lege repetit Syracusas.* Idem in Rullum: *In illa lege, qua peregrini Roma eiiciuntur, Glaucippus excipitur.* Ad eandem legem refero quod idem

(d) Cic. in Bruto.

in Planciana scribit: *Sed aliquando veniamus ad causam, in qua tu nomine legis Liciniae, quae est de sodalitiis, omnes ambitus leges complexus es.* Namque arbitror eadem lege sodalitia fuisse prohibita, ut pacatior civitas esset. De eadem arbitror in Sestiana quoque sensisse: *Statuit, inquit, omnino Consularem legem nullam putare: Aciliam, Didiam, Liciniam, Juniam contempsit.* Item in oratione pro Cornelio Balbo.

LICINIA SUMPTUARIA.

M Acrobis libro III. Saturnaliorum scribit, post Didiam & Fanniam, Liciniam latam esse a P. Licinio Crasso Divite. Cujus ferendae & probandae tantum studium fuisse dicit, ut S. C. juberetur, ut ea tantummodo promulgata ante trinundinum ita observaretur, quasi jam populi sententia comprobata. Qua de re in Cæcilia dictum est. Congruit autem hæc lex in plerisque cum Fannia. Ea autem summa legis est, ut Kalendis, Nonis, Nundinis Romanis, cuique in dies singulos triginta dumtaxat asses edendi causa consumere liceret. Cæteris diebus ne amplius apponeretur, quam carnis aridae pondo tria, & fassamentorum pondo libra, & quod ex terra, vite, arboreve natum sit. Gellius vero libro II. Noctium (a) legem Liciniam, sicut Fanniam, ait, centenos æris impendi permisisse, nuptiis ducenos; cæteris æris tricenos: *cum & carnis aridae, & fassamenti certa, inquit, pondera in singulos dies constituisset: sed, quidquid esset e terra, vite, arboreque promiscue largita est.* Cum Gellio Sextus Pompejus facit, qui centenarias cœnas, vel, ut in quodam libro legi, centurias dictas fuisse scribit, in quas lege Licinia non plus centussibus præter terra nata impendebatur. Sed & M. Cicero in quadam epistola (b) ad Fabium Gallum: *Lex, inquit, Sumptuaria, quæ videtur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit. Nam dum volunt isti lauti terra nata, quæ lege excepta sunt, in honorem adducere, fungos, heluellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. Itaque ego, qui me ostreis & murenis facile abstinerebam, a beta etiam & malva deceptus sum.* De centenariis cœnis Tertullianus (c) ita scribit: *Quonam illæ leges abierunt, sumptum & ambitionem comprimentes? quæ centum æra non amplius in cœnam subscribi juebant; nec amplius quam unam inferri gallinam, & eam non saginatam? Video enim centenarias cœnas a centenis jam sestertiis dicendas.* Sed & Gellius Lucilii carmen refert, quo legis Fanniae mentio fieret, & harum cœnarum. *Fannii centussisque misellos.* Post hanc legem Cornelia & Julia sumptuariae latae sunt, ut antea vidimus.

(a) Cap.
24.

(b) Epist.
26. lib. 7.

(c) In A.
pologético. c.
6.

LIVIA.

M Livius Drusus, ut Florus scribit libro LXX. & LXXI. optimatum partes tuebatur, qui, cum Senatus moleste ferret judicia equitibus lege Sempronia data, ea ad Senatores transferre conabatur, plebem spe largitionis corrumpens: socios quoque & Italicos populos spe civitatis Romanæ concitavit: leges per vim Agrarias & Frumentarias tulit, item Judicialem, ut æquarentur Senatores equitibus in judiciis. Sed, cum promissa civitas sociis non præstaretur, atque bellum sociale pararetur, Livius Drusus etiam Senatui invisus factus fuit, quasi illius belli auctor: qua de causa domi suæ interfectus (incertum a quo) inventus est. Hæc Florus. Plutarchus tamen scribit, Drusum a Senatu quæsitum esse, ut per eum C. Gracchus, qui gratus suis legibus plebi habebatur, negligeretur. Itaque Graccho duas colonias deducere cupienti Senatus resistebat, Druso XII. colonias decernenti consentiebat, ternaque civium millia in eas deduci sinebat. Gracchus pauperibus agrum dividi jubens soluta pensione offendebat Senatum, Drusus sine pensione id facere permittebatur. Ille Latinis paria suffragia concedens non audiebatur, huic auxilio erant, qui Latinum virgis cædi in exercitu prohibuit. Idem Appianus libro I. bellorum civilium scribit; nisi quod decem Livii colonias fuisse scribit, easque in Italia & Sicilia fuisse deductas, promissisque civitatem Latinis, cum Floro consentit. Item Senatum & equestrem ordinem conjunxisse, ut judicarent. Utrumque tamen ordinem ea in re offendisse. Nam, cum trecenti Senatores essent, totidem equites Romanos elegit, qui omnes judiciis præessent. Quod uterque ordo moleste tulit: alteri enim judicia perdebant, alteri pari munere fungi alteros noluisissent. Hæc sunt, quæ Livium invisum ordinibus, & Italicis populis fecerunt: qua de causa mortuus domi suæ inventus est. Item ejus leges sublatae sunt, quasi contra auspicia & legem Cæciliam & Didiam latae, quæ trinundinum observari juebant. M. Cicero hac de re pro domo: *Decrevit Senatus, inquit, M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latae essent, populum non teneri.* Hæc leges mendose Junia apud Asconium in Cornelianam appellantur: lataeque esse scribit, L. Marcio Philippo, Sexto Julio Cæsare Cos. qui fuit anno Urbis DCLXII. Sed Philippum Cos. qui ei inimicus erat, obtinuisse, ut omnes uno S. C. tollerentur. Decretumque est, contra auspicia latae, eisque populum non teneri. Item apud Ciceronem libro II. de legibus non Liviae, nec Junia, sed Lenia; vel, ut in veteri libro vidi, Leviae, E pro I ut in plerisque aliis scripto, appellantur. Cum enim definisset, legem esse justorum & injustorum distinctionem ad naturam expressam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos adfi-

adficiunt, & defendunt ac tuentur bonos: Sejas vero, vel, ut nos emendavimus, Titias & Appulejas leges non esse putandas, ne Lenias, vel Levias quidem, quæ præsertim uno versiculo Senatus puncto temporis sublatae sint. Et postea cum Augurum potestatera laudat: *Quid, inquit, religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi jus aut dare, aut non dare? Quid, legem, si non jure rogata est, tollere? ut [a] etiam decreto collegii, ut Lenias, vel Levias, consilio Philippi Consulis & Auguris?* Quæ verba multis modis mendosa sunt. Sed agnoscimus, de Livii Drusi legibus sensisse, videri. De ejus Tribunatu initio libri I. de Oratore ita scribit: *Cum igitur vehementius inveheretur in causam principum Consul Philippus, Drusique Tribunatus pro Senatus auctoritate susceptus infringi jam, ac debilitari videretur; dici memini, L. Crassum se in Tusculanum convulisse.* Et libro III. de Philippi adversus Senatum concione, & Drusi in Senatu querelis, & postrema L. Crassi oratione initium facit. Non igitur dubito & in libris de legibus, & apud Asconium Livias leges has esse appellatas. De quibus Lucanus libro VI.

*Vidi ego lætantes populavia nomina Drusos,
Legibus immodicos, ausosque ingentia Gracchos.*

Majestatis leges in Appuleja, Cœlia, Cornelia, Varia, & Julia persecuti sumus. Libet tamen hoc loco incertæ legis sententiam adscribere, cujus apud Tacitum libro IV. mentio fit. Nam cum esset, Cornelio Cossò, Asinio Agrippa Cos. Cremutius Cordus accusatus, quod Brutum & Cassium laudasset editis annalibus: id crimen Cordus ita diluit, ut diceret nihil se adversus principem civitatis, nihil adversus principis parentem, quos Majestatis lex amplecteretur, scripsisse.

MAMILIA, SIVE MANILIA ROSCIA PEDUCEA ALLENA FABIA DE COLONIIS.

IN libro variorum scriptorum de limitibus aliquot capita invenimus hujus legis, quam plebiscitam esse suspicamur, eique Tribunos V. nomen dedisse. Legis verba hæc sunt:

K. L. III. QVAE COLONIA HAC LEGE DEDUCTA, QVODVE MVNICIPIVM, PRAEFECTVRA, FORVM, CONCILIABVLVM CONSTITVTVM ERIT, QVI AGER INTRA FINES EORVM ERIT, QVI TERMINI IN EO AGRO STATVTI ERVNT, QVO IN LOCO TERMINVS NON EXSTABIT, IN EO LOCO IS CVIVS (b) IS AGER ERIT, TERMINVM RESTITVENDVM CVRATO: VTQVE RECTE FACTVM ESSE VELIT, IDQVE MAGISTRATVS, QVI IN EA COLONIA, MVNICIPIO, PRAEFECTVRA, FORO, CONCILIABVLO IVRE DICVNDQ PRAERIT, FACITO, VT FIAT.

K. L. III. QVI LIMITES DECVMANI, QVI HAC LEGE DEDVCTI ERVNT, QVAECVMQVE FOSSAE LIMITES IN EO AGRO ERVNT, QVI AGER HAC LEGE DATVS ADSIGNATVS ERIT, NE QVIS EOS LIMITES DECVMANOS, NE OBSEPTOS, NEVE QVID IN EIS IMMOLITVM, NEVE QVID IBI POSITVM HABETO, NEVE EOS ARATO, NEVE EAS FOSSAS OBTVRATO, NEVE QVIS SAEPTO, QVO MINVS SVO ITINERE AQVA IRE FLVERE POSSIT. SI QVIS ADVERSVS EA QVID FECERIT, IN RES SINGVLAS QVOTIESCVMQVE FECERIT H. S. III. COLONIS, MVNICIPIBVSVE EIVS, IN QVORVM AGRO ID FACTVM ERIT, DARE DAMNAS ESTO: PECVNIAEQVE QVI VOLET PETITIO HAC LEGE ESTO.

K. L. V. QVI HAC LEGE COLONIAM DEDVXERIT, MVNICIPIVM, PRAEFECTVRAM, FORVM, CONCILIABVLVM CONSTITVERIT, IN EO AGRO, QVI AGER INTRA FINES EIVS COLONIAE, MVNICIPII, FORI, CONCILIABVLI, PRAEFECTVRAE ERIT, LIMITES DECVMANIQUE VT FIANT, (c) TERMINIQUE STATVANTVR, CVRATO: QUIQVE FINES ITA STATVERIT, SI FINES EORVM SVNT, DVM NE EXTRA AGRVM COLONICVM, TERRITORIVM, VT FINES DVCAT: QUIQVE TERMINI HAC LEGE STATVTI ERVNT, NE QVIS QVEM EORVM EICITO, NEVE (d) LOCO MOVETO, SCIENS DOLO MALO: SI QVIS ADVERSVS EA FECERIT, IS IN TERMINOS SINGVLOS, QVOS ELEGERIT, LOCOVE MOVERIT, SCIENS DOLO MALO, H. S. XXV. IN PVBLICVM EORVM, QVORVM INTRA FINES IS AGER ERIT, DARE DAMNAS ESTO, DEQVE EA RE CVRATORIS, QVI HAC LEGE ERIT, IVRISDICTIO, RECIPERATORVMQVE DATIO ADDICTIO ESTO. CVM CVRATOR HAC LEGE NON ERIT, TVNC QVICVMQVE MAGISTRATVS IN EA COLONIA, MVNICIPIO, PRAEFECTVRA, FORO, CONCILIABVLO IVRE DICVNDQ PRAERIT, EIVS MAGISTRATVS DE EA RE IVRISDICTIO, IVRISDICISQVE DATIO ADDICTIO ESTO: INQVE EAM REM IS, QVI HAC LEGE IVDICIVM DEDERIT, TESTIBVS PVBLICE DVMTAXAT IN RES SINGVLAS X. DENVNTIANDI POTESTATEM FACITO, ITA VT E REPUBLICA, FIDEQVE SVA VIDEBITVR. ET SI IS, VNDE EA PECVNIA PETITA ERIT, CONDEMNATVS ERIT; EAM PECVNIAM AB EO, DEVE BONIS EIVS, PRIMO QVODVE (e) TEMPORE EXICITO, EIVSQUE PECVNIAE, QVOD RECEPTVM ERIT, PARTEM DIMIDIAM EI, CVIVS VNIVS OPERA, MAXIME IS CONDEMNATVS ERIT, PARTEM DIMIDIAM IN PVBLICVM REDIGITO. QVO EX LOCO TERMINVS ABERIT, SI QVIS IN EVM LOCVM TERMINVM RESTITVERE VOLET, SINE SVA FRAUDE LICETO FACERE: NEVE QVID, CVI IS OB EAM REM HAC LEGE DAMNAS ESTO.

MANILIA, SIVE MANLIA.

Scribit Livius libro VII. Cn. Manlium Cos. legem novo exemplo ad Sutrium in castris tributim tulisse de vicesima eorum, qui manmitterentur. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi arario additum esset, auctores fue-

(a) Al.
Titiam.

(c) Al.
TERMI-
NATIO.

(d) Al.
COMMO-
VETO.

(e) Al.
DIE.

(b) Al.
S. S.

fuerunt. Tribuni tamen plebis, ne quis postea populum sevocaret, capite sanxerunt. Cum enim milites in Consulibus verba jurarent, eos ad quascumque leges cogere potuissent. Sed hæc lex Manilia fortasse dicenda est, in quo libri variare solent; de ea tamen nihil amplius accipi. De vicesima vero aliarum rerum in Vicesima lege dicemus.

II. Altera Manilia lex fuit, de qua in XII. Tabulis videbimus, cum de præscriptione quinque pedum tractabimus. Et ex Cicerone libro I. de legibus, & Frontino, & Urbico apparet, hac lege finibus regundis arbitrum dari, modo ne ea contentio quinque pedes, qui ufucapi vetantur, excederet.

III. Aliam idem Cicero in Bruto refert: *Invidiosa*, inquit, *legis Maniliæ questione C. Galbam sacerdotem, & quatuor Consulares L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum, L. Opimium Gracchani iudices sustulerunt.* De eadem fortasse pro Muræna, Sulpitium confusionem suffragiorum flagitasse, & prorogationem legis Maniliæ, atque æquationem gratiæ, dignitatis, & suffragiorum scribit.

IV. Sed hæc melius ad aliam legem referri possunt, quæ de libertinorum suffragiis lata est, ut Asconius in Cornelianæ scribit: quæ prius a P. Sulpicio Tribuno Plebis, & a L. Sulla lata esse dicitur.

V. Tulit autem eam C. Manilius Tr. Pl. qui de Pompejo Magno adversus Mithradatem mittendo legem tulit, quam Cicero Prætor in oratione, quæ de lege Manilia inscribitur, suavit. De qua lege, vel potius privilegio, Florus centesimo libro scribit.

VI. Addunt quidam eundem Tribunum tulisse, ut novis hominibus magistratus decernerentur, quod a veteribus nescio, an memoriæ traditum sit.

VII. Quod vero libro I. de Oratore scriptum est: *Nec quisquam est eorum, qui, si jura sit ediscendum sibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit, quam Manilianas venalium venditorum leges ediscere:* de illis emptionum & venditionum legibus, atque conditionibus intelligendum est, quas apud Varronem libro II. de re rustica reperies. Sunt tamen qui malint, utroque loco Mamilianas scribere, & earum auctorem M. Mamiliam, non Maniliam. Sed tamen in Etrusco libro Manilius est apud Pomponium: (a) *Post hos, inquit, fuerunt P. Mucius, & Brutus, & Manilius, qui fundaverunt jus civile. Ex his P. Mucius etiam decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres; & exstant volumina scripta Manilii monumenta.* De eodem apud Ciceronem libro I. de finibus: *An partus, inquit, ancillæ sit ne in fructu habendus, differetur inter principes civitatis P. Scævola, M. Manilius: ab hisque M. Brutus dissentiet?* De qua questione Ulpianus (b) libro XVII. ad Sabinum: *Vetus, inquit, fuit questio, an partus ad fructuarium pertineret. Sed Bruti sententia obtinuit, fructuarium in eo locum*

(a) L. 2. §. Post hoc fuerunt. de orig. jur.

(b) L. Vetus. de usufr.

non habere; neque enim in fructu hominis homo esse potest.

M A R I A.

C Marius, qui postea septies Consul fuit, cum Tribunus Pl. esset, legem tulit de suffragiis, ut Plutarchus scribit, qua optimatum vires in reddendis suffragiis, ac in magistratibus mandandis minui videbantur. Itaque & Consul Cotta, & Metellus valde restiterunt; lex tamen lata est. De ea Cicero libro III. de legibus: *Pontes etiam lex Maria fecit angustos; quæ si opposita sunt ambitiosis, ut sunt fere, non reprehendo.* Pontes autem appellabant, qua cives ad suffragium ferendum ibant; de quibus libro I. ad Herennium scriptum est: *Cæpio impetum facit, pontes distubat, cistas deicit.* De eisdem sunt qui intelligant, quod vulgo dicebatur sexagenarios de ponte deici oportere. Itaque eos senes depontanos appellabant, ut Sex. Pompejus scribit. Alii ad scirpeas quasdam effigies, quas argeos vocant, referunt; eas enim, ut idem Pompejus scribit, virgines Vestales in Tiberim singulis annis jacere solebant. Ad hoc in Rosciana priorè Cicero alluisse visus est: *Habeo etiam dicere, inquit, quem contra morem majorum minorem annis sexaginta de ponte in Tiberim dejecerit.* Angustos autem pontes Marius fecit, ut libere cives suffragium ferrent, neque candidati mitterent, qui tabellam inspicerent, & eodem ponte consistentes aliquid per vim, aut fraudem conarentur.

II. De jure vero triumphandi tulere L. Marius & M. Cato Tribuni plebis, ut ex Valerio Maximo libro II. in Triumphali dicemus.

M E M M I A.

IN oratione pro Sex. Roscio Remmia, non Memmia dicenda est, quæ adversus accusatores scripta est, ut suo loco scribam.

M Æ N I A.

DE hac lege apud Ciceronem in Bruto scriptum est: *Manium Curium suspicari disertum possumus, quod is Tribunus Pl. Interrege Appio Cæco diserto homine comitia contra leges habente, cum de plebe Consulem non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit, quod fuerit permagnum, nondum lege Mænia lata.* Refertur etiam apud Nonium Marcellum Varro in lege Mænia ita scribens: *Si quis patriam majorem parentem extinguit, in eo est culpa, quod facit pro sua parte is, qui se eunuchat, aut alicui liberos producit.* Et alio loco: *Nemo est tam negligens, quin summa diligentia eligat asinum, qui suam saliat equulam.* Quæ verba ex satyra ita inscripta sumpta esse videntur. Quamquam Nonius ita mendosus circumfertur, ut non facile audeam ejus libri testimonio uti.

MEN-

MENSIA, VEL MESSIA.

(a) *Ulpianus in Fr.*

A Pud Ulpianum (a) ita scriptum invenio: *Connubio interveniente, liberi semper patrem sequuntur: non interveniente connubio, matris conditioni accedunt, excepto eo, qui ex peregrino & cive Romana peregrinus nascitur: quoniam lex Mensia ex alterutro peregrino natum, deterioris parentis conditionem sequi jubet.* Alibi idem Ulpianus ait: (b) *Lex naturæ hæc est, ut, qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur: nisi lex specialis aliud inducit.* De hac lege nihil amplius accepit.

(b) *c. 24. d. stat. hom.*

M E T E L L A.

Plinius lib. XXXV. scribit, hanc legem fulonibus dictam fuisse, quam C. Flaminius & L. Æmilius Censores dederant ad populum ferendam. *Adeo omnia, inquit, majoribus curæ fuere.* Hæc si a Metello aliquo lata est, Cæcilia quoque dicitur. Sunt qui hanc Metiliam appellant.

M Æ V I A.

A pud Nonium Marcellum Varronis verba referuntur ex Geminis. *Contra, inquit, lex Mævia est in pietate, ne filii patribus luci claro suggillent oculos.* Hoc est, ne oculos clauderent, quod per translationem fortasse dictum est, videlicet ne mortem eorum maturarent. Neque enim vetus mos ignoratur, quo parentibus liberi, cum morerentur, oculos clauderent, item liberis parentes:

Hic certe manibus fugientes pressit ocellos Mater, & in cineres ultima dona tulit.

In manuscripto tamen libro legitur, Lex Mænia, de qua supra.

MISCELLA. De lege Julia Miscella antea dictum est.

O G U L N I A.

Livius libro X. scribit, M. Valerio & Q. Appulejo Coss. Tribuni Pl. Q. & Cn. Ogulnii rogationem promulgarunt, ut, cum quatuor augures, quatuor pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum, quatuor pontifices, quinque augures de plebe omnes adlegerentur. Miratur tamen Livius, quo pacto ad parem numerum augures redacti sint, cum initio (c) tres Tribus, in quas Romulus populum divisit, Ramenses, Titientes, & Luceres, tribus auguribus indigerint: quibus novem numero constitutis terni in illis Tribubus ministrabant. Suasit hanc legem P. Decius Mus, qui ex eadem Pontifex creatus est. Legis tamen nomen obscurum est.

(c) *L. 2. §. Idem temporibus, de orig. jur.*

O P P I A.

Idem Livius initio libri XXXIV., scribit M. Fundanium & L. Valerium Tribunos plebis ad plebem tulisse de Oppia lege abroganda. Tulerat eam C. Oppius Tr. Pl. Q. Fabio Maximo, T. Sempronio Gracco II. Cos. ann. Urb. DXL. ante annos viginti in medio ardore Punici belli secundi: *Ne qua mulier plus semuncia auri haberet; neu vestimento versicolori uteretur; neu juncto vehiculo in urbe, oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, veheretur.* M. & P. Junii Bruti Tribuni plebis legem Oppiam tuebantur. Erat tum Consul M. Porcius Cato, qui pro lege acriter habuit concionem, quæ apud Livium refertur, gravissimam, atque ornatissimam. Sed, Tribuno contra suadente, abrogata est; L. Valerio Flacco, M. Catone Majore Coss. Hujus legis apud Tacitum quoque mentio fit lib. III. historiarum.

O R C H I A.

Prima omnium lex, quæ de cœnis lata sunt, Orchia fuit, ut Macrobius scribit libro III. Saturnaliorum, quam tulit C. Orchius Tr. Pl. de Senatus sententia tertio anno postquam M. Cato Censor creatus fuerat. Ea numerus convivarum præscribatur; de qua ipse Cato postea querebatur, quod plures, quam præscripto ejus cavebatur, tunc ad cœnam vocarentur. Post annos XXII. Fannia lata est, ut idem Macrobius scribit, de qua suo loco.

O V I N I A.

Invenio apud Sextum Pompejum Festum (d) Ovinia Tribunicia fieri mentionem: quæ sanctum esse dicit, ut Censores ex ordine optimum quemque curiatim in Senatum legerent.

(d) *Fest. verbo Præteriti Senatores.*

P E D I A.

Vellejus Paterculus libro II. historiarum scribit, lege Pedia, quam Consul Q. Pedius Cæsaris Octaviani collega tulerat, omnibus, qui Cæsarem patrem interfecerant, aqua, ignique interdictum.

II. Appianus vero libro III. eisdem Consulibus, ait lege Curiata a populo in adoptione confirmatum Octavium, ut jura adgnatorum & patronatus assequeretur; alia vero lege Dolabellam ex hostium numero exsolutum, & ut judicia in percussores Cæsaris haberi possent, iustum esse, idem Dion scribit libro XLVI. & Octaviano II. Consule hæc facta esse refert: nam licet tum primum Consul creatus fuisset, tamen quod antea consularia ornamenta habuisset, maluit hunc secundum Consulatum appellare. Legis Pedia mentionem facit Suetonius in Nerone, & in Galba.

PA.

P A P I A P O P P Æ A.

Dion libro LVI. Papiam Popliam, Isidorus libro V. & Suetonius Pompejam appellant; sed manuscripti libri Poppæam, ut apud Tacitum legitur aliquot locis, & apud Ulpianum in fragmentis: dederunt enim huic legi nomen suffecti Coss. M. Papius Mutilus, Q. Poppæus Secundus, qui Consulatum gesserunt anno Urbis DCCLXI. ut in Capitolinis tabulis notatur. Dion, *Lata, inquit, hæc lex fuit eo anno, quo Q. Sulpicio & C. Sabino Coss. suffecti sunt Consules M. Papius Mutilus & Q. Poppæus Secundus.* Suffectos veteres appellabant, qui in magistratu sublituebantur his, qui aut mortui essent, aut alia de causa magistratu abiissent. Pomponius libro singulari enchiridii: (a) *Atejus, inquit, Consul fuit, Labeo noluit, cum offerretur ei ab Augusto Consulatus, quo suffectus fieret, & honorem susciperet.* Et alio loco: (b) *Cum Decemviri magistratum prorogarent sibi, neque vellet deinceps sufficere magistratibus.* Non male igitur Isidorus, quem Gratianus refert, (c) scribit: *Sub Octaviano Cesare suffecti Consules Papius & Poppæus legem rulerunt, quæ a nominibus eorum appellatur Papia & Poppæa, continens patrum præmia pro suscipiendis liberis.* Dion vero tulisse quidem eos hanc legem scribit, ea tamen de causa, quod D. Augustus præmia auxisset parentum, & eos, qui uxores haberent, a reliquis separasset, annumque adhuc cæteris indulgisset: legem quoque Voconiam eundem aliqua in parte derogasse, ut amplius XXV. millibus mulieres hereditatem consequi possent: & Vestalibus eadem, quæ matribus, jura concessisse. Hoc autem Consules non sua sponte, sed de Augusti sententia fecisse, tum suprascriptis argumentis, tum etiam Taciti, atque aliorum verbis constat. Sed & quod Dion ait, prætereundum non est, hujus rei non leve signum, quod, cum lex ferretur, observatum est, neutrum Consulem liberos, neutrum uxorem habere. De hac lege Tacitus libro III. ita scribit: *Tiberii temporibus relatum est de moderanda Papia Poppæa, quam senior Augustus post Julias rogationes incitandis cælibum pœnis, & augendo ærario sanxerat. Nec ideo, inquit, conjugia & educationes liberum frequentabantur prævalida orbitate. Cæterum multitudo periclitantium gliscebatur, cum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur; utque ante hac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur.* Quod postremum in hæc quoque tempora iusta querela est. Post pauca vero addit: *Sexto demum Consulatu Cæsar Augustus potentia securus, quæ Triumviratu gesserat, abolevit, deditque jura, queis pace, & principe utemur: acriora ex eo vincla, inditi custodes: & lege Papia Poppæa præmiis inducti, ut si a privilegiis parentum cessaretur, velut patrens omnium populus vacantia teneret. Quæ*

verba mendosa circumferuntur. Verum si hæc ita, ut scripta apud Tacitum sunt, intelligantur, nimis dura fuisset Papia lex, si caduca eorum bona fierent, qui liberos non haberent. Quod autem de eadem exstat, minus acerbum est.

II. Et principio cum Alciato nostro sentio in Honorii & Theodosii constitutionis interpretatione. Qua lege jubetur inter viros & uxores rationem cessare ex lege Papia decimarum: & quamvis non interveniant liberi, ex suis quoque eos testamentis solidum capere. Hæc constitutio ab Justiniano (d) conscripta est libro VIII. constitutionum sub titulo *De infirmis pœnis cælibatus & orbitatis, & de decimariis sublatis.* Sub quo titulo altera constitutio scripta est Constantini, quæ cælibum pœnas tollit, eosque æquat maritis; orbos quoque omnibus pœnis liberat tam mares, quam feminas. Quæ omnia, nisi constituta fuissent, minime abrogarentur. Fuerunt autem ea & Juliis legibus, illa præsertim de maritandis ordinibus, & hac Papia, introducta ab Augusto. De his rebus latius scripsit Ulpianus in fragmentis libri singularis Regularum. Recte etiam Juvenalis versus a præceptore in hanc rationem interpretantur:

*Jura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum,
Commoda præterea junguntur multa caducis.
Si numerum, si tres implevero, iusta doloris,
Nævole, causa tui.....*

Addo ego, Honoriana illa constitutio (e) jus quoque liberorum omnibus esse datum. Ex die enim & Coss. iisdem animadverti, ab Justiniano eandem constitutionem in duas esse divisam, & sub duobus titulis conscriptam. Quod etiam Justinianus Novella LXXVIII. (f) refert. Jus autem liberorum impetrare solebant hi, qui licet uxores haberent, cum tamen liberos non haberent, coniugibus succedere non poterant, nisi decima deducta ex lege Papia. Quamobrem extat post Theodosianas constitutiones Novella Valentiniani de testamentis, in qua relatum est, Leonium & Jucundam uxorem tanta vicissim caritate certasse, ut fufis simul precibus jus liberorum poscerent: & propter incertum fortis humanæ superstitem coniugem precarentur heredem. Cujus legis interpretes illud ita accepit, ut in coniugio positi si filios non habeant, seu maritus uxorem, seu uxor maritum voluerit, relinquat heredem; quod jus, inquit, liberorum dicitur. Quod etiam Isidorus libro V. etymologiarum significat. Ad hanc legem pertinere arbitror quod Cajus libro VIII. (g) ad legem Juliam & Papiam scribit: *Non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est. Hæc enim enuntiatio, Habet*

(d) L. ult. C. de infirm. pœn. cælib.

(e) L. 1. de jure liber.

(f) Auth. ut lib. de cæt. in fine.

(g) L. Non est. de ver. sig.

li-

* Poppeus.

(a) L. 2. §. Post. hunc. de orig. jur.

(b) §. Et cum placuisset. e. l.

(c) C. Quædam. dist. 2.

liberos, non habet liberos, semper pluralivo numero profertur, sicut & pugillares, & codicilli, Nam, ut idem (a) libro X. scribit, quem sine liberis esse dicere non possumus, hunc necesse est dicamus liberos habere.

(a) L. Nam quem. eod.

(b) Inst. de S. C. Tertull. in princ.

Jus etiam liberorum ad S. C. Tertullianum (b) valde utile fuit. Nam ut Justinianus scribit libro III. institutionum, ex illo S. C. quod D. Hadriani temporibus factum est, mater ingenua trium liberorum jus habens, libertina quatuor, ad bona filiorum intestato mortuorum admittitur. Quod tamen Justinianus sub titulo de jure liberorum libro VIII. constitutionum

(c) L. ult. C. de jure liberor.

(c) abrogat, & omnibus matribus jura legitima ex illo S. C. concedit. In eodem libro institutionum veteres constitutiones referuntur, quæ partim matrem adjuvabant, partim gravabant, tertiam ei partem nonnumquam auferentes, quas ipse alia constitutione abrogat. Eas autem leges nos libro V. Theodosiani Codicis reperimus, in quibus illa est Constantini ad Bassum, quam Theophilus referre videtur.

(d) L. ult. C. ad S. C. Tertull.

Jubet enim ea lex, (d) ut mater, quæ jus liberorum non habeat, tertia portione hereditatis contenta sit, extantibus patruis filii, aut patru filii, vel nepotibus. Quod si jus liberorum habeat, patruus, aut patru liberi tertiam portionem tantum habeant, reliquas mater. Jus vero liberorum habere tum dicitur, ut Theodosianus interpres scribit, cum ingenua tres partus vivos, & libertina quatuor ediderit. Idem Paulus scribit libro quarto sententiarum titulo de intestatorum successione, & ad S. C. Tertullianum; qui illud etiam addit, opus esse, ut utraque civis Romana sit. Sed & Latinam ingenuam, quæ jus Quiritium consecuta esset, si ter peperisset, ad legitimam filii hereditatem admitti oportere scribit, quia hæc manumissa non est. Loquitur autem non de liberta Latina, de qua in Junia Norbana diximus; sed de ea, quæ ex Latio esset, ingenua tamen, cuique jus Quiritium, hoc est Romanorum civium datum esset. Sic etiam Suetonius scribit, D. Claudium constituisse pro conditione cujusque civis vacationem legis Papiæ Poppæ, Latinis jus Quiritium, feminis jus quatuor liberorum; quæ constituta, inquit, hodie servantur. Quod mihi mirum videtur, cum & Plinius, ut Alciatus noster refert, libro I. περιεργων, & Paulus juris Quiritium mentionem fecerint, & juris liberorum plerique alii, ut antea scripsimus. Quamobrem existimaverim, aliqua ex parte hæc omnia esse temperata. Nam caput quoque, quod huic legi Tiberius adiecerat, de sexagenariis, ut in lege Julia de maritandis ordinibus scripsimus, Claudius abrogavit. Addit Tertullianus in apologetico: (e)

(e) Cap. 4.

Nonne vanissimas Papias leges, quæ ante liberos suscipi cogunt, quam Juliae matrimonium contrahi, post tantæ auctoritatis senectutem heri Severus constantissimus principum exclusit? Quod mihi incognitum est. Seneca vero apud Lactantium libro I. (f) scribit facetissime: Cur Juppiter desit liberos tollere?

(f) Cap. 16. de fals. relig.

utrum sexagenarius factus est, & illi lex Papiæ fibulam imposuit? an impetravit jus trium liberorum? an tandem illi venit in mentem, ab alio expectes, alteri quod feceris: & timet, ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno? Sed de jure trium liberorum apud Dionem libro LV. reperio aliquot annis ante Papiam legem Liviæ Augustæ id jus fuisse delatum, ut eam hoc munere, atque aliis Senatus de Drusi morte consolaretur. Dabatur autem tum a Senatu, postea a principe, inquit, impetratur ab his, quibus tres liberos habere natura non dederat, ut pœnis soluti essent, quæ adversus orbos fuerant latæ, & præmia consequerentur (etsi non omnia) parentum, in quibus erant etiam hereditates. Hoc tamen postremum non satis apud Dionis interpretem cohærere videtur. Ad hunc locum pertinere arbitror, quod Paulus ait libro II. ad legem Juliam & Papiam: (g) Ter enixa videtur, etiam quæ trigeminos pepererit. Sed & cætera, quæ sub titulo de verborum significatione ex libris Ulpiani, Pauli, & aliorum ad legem Juliam & Papiam referuntur, item aliis Digestorum locis, ad hanc legem, & ad Juliam de maritandis ordinibus pertinent. Quas jureconsulti simul interpretati sunt, ut alio loco diximus. Eas autem diversas esse, tum multis aliis argumentis illic ostendimus, tum hoc mihi fit verisimile: quoniam nusquam Papiam de maritandis ordinibus, sed semper Juliam appellatam esse viderim. Ordinibus autem maritandis illa lata est, propterea quod Senatorum ordinem, item equestrem ad matrimonia incitaverit. Papiam vero augendo quoque ærario provisum est. Sed, ut ad cætera capita hujus legis veniamus, Celtiberi poetæ versus de jure liberorum adscribam, quibus formula libelli conscribitur hujus juris petendi:

(g) L. Ter. de verb. signif.

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credat ut esse trium.

Et alio loco non infacete:

Natorum mihi jus trium roganti
Musarum prærium dedit mearum
Solutus qui poterat, valebis uxor:
Non debet domini perire munus.

Sed & si quis tres liberos superstites Romæ, aut in Italia quatuor habeat, aut in provinciis quinque, a tutela, vel cura potest excusari exemplo cæterorum munerum, in quibus qui in acie adversus hostes pro Republica ceciderunt, numerantur, ut Justinianus libro I. institutionum (h) scribit. Item in albo Decurionum pater non habenti filios antefertur ex constitutione Imperatorum Diocletiani & Maximiani. Jus autem liberorum ex Lacedæmoniorum Republica ductum esse videtur, apud quos, ut Aristoteles libro II. de Republica scribit, qui tres filios habebat, præsidii & stationis; qui plures, omnium munerum vacationem habebat. Sed cætera capita videamus.

(h) Inst. de excus. tut. in princ. l. In albo. C. de decurion. lib. 10.

III. Et

III. Et præter ea, quæ in Juliis legibus dicta sunt, lege Papia de caducis etiam cavebatur. Quæ cum Justinianus tolleret, in hunc modum ad Senatum scribit: (a) *Et nomen & materiam caducorum ex bellis ortam & auctam civilibus, quæ inter se Populus Romanus movebat, necessarium duximus P. C. in pacificis nostri imperii temporibus ab orbe Romano recludere; ut, quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas sopiret. Et quemadmodum in multis capitulis lex Papia ab anterioribus Principibus emendata fuit, vel per desuetudinem abolita; ita & a nobis circa caducorum observationem invidiosum suum amittat vigorem.* In altera vero constitutione, quæ & Græce & Latine ante Digesta scripta (b) est, item libro I. constitutionum dicitur, de caducis nihil in quinta parte Digestorum scriptum esse; ne causa, quæ in rebus non prospere gestis, & tristibus temporibus, Romanis calamitatibus increbuit, bello civili coalescens, suis temporibus remaneret; *neve luctuosum monumentum læta, inquit, sæcula inumbrare concedatur.* Ex quibus omnibus apparet, aut eisdem temporibus, quibus bella civilia, aut non multo post, hanc legem latam fuisse. Itaque recte a præceptore nostro dictum est, hanc Papiam fuisse, de qua Tacitus & Honorius scripserunt. Quamvis quod de Vicesima scribit, ex Dionis verbis, quem ipse refert, mihi non probatur. Fuit enim lex Vicesima hereditatum ante triennium lata, quam Papia, M. Æmilio Lepido & L. Arruntio Coss. ut libro LV. Dion scribit. Causam autem utrique legi iidem publici sumptus dederunt, & quod ob exhaustum bellis civilibus ærarium, ad militares exercitus nova vectigalia desiderabantur. Caducorum autem mentio in Digestis fit apud Ulpianum libro XV. ad edictum (c) in eo S. C. quod de hereditatis petitione refertur. *Ait Senatus, Cum ante quam partes caducæ fisco peterentur; Hoc evenerat, inquit Ulpianus, ut partes caducæ fisco peterentur; sed & si ex asse fiat, S. C. locum habeat.* Et apud Cajum libro XVII. ad edictum provinciale: *Cum fisco, inquit, caduca bona defuncti addicantur propter inultam mortem; in eum legatorum actio datur, & libertates ratae sunt.* Appellatur autem caducæ res, quæ facile cadunt, uti arborum frondes, ut matura poma: (d)

(d) *Virg. Georg. 1.*

Sæpe levem paleam, & frondes volitare caducas;
Aut summa nantes in aqua colludere plumas.

(e) *L. Silva. §. Glans. de verb. sign.*

Apud Cajum vero libro VII. ad edictum provinciale, (e) glans caduca appellatur, quæ ex arbore cecidit. Quamobrem Cicero Philippica V. eleganti translatione usus est: *Ne illa quidam Antonii celeritas contemnenda est, quem nisi in via caducæ hereditates retardassent, volasse eum, non iter fecisse, diceres.* Caducas hereditates in via appellat, quæ ei in via cecidissent, ut antea sæpe. Nam secunda quoque

Philippica in multas pecunias alienissimorum hominum invasisse eum, ejectis veris heredibus, scribit. Sed a nostris caduca bona dicuntur, quæ post mortem testatoris eo, cui relinquenda erant, e medio sublato, aut conditione deficiente, ante apertas tabulas ad fisco ex Papia lege deferebantur, folis parentibus & liberis testatoris usque ad tertium gradum, si scripti fuerant heredes, lege exceptis, ut Justinianus (f) scribit. Qua de causa inter parentis jura ab illo poeta refertur: (g)

Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

Lege autem hac aditionum hereditatum mentio facta est, sed tamen Senatusconsulta, quæ de lege Papia (h) lata sunt, ab apertis tabulis dies legatorum cedere, non a morte testatoris voluerunt; ut medio illo tempore caduca fierent. *Cedere diem, ut Ulpianus libro I. regularum (i) scribit, significat incipere deberi pecuniam; venire diem significat eum diem venisse, quo pecunia peti possit. Ubi pure quis stipulatus fuerit, & cessit, & venit dies: ubi in diem, cessit dies, sed nondum venit: ubi sub conditione, neque cessit, neque venit dies, pendente adhuc conditione.* Itaque si legatarius antequam dies cederet, mortuus esset, caducum legatum fiebat: neque enim ad heredes suos id transfinittebat, nisi post eum diem mortuus esset, ut ex Imperatoris Alexandri rescripto (k) constat. Usque eo autem verum est, diem legatorum non cessisse ante apertas tabulas, ut quamvis vindicationis legatum esset, quo genere legandi legatarius vindicare legatum poterat, non expectato herede, ut Cajus scribit libro II. institutionum; tamen apud Paulum libro III. sententiarum ita scriptum est: *Per vindicationem legatum, etsi nondum constituerit legatarius ad se pertinere, atque ita post apertas tabulas ante aditam hereditatem decesserit, ad heredem suum legatum transmittit.* Neque verum esse arbitror, quod vulgo dicitur, apud Neratium libro I. membranarum scriptum esse, dominium ad legatarios post mortem testatoris statim transferri: *A Titio, inquit, (l) herede homo Sejo legatus ante aditam hereditatem Titio furtum fecit. Si adita hereditate Sejus legatum ad se pertinere voluerit, furti ejus servi nomine ager cum eo Titius; quia neque tunc, cum faceret furtum, ejus fuit.* Negat quidem Neratius, ante aditam hereditatem heredis fuisse, quippe cum hereditate adita omnia jura ad nos transeunt, ut Javolenus scripsit libro I. epistolarum (m) præter possessionem. Post aditam quoque hereditatem heredis servum non fuisse scribit; quia ea, quæ legantur, recta via ab eo, qui legavit, ad eum, cui legata sunt, transeunt. Quibus verbis mortis nulla mentio fit, ut post mortem dominium transferatur; sed ex aliis libris juris id investigandum est. Ex his autem, quæ antea diximus, illo quo-

(f) *D. l. un. §. Et cum triplici. & §. Et cum lex.*
(g) *Juven. Satyr. 9.*

(h) *§. Cum igitur. e. l.*

(i) *L. Cedere diem. de verb. sign.*

(k) *L. Ex his verbis. C. Quando dies legati.*

(l) *L. A Titio. de furtis.*

(m) *L. Cum heredes. de adquir. poss.*

quo-

quoque casu dicendum est, non a morte testatoris, sed a tabulis apertis diem cessisse. Quamquam Justinianus (a) caduca tollens, a morte testatoris diem legatorum cedere jubeat, item heredibus permittit, ut adire hereditatem statim possint: nam id quoque intervallum caduca efficiebat. Idem refert, triplici modo res testamento relicta deficere. Aut enim his relinquebantur, qui, cum testamentum fiebat, in rerum natura non erant, quæ pro non scripto dicebantur: aut tunc quidem fuerunt, sed vel vivo testatore decesserunt, vel res ipsæ sub conditione relicta, ea conditione vivo testatore deficiente, in causam caduci venisse dicebantur: aut quod relicta erat, mortuo testatore, deficiebat, quod proprio nomine caducum dicebatur. Et primo casu, si res pro non scripto habebantur, apud eos relinquebantur, a quibus relicta fuerunt, nisi ei, qui ante decesserat, substitutus, aut conjunctus adscriptus esset, raro hoc casu gravamine veniente. Quod hodieque obtinere Justinianus voluit. Cæteris casibus opinor ad fiscum fuisse res delatas ex lege Papia, quod idem Imperator abrogat, qui pluribus verbis totum hunc tractatum conscribit. Quod vero de his, quæ pro non scripto sunt, diximus; exstat libro XXXIV. Digestorum titulus *De his quæ pro non scriptis habentur*, sub quo permulti alii casus enumerantur, quibus pro non scriptis res habentur. (b) In quibus ut onus ad alios quoque deferatur, ille tantum est, si quis sibi adscripserit in testamento, & ab eodem fideicommissum sit, ut Paulus scribit libro XII. quæstionum. Addit Accursius alterum casum ex Ulpiano libro V. fideicommissorum (c): si pro non scripto habitus sit servus alicui legatus, cui servo per fideicommissum libertas adscripta est. Et hoc est quod ex Justiniano retulimus, raro gravamen in hujusmodi relicta accedere. Cætera in eadem constitutione tractantur.

IV. Aliud caput legis Papia ab Justiniano refertur libro III. institutionum: *Lege*, inquit, (d) *Papia adaucta sunt jura patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum est enim, ut ex bonis ejus qui, sestertium centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores quam tres liberos habebat, sive is testamento facto, sive intestatus mortuus erat, virilis pars patrono deberetur.* Nihil opus est, ut hoc loco repetam, quæ libro II. Emendationum de sestertiis nummis diximus: tantum scribam, hosce libertos centenarios appellari apud Ulpianum libro X. ad legem Juliam & Papiam: *Si libertus*, inquit, (e) *minorem se centenario in fraudem legis fecerit; ipso jure non valebit id quod factum est: & ideo quasi in centenarii liberti bonis locum habebit patronus.* Sed & alia eo loco dicuntur, quæ ad hanc legem, quam Ulpianus, ut opinor, interpretabatur, maxime pertinent. Paulus quoque in eo indice librorum, ex quibus Pandectæ Justiniani constant, librum singularem scripsisse dicitur de jure patronatus, quod ex lege

Julia & Papia venit. Sed Justiniani constitutio, quam pro omminatione Græca lingua compendioso tractatu habito scripsisse se dicit, libertos minores centenariis, hoc est, qui aureis minus centum, ut ipse definit, censerentur, ex testamento jure patronatus liberat; ab intestato si sine liberis decesserint, eorum legitimam hereditatem patrono defert. Sed si majores sint, liberis hereditatem defert; si sine liberis decesserint, ab intestato eos vocat; ex testamento vero ad tertiam partem bonorum. Est autem ea constitutio plerisque locis ab Justiniano (f) relata; sed eam nos in libris constitutionum, ut pleraque alias, non habemus. Sed libro VI. constitutionum sub titulo *De bonis libertorum & jure patronatus*, quarta desideratur, ut ex Græcis interpretibus animadverti, ex quibus multarum constitutionum verba, atque sententias nuper collegimus. De quibus alias.

V. Ad Papiam legem revertamur. Et libro II. Theodosiani Codicis constitutionum (g) exstat Constantii & Juliani rescriptum, quo inofficiosa dos esse dicitur, cum in fraudem legis Papia amplius dodrante marito secundo datur, exstantibus liberis ex priore matrimonio. Quæ de re nihil amplius accipi.

VI. Aliud caput est apud Gellium libro I. Noctium: (h) *Papiam*, inquit, *legem invenimus, qua cavetur, ut Pontificis Maximi arbitrato virgines e populo viginti legantur, sortitioque in concione ex eo numero fiat.* Agit autem de Vestalibus virginibus, quarum uno tantum loco mentionem fieri in jure civili existimo Novella VI. (i) Capitem enim poenam diaconissis Justinianus indicit, si stuprum passæ fuerint, ad exemplum earum virginum, quas olim Vestæ consecratas vivas defodiebant, si in corpus peccassent. Referuntur a Gellio Vestalium conditiones satis diligenter ex Antistii Labeonis, & Atei Capitonis, atque aliorum libris, quas referre nimis longum esset. De hac tamen lege intelligendum est quod Suetonius scribit; Sacerdotum & numerum, & dignitatem, & commoda Augustum auxisse, præcipue Vestalium virginum. Cumque in demortuæ locum aliam capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in fortem darent; adjuravit, si cujusquam neptium suarum competeret ætas, oblatum se eam fuisse. De præmiis quoque antea dictum est ex Dione libro LVI. præmiis earum, quæ perperissent, honestatas esse. Plutarchus tamen in Numa scribit, eum Regem magnos honores Vestalibus tribuisse; in quibus erat, ut testamentum facere etiam vivo patre, & cetera gerere sine tutoris auctoritate possent, quem admodum trium liberorum matres. *Cum fascibus quoque*, inquit, *cum prodeunt, deducuntur*: quod tamen Augusti temporibus ceptum Dion scribit libro XLVII. Sed sortitio, ut Gellius scribit, non necessaria postea visa est; sed si quis honesto loco natus adiret Pontificem Maximum, atque offerret ad sacerdotium filiam, cujus salvis religionum observationibus ratio haberi posset, Popilia legi satisfactum erat. Popilianam

(a) D. l. un. §. Cum latur. & §. In novissimo. de cad. toll.

(b) L. ult. de his, quæ pro non scri.

(c) L. Cum vero. §. Si pro non scripto. de fideicom. liber.

(d) Inst. de suc. es. lib. §. Postea vero.

(e) L. Si libertus. de jure patr.

(f) Inst. de leg. agn. suc. §. Placebat. & de serv. cog. in pri. & de bon. pos. §. Cumque antea.

(g) L. 2. de inoffic. dot. tib. in C. Theod.

(h) esp. 12.

(i) Ant. Quomodo op. ep. §. Oportet.

autem, sive Pompiliam, fuisse arbitror Numæ Pompilii legem, qua Vestales consecrabantur, ut infra scribemus. Hæc sunt, quæ de Papia lege reperimus, quæ Tiberii temporibus, ut Tacitus scribit, item Claudii, ut Suetonius, moderata est. Apud Ciceronem vero Papia lex pro Papiria scribitur, ni fallor, in oratione pro Archia poeta, qua de re mox videbimus.

Alia lex est, cujus Cicero mentionem facit libro III. de Officiis, his verbis: *Male etiam, qui peregrinos urbibus prohibent, eosque exterminant, ut Petronius apud patres nostros, Papius nuper: nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere; quam tulerunt legem sapientissimi Consules Crassus & Scævola: usu vero urbis prohibere peregrinos sane inhumanum est.*

P A P I R I A.

Livius libro IV. scribit, L. Papirium Crassum, L. Julium Coss. cum legem de mulctarum æstimatione pergratam populo a Tribunis parari, unius ex eorum collegio prodicione sensissent, ipsos præoccupasse, eamque magno populi favore tulisse. Eam nos Tarpejam Æterniam fuisse suspicamus, de qua alio loco plura.

II. Ad eandem autem referendum non est quod Plinius libro XXXIII. (a) scribit, Papiriana lege semunciales asses factos esse. Etenim ante primum bellum Punicum asses libram pendebant, ex quo asse pro libra in plerisque rebus utimur, ut alio loco scripsimus. Tum primum sextantarii asses facti, ut cum impensis Respublica non sufficeret, æs alienum in hunc modum dissolveretur, quinque partibus in lucrum ararii cedentibus. Sextantem enim, hoc est, uncias duas, asses singuli pendebant; quod ad usum Respublicæ non magnum detrimentum privatorum fuit, ut Pompejus scribit, si modo cum exteris nationibus commercium nummorum non esset. Post septem autem annos Annibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore, unciales asses facti sunt, & Respublica dimidium lucrata est. Quo tempore denarius quoque, qui argenteus nummus fuit, quinque annis ante primum bellum Punicum signatus decem assium æstimatione, tum primum ad XVI. asses auctus est; quinarius, qui etiam Victoriatus dicebatur, de quo in Clodiis legibus scripsimus, non quinque, ut olim, sed octo assibus æstimatus est: eadem quoque ratione sestertius nummus quatuor assibus mutabatur, non vero assibus duobus & semisse, ut olim. Quæ æstimatio ad Volusii Mæciani tempora pervenit, qui de asse librum singularem scripsit, ex quo verba donationum ab Justiniano (b) explosa libro II. Emendationum interpretabamur. Post illam igitur æstimationis mutationem: *mox lege Papiriana, inquit Plinius, semunciales asses facti sunt, atque iterum dimidiam partem Respublica lucrata est.* Ita paulatim evenit, ut pro libra aris semuncia assis loco daretur.

(a) cap. 3.
(b) L. ult. C. de donat.

III. Eutropius libro II. rerum Romanarum argenteum nummum primum signatum fuisse scribit undecimo anno primi belli Punic: qua in re a Plinio XVI. annis dissentit.

C. Carbonis quoque leges Papirias esse non dubito ex epistola quadam Ciceronis ad Papirium Patrum, (c) qua Papirii omnes enumerantur; in qua extrema ita scriptum est: *Tres fratres fuere, Publius, Cajus, Marcus Carbones. Publius, Flacco accusante, condemnatus, fugit Marcus ex Sicilia; Cajus, accusante L. Crasso, cantharidas sumpsisse dicitur. Is Tribunus plebis seditiosus, & P. Africano vim attulisse existimatus est.* Hujus est Tabellaria lex de jubendis legibus, ac vetandis, ut idem Cicero scribit libro III. de legibus, quem seditiosum civem atque improbum appellat, *cui ne reditus quidem ad bonos, inquit, salutem a bonis potuit * auferre.*

(c) Epist. 21. lib. 9.

* Al. adferre.

IV. Florus quoque libro LIX. scribit, Carbonem tulisse, ut eundem Tr. Pl. quoties populus vellet, creari liceret: quam rogationem Africanus minor dissuasit, in qua oratione dixit Tiberium Gracchum jure cæsum videri, tenuitque ejus dissuasio, ut Florus scribit. Appianus tamen, cum de secundo Tribunatu C. Gracchi agit, legem fuisse scribit, qua id permittebatur. Cicero vero libro II. de Oratore de illa Carbonis & Africani contentione ita scribit: *Cum L. Opimii causam defendebat apud populum, audiente me (M. autem Antonius loquitur) C. Carbo Consul, nihil de C. Gracchi cæde negabat, sed id jure pro salute patriæ factum esse dicebat; ut eidem Carboni Tribuno plebis alia tum mente Rempublicam capessenti P. Africanus de Ti. Graccho interroganti responderat, jure cæsum videri.* Ex quo loco illa quoque varietas Carbonis cognoscitur, de qua ex libro III. de legibus antea scripsimus. Sed & in Miloniana Ciceronis idem illud Africani responsum refertur.

V. Idem Cicero in oratione pro Archia poeta scribit: *Data est civitas Syllani lege & Carbonis, si qui fœderatis civitatibus adscripti fuissent; si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent; & si LX. diebus apud Prætores essent professi.* Eam legem, ut opinor, postea Papiam, vel, ut arbitror, Papiriam appellat.

VI. Aliam legem Q. Papirius Tr. Pl. tulisse dicitur apud Ciceronem in oratione pro domo, quæ vetabat injussu plebis ædes, terram, aram consecrare. Quam Cicero ita interpretatur, ut de ædibus sacris, de agris ab hostibus captis, non de privatis ædibus, atque agris intelligatur. *Neque enim, inquit, id fieri fas erat, neque quisquam fecerat, neque erat causa, cur prohibendo non tam deterere videretur, quam admonere.* Et postea: *Lex Papiria vetat ædes injussu plebis consecrari: sit sane hoc de nostris ædibus, ac non de publicis templis.* Quo autem tempore hæc lex lata sit, ignoro; eam tamen veterem M. Cicero appellat.

VII. Alia

VII. Alia lex est, quam L. Papirius tulit de sacramentis, sive is Tribunus plebis fuerit, ut in Festi veteri libro est, sive Tribunus militum, ut quidam suspicantur. Festi verba hæc sunt: *Sacramentum æs significat, quod pœna nomine penditur, sive eo quis interrogatur, sive contenditur: id in aliis rebus quinquaginta assium est, in aliis rebus quingentorum inter eos, qui iudicio inter se contenderent: qua de re lege L. Papirii Tribuni pl. sanctum est his verbis: QVICVMQVE PRAETOR POSTHAC FACTVS ERIT QVI INTER CIVES IVS DICET TRES VIROS (CAPITALES) POPVLVM ROGATO: HQVE TRES VIRI... QVICVMQVE... FACTI ERVNT SACRAMENTA EX... IVDICANTOQVE, EODEMQVE IVRE SVNTO VTI EX LEGIBVS PLEBEIQVE SCITIS EXIGERE IVDICARE ESSEQVE OPORRET. Sacramenti autem nomine id æs dici cœptum est, quod & propter ærarii inopiam, & sacrorum publicorum multitudinem consumebatur id in rebus divinis: hæc Festus. Videndus etiam Varro libro V. de lingua Latina.*

PESOLONIA.

A Pud Paulum libro I. sententiarum scriptum est: *Si quadrupes pauperiem fecerit, damnumve dederit, quidve depasta sit, in dominum actio datur, ut aut damni estimationem subeat, aut (a) quadrupedem dedit, quod etiam lege Pesolonia de cane cavetur.* Dicemus in XII. Tabulis Solonis legem fuisse, quæ de canis noxa scripta est apud Plutarchum, unde Decemviri hanc ipsam de pauperie sumpturunt. Itaque non Pesoloniam, sed Soloniam, aut Solonis, scribendum esse arbitramur.

(a) Al.
Quadrupes
de cedat.

PETILLIA.

IN legibus Ambitus scriptum est C. Petillium Tr. Pl. primum de ambitu tulisse, C. Fabio, C. Plautio Coss. ex Livio libro VII. *Ambitus autem, ut Sextus Pompejus scribit, proprie dicitur locus inter duorum vicinorum ædificia duorum pedum & semipedis, ex lege XII. Tabularum ad circumeundi facultatem relictus. AM, enim pro circum veteres usurpant, ex quo, inquit, honoris ambitus dici cœptus est a circumeundo & supplicando.*

II. Idem Livius libro VIII. scribit, C. Petillio, L. Papirio Mugilano Coss. plebi Romanæ velut aliud initium libertatis factum esse, quod neæti deserunt. Cum enim L. Papirius scenerator C. Publilium ob æs alienum patris in nexum accepisset, in eum libidinem suam exercere cupiens, quod is flagitium aspernabatur, verberibus probum adolescentem adfecit. Qui, cum se in publicum proripuisset, causam dedit, ut Consules jussu Senatus ad populum ferrent, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus, aut in nervo teneretur: pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Veteribus au-

tem legibus Romuli, & XII. Tabularum patria potestas late patebat, ut vincire filium, verberare, necare, vendere, pignori dare liceret, ut in Duodecim scribemus.

PETRONIA. De hac in Junia Petronia vidimus.

PLAUTIA, VEL PLOTIA.

ITa veteres in Claudio, & Clodio; aurata, & orata; aulla, & olla; plautro, & ploftro variabant. Celebris autem Plautia lex est de vi. De qua Julianus libro XLIV. Digestorum: (b) *Si Dominus, inquit, fundi homines armatos venientes existimaverit, atque ita profugerit, quamvis nemo eorum fundum ingressus fuerit, vi dejectus videtur. Sed nihilominus id prædium etiam ante quam in potestatem domini redeat, a bonæ fidei possessore usucapitur. Quia lex Plautia, & Julia ea demum vetuit longa possessione capi, quæ vi possessa fuisset; non etiam ex quibus vi quis dejectus fuisset.* Idem Justinianus scribit libro II. Institutionum, (c) legem Juliam, & Plautiam vi possessarum rerum prohibere usucapionem. Quod vero Julianus scribit, vi dejectum videri, qui armatos venire ad se existimasset, Ciceronis verba confirmant in oratione pro A. Cæcinnæ: *At vero hoc quidem jam vetus est, inquit, & majorum exemplo multis in rebus usitatum: cum vim ad faciendam veniretur, si quos armatos quamvis procul conspexissent, ut statim testificati discederent, optime sponsonem facere possent, ni adversus edictum Prætoris vis facta esset.* De hac lege existimo intelligi oportere, quod Cicero in Miloniana scribit, Milonem Clodio fuisse odio, vexatorem furoris, domitorem armorum suorum, potremo etiam accusatorem suum. *Reus enim, inquit, Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit.* Asconius vero in eadem scribit, M. Saursejum, qui dux fuerat in expugnanda taberna, in qua Clodius occisus est, primum lege Pompeja, deinde lege Plautia de vi fuisse postulatam, quod loca occupasset, & cum telo fuisset. Utraque autem lege absolutus est odio magis Clodii, quam causa. Jam vero M. Cælius in epistola quadam (d) ad Ciceronem scribit, C. Sempronium Rufum calumniam tulisse, quod M. Tucium accusatorem suum reum lege Plotia de vi fecisset, eo consilio, ne sibi eo anno causa esset dicenda.

II. Altera lex Plotia fuit de judiciis, de qua Cicero in Cornelianæ apud Asconium: *Memoria, inquit, teneo, cum primum Senatores cum equitibus Romanis lege Plotia judicarent, hominem diis ac nobilitati perinvisum Cn. Pompejum causam lege Varia de majestate dixisse.* Cum enim Sempronia lege equester ordo in judiciis dominaretur, M. Plautius (e) Silanus Tr. Pl. Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone Coss. anno secundo belli Italici, ut Asconius scribit, legem tulit, adjuvantibus nobilibus, ut Tribus singulæ quinos denos suffragio crearent, qui eo anno judicarent;

(b) L.
Non so-
lum. §. Si
dominus.
de usucap.

(c) Inst.
de usuc. §.
Furtivæ.

(d) Lib.
8.

(e) Al.
Silvanus.

ex eo factum esse, ut Senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam ex plebe. Tribus autem XXXV. fuerunt, unde iudicum numerus DXXV. fuit. Idem Cicero libro IV. ad Atticum: *Non enim te puto de lustro, quod jam desperatum est, aut de iudiciis, quæ lege Plotia fiant, quærere.* Quæ verba fortasse ad legem Plotiam de vi pertinent: jam enim tum lege Aurelia iudicia fuerant Senatoribus, Equitibus, & Tribunis ærariis communicata. Quod vero apud Suetonium scriptum est, rogatione Plotia C. Cæsarem in Tribunatu militum reditum in civitate confecisse L. Cinnæ uxoris fratri, & his, qui cum eo civili discordia Lepidum secuti fuerant, & ad Sertorium confugerant, ad neutram legem referendum est, sed id privilegium potius fuit.

P O M P E J A.

DE parricidiis lex hæc pervulgata est, quæ cavetur, ut, si quis parentis, aut filii, aut omnino adfinitatis ejus, quæ nuncupatione parentum continetur, fata præparaverit, sive clam, sive palam id ausus fuerit, necnon is, cujus dolo malo id factum est, vel conscius criminis existit, licet extraneus sit, pœna parricidii puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solemnium pœnæ subiiciatur, sed insutus culleo cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus, secundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in annem proiciatur: ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, terra mortuo auferatur. Si quis autem alias cognatione, vel adfinitate personas conjunctas necaverit, pœnam legis Corneliæ de sicariis sustinebit. Hæc Justinianus scribit libro IV. Institutionum: (a) item Marcianus libro XIV. institutionum, & Modestinus libro XII. Pandectarum. Plutarchus ait, Romulum Regem nullam parricidio pœnam indixisse, sed qualemcumque cædem parricidium appellasse. Illud enim fieri non posse, hoc impie fieri iudicavit. Itaque primus L. Hostius traditur post annos DC. & post Punica bella patrem suum occidisse. Florus tamen libro LXVIII. scribit, P. Malleolum, matre interempta, omnium primum insutum culleo in mare præcipitatum fuisse. Ad Herennium quoque libro I. scriptum est: *Qui parentem necasse iudicatus erit, is obvolutus & obligatus corio deiciatur in profluentem. Malleolus iudicatus est matrem necasse: ei damnato statim folliculo lupino os obvolutum est, & soleæ lignæ pedibus inductæ sunt, & in carcerem ductus est. Qui defendebant eum, tabulas in carcerem adferunt, testamentum, ipso præsentem, conscribunt, testes rite adfuerunt: de illo supplicium paulo post sumitur.* Idem exemplum libro II. de inventione totidem propemodum verbis refertur; & utroque loco de testamento dubitatur; quod Ulpianus libro X. ad Sabi-

(a) *Inst. de pub. jud. §. Alia. l. I. & penult. de lege Pomp. de parr.*

num (b) irritum fieri, cum sententiam passus est, scribit. Quod vero ex Plutarcho retulimus, Romulum nullum supplicium constituisse his, qui parentem necassent, idem Solonem fecisse, in Rosciana priore Cicero scripsit. Qui cum interrogaretur, cur tantum scelus sine pœna reliquisset, respondisse fertur; se id neminem facturum putasse. *Quanto melius, atque sapientius, inquit Cicero, majores nostri, qui tantum facinus singulari quodam supplicii genere vindicaverunt? De quo illa laudantur ab eodem in Oratore, quæ in eadem causa adulescens dixerat: Etenim quid tam est commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis. Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terram non tangant: ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur: ita postremo eiiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.* Ex his omnibus locis colligo, legem hanc non esse a Cn. Pompejo Magno latam, cum ea Malleolus multis annis ante Pompejum damnatus sit; & Cicero a majoribus fuisse hanc pœnam impositam scribat. Quamquam fieri potuit, ut alia lege hæc eadem pœna imposita esset.

II. Illæ autem Pompeii sunt, quas in tertio Consulatu tulisse eum, Asconius in Miloniana scribit. Duas enim ait ex S. C. promulgasse. Alteram de vi, qua nominatim cædem in Appia via factam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehendit. Fuerant autem hæc illis diebus patrata, Clodio in Appia occiso, cujus corpus in curia combustum fuit, quo incendio & ipsa curia flagravit. Alteram tulit de ambitu pœna graviore, & forma iudiciorum brevior: *Utræque enim lex, inquit, prius testes dare, deinde uno die atque eodem ab accusatore & ab reo perorari jubebat, ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur.* De hac iudiciorum forma & lege Cicero in Bruto scribit. Cum enim de sua & Hortensii exercitatione in causis diceret: *Lege, inquit, Pompeja ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, vel potius easdem, novi veniebamur quotidie.* Et initio libri quarti de finibus ita Catonem loquentem inducit: *An tandem, inquit, cum ego te hac nova lege videam eodem die accusatori respondere, & tribus horis perorare, in hac me causa tempus dilaturum putas? quæ tamen a te ageretur non melior, quam illæ sunt, quas interdum obtines.* Novam legem hanc ipsam Pompejam appellat, quæ eam iudiciorum formam constituerat. De eadem libro XIII. ad Atticum (c): *Is, inquit, ad me venit (de Tigellio autem, sive de Phamea nescio quo loquitur) dixitque, iudicem operam dare sibi constituisse eo die ipso, quo de Sestio nostro lege Pompeja in consilium iri necesse erat: scis enim dies illorum iudiciorum præstitutos fuisse; & quæ sequuntur.* Quæ verba in epistola quoque ad Fabium Gallum (d) referuntur. Eodem pertinet quod Philippica I. dicitur,

(b) *L. Si quis filio. §. Irritum. de injus. ru. pt.*

(c) *Epist. 49.*

(d) *Lib. 7. epist. 24.*

Centurionibus judicatus lege Julia, etiam ante Pompeja, & Aurelia patuisse.

III. Suetonius in Cæsare Dictatore aliam Pompeii legem refert de jure magistratuum; in qua eo capite, quo a petitione honorum absentes submovebat, ne Cæsarem quidem excepit per oblivionem. Lege tamen in æs incisa, & in ærarium condita correxit errorem suum. Apud Plutarchum quoque laudari reos a Pompejo lege prohibitum fuisse, scriptum est, quam tamen is in Planco reo neglexit. Plinius etiam Secundus legem Pompejam in Bithynia servari, in epistolis ad Trajanum (a) scribit, quæ tota provincialis fuit. Idem Tribuniciam potestatem a Sulla deminutam restituit, ut ex Cicerone libro III. de legibus constat. De his legibus Tacitus libro III. ita scribit: *Neque multo post Tribunis reddita licentia, quoquo vellent, populum agitando; jamque non modo in commune, sed in singulos homines latae questiones, & corruptissima Republica plurimæ leges: tum Cn. Pompejus tertium Consul corrigendis moribus delectus, & gravior remediis, quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor; quæ armis tuebatur, armis amisit: exin continua per XX. annos discordia, non mos, non jus.*

An de civibus, inquit, Romanis contra legem Porciam verberatis, aut necatis plura dicenda sunt? & postea: Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit; hic misericors flagella retulit: Porcia lex libertatem civium licitori eripuit; Labienus homo popularis carnifici tradidit. In Verrem quoque de suppliciis, cum civem Romanum virgis cæsum fuisse scripsisset, eique crucem paratam: O nomen, inquit, dulce libertatis; o jus eximium nostræ civitatis; o lex Porcia, legesque Sempronie; o graviter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ Tribunicia potestas: huc tandem omnia reciderunt? Meminit hujus Sallustius in Catilina. Hujus legis nomen non a M. Porcio Catone, sed ab aliquo Porcio Læca acceptum esse denarius nummus indicat: in quo P. LAECA & PROVOCO legitur ea specie cælata, ut civis Romanus a magistratu, cui licitor præsto est, provocare videatur. Læcam vero cognomen esse Porciæ gentis, Livius libro XXXIII. ostendit; & alius denarius, in quo est, M. PORC. LAECA. Unde cognovimus, LAECAM, NON LECCAM scribendum esse apud Ciceronem, (d) & Sallustium, cum in fociis conjurationis M. Læcam numerant.

(d) Cic. in Catil. 1. & 2. & pro Sulla.

POPILIA, VEL POMPILIA.

IN Papiæ lege dictum est, illius legis caput, quo virgines Vestales sortito eligebantur, non diu observatum, ut Gellius libro I. scribit. (b) *Nam si quis, inquit, honesto loco natus adeat Pontificem Maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cujus dumtaxat salvæ religionum observationibus ratio haberi possit, gratia Popiliæ legis per se ratum sit.* His verbis incertum est Popilia lex Papiam ne abroget, an vero eadem ipsa Papiæ Poppææ sit: an, quod magis arbitror, Numæ Pompiliæ Regis, qui, ut Livius scribit, (c) virgines Vestæ legit, Alba oriundum sacerdotium, & genti conditoris haud alienum. His, ut adfidue templi antistites essent, stipendium de publico statuit; virginitate, aliisque cæremoniis venerabiles ac sanctas fecit. Dionysius quoque libro II. & Plutarchus in Numa scribunt, Pompilium Regem quatuor virgines, Servium alias duas constituisse, sex deinde fuisse perpetuo. Triginta eas annos virginitatem servare oportebat, denis annis accipiendis, colendis, atque tradendis cæremoniis exactis. Cætera apud Gellium perscripta sunt.

PORCIA.

LIVIIUS libro X. cum de Valeria lege, quæ de provocatione lata est, scriberet: *Porcia, inquit, lex sola pro tergo civium lata videtur, quod gravi pœna, si quis verberasset, necassetve civem Romanum, sanxit.* Valeria enim nihil ultra quam improbe factum esse adjecebat. De hac in Rabiriana perduellionis Cicero:

POSTUMIA.

POSTUMIA lex apud Plinium libro XIV. (e) refertur. Romulum enim diis lacte libasse, non vino, Numæ regis Postumiam legem fuisse, VINO ROGVM NERESPARGITO. Quod sanxisse illum propter inopiam vini scribit. Eadem lege ex imputata vite libari vina diis nefas statuisse, ut putare cogentur. Huc fortasse Catulli carmen pertinet:

*Inger mei calices amariores,
Ut lex Postumia jubet magistræ,
Ebriosa acina ebriosiores.*

De quo Gellius libro VII. capite XX. videndus est.

PUBLICIA.

MARCIANUS ait libro V. regularum (f) sponsonem facere licere ex lege Titia, & Publicia, & Cornelia in his ludis, qui virtutis gratia fieri in pecuniam liceat. De qua nihil amplius accepi.

(f) L. In quibus. de alent.

PUBLILIA.

ANNO post Romam conditam quadringentesimo decimo quarto Q. Publilius Philo Dictator ab collega T. Æmilio Mamercino Cos. dictus tres secundissimas plebi, adversas nobilitati leges tulit, ut Livius libro VIII. scribit. Unam, ut plebiscita omnes Quirites tenerent, de qua re in Hortensia lege vidimus. Alteram, ut legum, quæ comitiis Centuriatis

(a) Lib. 10. epist. 83.

(b) Cap. 12.

(c) Lib. 1.

(e) Cap. 12.

tis ferrentur, ante initium suffragium patres auctores fierent. Qua lege arbitror abstulisse patribus, ne quod populo placuisset, id, si ipsi auctores post suffragia non fierent, abrogarent. Tertia lex fuit, ut alter ex plebe Censor fieret, etsi utrumque jam tunc fieri licebat.

P U P I A.

HAc lege comitialibus diebus Senatum haberi prohibebatur. De ea Cicero ad Lentulum: *(a) Senatus haberi ante Kalendas Februarias per legem Pupiam, id quod scis, non potest.* Et libro II. ad Q. fratrem: *Comitialibus diebus qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quominus habeat Senatum, & quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex Kalendis Februariis usque ad Kalendas Martias legatis Senatum quotidie dari.* Et epistola secunda ejusdem libri: *Consecuti sunt, inquit, dies comitiales, per quos Senatus haberi non poterat.*

Q U I N C T I A.

Hujus legis nomen nusquam relatum inveni. Lex tamen ipsa apud Frontinum libro II. de aquæductibus reperitur in hæc verba: T. QVINCTIVS CRISPINVS COS. POPVLVM IVRE ROGAVIT, POPVLVSQVE IVRE SCIVIT, IN FORO, PRO ROSTRIS AEDIS DIVI IVLII, PREI. K. IVLIAS, TRIBVS SERGIA PRINCIPVM FVIT, PRO TRIBV, SEX. L. F. VARRO. five, ut potius legendum puto, SEX. TERENCEIVS. L. F. VARRO PRIMVS SCIVIT: significat enim Sergiam Tribum initium suffragandi fecisse; ex ea autem Sex. Terentium Varronem L. F. primum suffragium tulisse: sequitur deinde: QVICVMQVE POST HANC LEGEM ROGATAM RIVOS, SPECVS, FORNICES, FISTVLAS, CASTELLA, TVBVLAS, LACVS AQVARVM PVBLCARVM QVAE AD VRBEM DVCVNTVR, EARVMVE QVAM, SCIENS DOLO MALO FORAVERIT, RVPERIT, FORARE, RVMPEREVE CVRAVERIT, PEIOREMVE FECERIT, QVOMINVS EA AQUA, EARVMVE QVA, IN VRBEM ROMAM IRE, CADERE, FLVI, PERVENIRE, DVCI POSSINT, QVOVE MINVS IN VRBE ROMA, ET IN HIS AEDIFICIIS, QVAE VRBI CONTINENTIA SVNT, ERVNT, IN HISQVE HORTIS, PRAEDIIS, LOCIS, QVORVM HORTORVM, PRAEDIORVM, LOCORVM DOMINIS, POSSESSORIBVSVE AQUA DATA, VEL ADTRIBVTA EST, VEL ERIT, VT SALIAT, DISTRIBVATVR, DIVIDATVR IN CASTELLA, LACVS IMMITTATVR, IS P. R. C. MILLIA DARE DAMNAS ESTO. ET QVI CLAM QVID EORVM ITA FECERIT, ID OMNE SARCIRE, REIFICERE, RESTITVERE, AEDIFICARE, PONERE, CAELARE, ET DEMOLIRI DAMNAS ESTO, SINE DOLO MALO. ATQVE ITA OMNINO VT QVICVMQVE CVRATOR AQVARVM EST, ERIT, AVT SI CVRATOR AQVARVM NON EST, VEL ERIT, TVM IS PRAETOR, QVI INTER CIVES

ET PEREGRINOS IVS DICIT, MVLTAM PIGNORIBVS COGITO, COERCETO, EIQVE CVRATORI, AVT SI CVRATOR NON ERIT, TVM EI PRAETORI, EO NOMINE COGERE, ET COERCERE, MVLTAE DICENDAE, SIVE PIGNORIS CAPIENDI IVS POTESTASQVE ESTO. SI QVID EORVM SERVVS FECERIT, DOMINVS EIVS CENTVM MILLIA POPVLO DET. SI QVIS CIRCA RIVOS, SPECVS, FORNICES, FISTVLAS, TVBVLOS, CASTELLA, LACVS AQVARVM PVBLCARVM, QVA AD VRBEM ROMAM DVCVNTVR VEL DVCENTVR, TERMINATVS STETERIT, NE QVIS EO LOCO POST HANC LEGEM ROGATAM QVID OPPONIT, MOLIT, OBSEPI, FIGIT, STATVIT, PONIT, COLLOCAT, ARAT, SERIT: NEVE IN EVM LOCVM QVID IMMITTIT, PRAETERQVAM EORVM FACIENDORVM, REPONENDORVM CAUSA, PRAETER QVAM QVOD HAC LECE LICEBIT, OPORTEBIT. QVI ADVERSVS EA QVID FECERIT, ET ADVERSVS EA REPSEKIT, EX IVSV, CAUSAQVE OMNIVM RERVOM OMNIBVS ESTO DAMNAS. VTI ESSET, ESSEQVE OPORTERET, SI IS ADVERSVS HANC LEGEM RIVVM, SPECVM RVPISET, FORASSETVE. * QVIQVE SPECVM FORASSET, RVPISETVE, QVOMINVS IN EO LOCO PASCERE HERBAM, FOENVM SECARE, SENTES, VEPRES, CAPRIFICOS, CVRATORES AQVARVM, QVI NVNC SVNT, QVIQVE ERVNT, CIRCA FONTES, ET FONTIVM, ET MVRORVM CVRAM, RIVOS, ET SPECVS, TERMINATVS, ARBORES, VITES, VEPRES, SENTES *(b)* RIPAE, MACERIAE, SALICTA, HARVNDINETA EXCIDANTVR, TOLLANTVR, EFFODIANTVR, *(c)* EXCODICENTVR. VTI QVOD RECTE FACTVM ESSE VOLET, EOQVE NOMINE IIS PIGNORIS CAPTIO, MVLTAE DICTIO COERCITIOQVE ESTO, IDQVE IIS SINE FRAUDE SVA FACERE IVS POTESTASQVE ESTO * QVOMINVS VITES, ARBORES, QVAE VILLIS, AEDIFICIIS, MACERIIISVE INCLVSAE SINT. MACERIAE, QVAS CVRATORES AQVARVM CAUSA COGNITA NE DEMOLIRENTVR, DOMINVS PERMISERVNT, QVIBVS INSCRIPTA, INSCVLPTAQVE ESSENT IPSORVM QVI PERMISSISSENT CVRATORVM NOMINA, HAC LECE NIHILVM ROGATVR, QVOMINVS EX HIS FONTIBVS, RIVIS, SPECVBVS, FORNICIBVS AQVAM HAVRIRE, SVMERE IIS QVIBVSQVE CVRATORES AQVARVM PERMISERVNT, PRAETERQVAM ROTA, CALICE, MACHINA, LICEAT, DVM NEQVE PVTEVS, NEQVE FORAMEN NOVVM FIAT, EIVS HAC LECE NIHILVM ROGATIO. * Valerius Probus tradit solere has notas in legibus scribi, E. H. L. N. R. quibus significaretur, Ejus hac lege nihilum rogatur. Item has, S. Q. S. E. Q. I. N. S. R. E. H. L. N. R. Si quid sacri sancti est, quod jure non sit rogatum, ejus hac lege nihilum rogatur. Ex quibus verbis in calce hujus legis NIHILVM ROGATVR scribendum esse crediderim. Antiquior vero lex ab eodem Frontino refertur in hæc verba: NE QVIS PRIVATVS ALIAM DVCAT, QVAM QVAE EX LACV HVMVM ACCEDIT. Item hæc: NE QVIS AQVAM OLETATO DOLO MALO, VBI PVBLCICE

(b) AL. PI. LAE.

(c) AL. EX. TIRPENTVR.

SALIT. SI QVIS OLETARIT, SESTERTIORVM X. MILLIVM MVLTAE ESTO. Oletare autem interpretatur olidam facere. In eisdem legibus scriptum esse ait, ut agri, qui aqua publica contra legem essent irrigati, publicarentur. Hæc Frontinus.

REGIA.

(a) L. 1. de constitut. princ. Instit. de iure nat. §. Sed & quod princ. l. 1. §. Cum enim. C. de vet. jur. e. nucl.

(b) L. 2. §. Novissime. de orig. jur.

(c) L. Princeps. de legib.

(d) Inst. quib. mod. test. inf. in fin. l. Digna. C. de legib. l. Ex imperfecto. C. de test.

(e) Nunc est in Capitolio.

Ulpianus & Justinianus libro I. institutionum (a) scripserunt: *Quod principi placuit, legis habet vigorem; utpote cum lege Regia, quæ de imperio ejus lata est, populus ei, & in eum omne suum imperium & potestatem conferat.* Pomponius quoque libro singulari enchiridii (b) eleganter potestatem principis a C. Cæsare, & Octavio Augusto usurpatam fuisse tacuit, & paulatim devenisse Rempublicam ad pauciores scribit. Et cum Senatus non probe regere omnes provincias posset, necesse fuisse, ut per unum Rempublicæ confuleretur. Itaque, constituto principe, datum ei jus esse, ut quod constitueret, ratum esset. Dion vero multo verius utrique Cæsari post bellorum civilium victoriam a Senatu populoque Romano omnem potestatem atque imperium concessum per vim ac metum scribit. Id quoque cæteris, qui legitimam potestatem deinceps coeperunt, tributum est; quamobrem legibus soluti dicuntur ab Ulpiano libro XIII. ad legem Juliam & Papiam:

(c) Augusta vero legibus soluta non erat, quia de ea re nulla lex fuerat rogata. Jure vero Severi & Antonini vox digna principe laudatur, (d) qui licet legibus solutos se esse animadverterent, legibus vivere se velle prædicabant. Exstat hodie ejus legis, qua Vespasiano imperium delatum est, pars quædam Romæ in Joannis Lateranensis æde, (e) cujus verba sunt hæc:

FOEDVSVE CVM QVIBVS VOLET FACERE LICEAT ITA VTI LICVIT DIVO AVG. TI. IVLIO CAESARI AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO.

VTIQVE EI SENATVM HABERE RELATIONEM FACERE REMITTERE SENATVS CONSVLTA PER RELATIONEM DISCESSIONEMQVE FACERE LICEAT ITA VTI LICVIT DIVO AVG. TI. IVLIO CAESARI AVG. TI. CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO.

VTIQVE CVM EX VOLVNTATE AVCTORITATEVE IVSSV MANDATVVE EIVS PRAESENTEVE EO SENATVS HABEBITVR OMNIVM RERVIVS PERINDE HABEATVR SERVETVR AC SI E LEGE SENATVS EDICTVS ESSET HABERETVRQVE.

VTIQVE QVOS MAGISTRATVM POTESTATEM IMPERIVM CVRATIONEMVE CVIVS REI PETENTES SENATVI POPVLOQVE ROMANO COMMENDAVERIT QVIBVSVE SVFFRAGATIONEM SVAM DEDERIT PROMISERIT EORVM COMITIS QVIBVSQVE EXTRA ORDINEM RATIO HABEATVR.

VTIQVE EI FINES POMERII PROFERRE PROMOVERE CVM EX REPUBLICA CENSEBIT ESSE LICEAT ITA VTI LICVIT TI. CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO.

VTIQVE QVAECVMQVE EX VSV REIPUBLICAE MAIESTATE DIVINARVM HVMANARVM PVBLICARVM PRIVATARVMQVE RERVIVS ESSE CENSEBIT EI AGERE FACERE IVS POTESTASQVE SIT ITA VTI DIVO AVG. TIBERIOQVE IVLIO CAESARI AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO. FVIT.

VTIQVE QVIBVS LEGIBVS PLEBEIVE SCITIS SCRIPTVM FVIT NE DIVVS AVG. TIBERIVSVE IVLIVS CAESAR AVG. TIBERIVSQUE CLAVDIVS CAESAR AVG. GERMANICVS. TENERENTVR IIS LEGIBVS PLEBISQVE SCITIS IMP. CAESAR VESPASIANVS SOLVTVS SIT QVAEQVE EX QVAQVE LEGE ROGATIONE DIVVM AVG. TIBERIVMVE IVLIVM CAESAREM AVG. TIBERIVMVE CLAVDIVM CAESAREM AVG. GERMANICVM FACERE OPORTVIT EA OMNIA IMP. CAESARI VESPASIANO AVG. FACERE LICEAT.

VTIQVE QVAE ANTE HANC LEGEM ROGATAM ACTA GESTA DECRETA IMPERATA AB IMPERATORE CAESARE VESPASIANO AVG. IVSSV MANDATVVE EIVS A QVOQVE SVNT EA PERINDE IVSTA RATAQVE SINT AC SI POPVLI PLEBISVE IVSSV ACTA ESSENT.

SANCITIO.

SI QVIS HVIVSCE LEGIS ERGO ADVERSVS LEGES ROGATIONES, PLEBISVE SCITA SENATVSVE CONSVLTA FECIT FECERIT SIVE QVOD EVM EX LEGE ROGATIONE PLEBISVE SCITO. S. VE. C. FACERE OPORTEBIT NON FECERIT HVIVS LEGIS ERGO ID EI NE FRAVDI ESTO NEVE QVID OB EAM REM POPVLO DARE DEBETO NEVE CVI DE EA RE ACTIO NEVE IVDICATIO ESTO NEVE QVIS DE EA RE APVD * SE AGI. SINITO.

* SE AGI. 7105.

In his verbis illud neminem fallat, quod capite quarto scriptum est, EORVM COMITIS QVIBVSQVE EXTRA ORDINEM RATIO HABEATVR. Est enim COMITIS pro comitiis scriptum, ex veteri librorum more, qui una littera pro duabus ejusdem generis utebantur, quod poetæ quoque crebro usurpant. Id genus scribendi in Florentinis Pandectis animadvertimus, ut in Emendationibus dictum est. Quod vero extrema legis pars sanctio appellatur, veterem quoque legum morem interpretabitur, de quo Papinianus lib. II. definitionum (f) scribit: *Sanctio legum, quæ novissime certam pœnam irrogat his, qui præceptis legis non obtemperaverint, ad eas species pertinere non videntur, quibus ipsa lege pœna specialiter addita est.* Hac enim postrema legis parte de lege ipsa fanciebatur, quam pœnis, atque aliis conditionibus sanctam, atque inviolatam efficiebant. Justinianus lib. II. institutionum (g): *Ideo autem muros, inquit, sanctos dicimus, quia pœna capit*

(f) L. Sanctio. de pœn.

(g) Inst. de rer. div. §. Sanctæ.

is constituta est in eos, qui aliquid in mu-
ros deliquerint, ideo & legum eas partes, qui-
bus pœnas constituimus adversus eos qui con-
tra leges fecerint, sanctiones vocamus. Ulpia-
nus lib. LXVIII. ad edictum: (a) *Proprie*, inquit,
dicimus sancta, quæ neque profana sunt, sed
sanctione quadam confirmata, ut leges san-
ctæ sunt; sanctione enim quadam sunt subni-
xæ: & interdum, inquit, in sanctionibus adi-
citur, ut, qui ibi aliquid commisit, capite pu-
niatur. Itaque hæ sanctionum pœnæ ad ea ca-
pita non pertinent, quæ aliis pœnis vindicata
sunt: tum quod in toto jure civili generi per
speciem derogatur; tum etiam quod verisimile
non est, delictum unum eadem lege variis æ-
stimationibus coerceri, ut Papinianus scribit.
Quam interpretationem ab aliis didicimus Ac-
curfiana longe præstare. M. Cicero libro III. ad
Atticum (b) de sanctione Clodianæ legis, qua
ipse in exilium fuerat missus, vel potius ei aqua
& igni interdictum, ita scribit: *Scis Clodium*
sansisse, ut vix, aut omnino non posset nec per
Senatum, nec per populum infirmari sua lex. Sed
vides, inquit, nunquam esse observatas sanctio-
nes earum legum, quæ abrogarentur; nam si id
esset, nulla fere abrogari posset. Neque enim
ulla est, quæ non ipsa se sepiat difficultate
abrogationis. Sed cum lex abrogatur, illud
ipsum rogatur, quomodo eam abrogari oport-
eat. Nihil est his verbis apertius; sed addam
tamen aliud ejusdem Ciceronis testimonium
in calce Verrinæ orationis de signis: *Quid*
multa, inquit, nisi vehementius homini mi-
natus essem, nisi legum sanctionem pœ-
namque recitasset, tabularum mihi potestas
facta non esset. Item in oratione pro Corne-
lio Balbo: *Sacrosanctum, inquit, esse nihil*
potest, nisi quod populus, plebsve sansisset:
deinde sanctiones sacrandæ sunt aut genere
ipso, aut obtestatione, & consecratione le-
gis, aut pœna, cum caput ejus, qui contra
facit, consecratur. Non ignoro aliam esse hu-
jus nominis interpretationem; item in his ipsis
sanctionibus non de pœna solum, sed de im-
punitate, de abrogatione, atque aliis de re-
bus, quæ ad legem ipsam pertinerent, perscri-
bi solere: his tamen contentus sum, ut ad le-
gem Regiam revertamur. Atque eam antiquam
fuisse Justinianus in quadam constitutione
scribit: *Cum enim, inquit, (c) lege anti-*
qua, quæ Regia nuncupabatur, omne jus,
omnisque potestas populi Romani in impera-
toriam translata sunt potestatem.
II. Apud Marcellum lib. XXVIII. Digesto-
rum (d) scribitur: *Negat lex Regia, mulierem,*
quæ prægnas mortua sit, humari ante quam
partus ei excidatur. Qui contra fecerit, spem
animantis cum gravida peremisse videtur.
Hanc legem Numæ Regis fuisse arbitror, ut
Pompiliam, & Postumiam, aut alicujus ex
cæteris Regibus. Numam vero religiones, &
sepulchrorum jura constituisse, certum est. Ejus-
dem lex apud Gellium libro IV. (e) & apud
Sex. Pompejum refertur hæc: *PELLEX * ARAM*

(a) Leg.
Sacra. §.
Proprie, eo.

(b) Epist.
23.

(c) L. 1.
§. Cum e-
nim. C. de
vet. jur. enucl.

(d) L. 2.
de mort. inf.

(e) Gell.
lib. 4. c. 3.
* AE-
DEM.

IVNONIS NE TANGITO: SI * TANGIT IVNONI
CRINIB. DEMISSIS AGNUM FEMINAM CAEDITO.
Pellicem autem appellatam esse ajunt in hac lege,
quæ uxorem habenti nupsit. Itaque apud Pau-
lum libro X. ad legem Juliam & Papiam (f)
refertur Granius Flaccus in libro de jure Pa-
piriano, qui scripserit pellicem vulgo vocari,
quæ cum eo, cui uxor sit, corpus misceat.
Jus autem Papirianum erat, Regiarum le-
gum collectio, quam Sextus Papirius fece-
rat, ut Pomponius (g) scribit. Granius igitur
hanc legem, ut arbitror, interpretaba-
tur: Maffurius vero dicebat pellicem apud
antiquos habitam, quæ, cum uxor non eiset,
cum aliquo tamen vivebat, quam postea ami-
cam, aut, honestiore nomine, concubinam ap-
pellarunt. Alii eam, quæ uxoris loco sine nu-
ptiis in domo esset, quam *παλλακή* Græci vo-
cant. Numæ quoque legem alio loco retulimus,
quæ ab eodem Pompejo refertur: *SI QVIS HO-*
MINEM LIBERVM DOLO SCIENS MORTI DVIT,
PARRICIDA ESTO. Plutarchus tamen ad Romu-
lum hanc legem referre videtur, ut in Pom-
peja diximus. Refertur ab eodem Pompejo Nu-
mæ lex, aut legis fortasse sanctio: *SI QVIS*
ALIVTA FAXIT, IPSOS IOVI SACER ESTO. A-
liuta autem pro aliter, & ipsos pro ipse acci-
pitur. Cæteras aliorum Regum leges apud Dio-
nysium & Plutarchum invenire quis poterit.
Sed & Tacitus libro III. auctor est, Servium
Tullium Regem præcipuum legum latorem
fuisse, quibus etiam Reges obtemperarent.

R E M M I A.

M Arcianus libro singulari ad S. C. Tur-
pillianum (h) scribit: *Calumniari, est*
falsa crimina intendere; prævaricari, vera cri-
mina abscondere; tergiversari, in universon
ab accusatione desistere: calumniatoribus pœ-
na lege Remmia irrogatur. Papinianus quoque
lib. 1. de adulteriis: *Quæsitum, inquit, [i] scio,*
an in publicis judiciis calumniæ damnati
testimonium judicio publico perhibere possunt?
Sed neque lege Remmia prohibentur, & Ju-
lia lex de vi, & reperundarum, & pecula-
tus eos homines testimonium dicere non vetue-
runt. Ex his duobus locis non male facturum
arbitror, qui apud Ciceronem in oratione pro
Sex. Roscio legem Remmiam, non Memmiam
scripserit; quod etiam in veteri libro scriptum
inveni. Verba ejus sunt hæc: *Ita tamen quæstus*
te cupidum esse oportebat, ut horum existi-
mationem, & legem Remmiam putares ali-
quid valere oportere. Accusatores multos esse
in civitate, utile est, ut metu contineatur au-
dacia: verumtamen hoc ita est utile, ut ne
plane illudamur ab accusatoribus. Cætera, quæ
ad hoc crimen pertinent, sub titulo de calumnia-
toribus, & ad S. C. Turpillianum lib. III. &
XLVIII. Digestorum reperientur.

* TA-
GIT. Vide
Fest. Verb.
PELLI-
CES, &
verb. TA-
GIT.

(f) L.
Maffurius.
de verb. si-
gnif.

(g) L. 2.
in princ. de
orig. jur.

(h) L. 1.
ad S. C.
Turp.

RHODIA.

(a) L. De-
precatio. de
lege Rhodia.

A Pud Volusium Mæcianum (a) ex lege Rhodia refertur rescriptum Imperatoris Antonini, quo legem Rhodiam mari præesse jubebat, modo ne cæteris legibus contra cautum esset, idemque Augustum judicasse scribit. Paulus vero lib. II. sententiarum: *Lege, inquit, (b) Rhodia cavetur, ut, si levandæ navis gratia jactus mercium factus est, omnium contributione sarciantur, quod pro omnibus datum est.* Qua de re plene lib. XIV. Digestorum titulo de lege Rhodia de jactu tractatur: & in illo Pauli libro, qui hodie extat, titulo ad legem Rhodiam. Isidorus vero lib. V. etymologiarum scribit (c) Rhodias leges navalium commerciorum esse ab insula Rhodo dictas, in qua olim mercatorum usus fuerat. Extat etiam Venetiis in Bessarionis Marciana bibliotheca Imperatorum Leonis & Constantini epitome juris, in cujus initio de hac lege aliquot capitibus agitur, quorum partem in calce lib. II. τὸ προχείρῃ Harmenopuli habemus. Sed, ut diligentius Romæ in alio libro animadverti, effectum argumentum esse a Græcis cognovi.

(b) L. I.
eod.(c) Dist.
2. c. ult.

ROSCIA.

(d) Vid.
Corn. Tac.
lib. 15.

L Roscius Otho Tribunus plebis, ut Florus lib. XCIX. scribit, non vero Consul, ut apud Asconium in Cornelianâ scribitur, legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi darentur, quos ordines alii appellant. M. Cicero in oratione pro L. Muræna (d): *L. inquit, Otho vir fortis, meus necessarius equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Iraque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque jucunditatis est restitutus.* De eadem lege Philippica II. *Tenes ne memoria prætextatum te decoxisse? sedisti in quatuordecim ordinibus, cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortunæ vitio, non suo decoxisset.* Equites autem dicebantur, qui quadringentis millibus censerentur, ut in Julia Theatrali dictum est. Flaccus in epistolis: (e)

(e) Lib.
1. epist. 1.

*Si quadringentis sex septem millia desunt;
Est animus tibi, sunt mores, & lingua,
fidesque,
Plebs eris: at pueri ludentes, Rex eris, ajunt,
Si recte facies.*

Et postea de eadem re:

*Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
Nænia, quæ recte regnum facientibus offert.*

Ad eandem fortasse pertinet, quod Quintilianus ex Theatrali lege refert: **QVI ARTEM LVDICRAM EXERCVERIT, IN XIV. ORDINIBVS PRIMIS NE SEDEAT.**

Tom. I.

RUPILIA.

Hæc ita a Siculis dicebatur, quam P. Rupilius Prætor in Sicilia de decem legatorum sententia tulerat; qua lege inter Siculos, qui non essent ejusdem civitatis, Prætor iudices sortito dabat; ut Cicero in Verrem de jurisdictione scribit.

SACRATÆ LEGES.

Sacratæ leges, ut Sextus Pompejus scribit, illæ dicebantur, quibus sancitum erat, ut, si quis adversus eas fecisset, facer alicui deorum esset. In illa igitur seditione, quæ XVII. fere anno post Reges exactos facta est, ut Pomponius (f) scribit; cum plebs a patribus secessisset, & sibi Tribunos in monte Sacro creasset, vel ut Livius lib. II. ait, sedata ea seditione, legem Sacratam constituerunt, ut plebei magistratus sacrosancti essent, quibus auxilii latio adversus Coss. esset, neve cui patrum capere eum magistratum liceret. De hac lege Ciceronis oratio de provinciis consularibus intelligenda est, in qua extrema: *Si patricius, inquit, Tribunus plebis fuerit, contra leges Sacratas; si plebejus, contra auspicia fuisse.* De Clodio autem verba facit, qui se adoptari a plebejo homine passus est, ut Tribunus plebis fieret. In adoptione autem, ut in oratione pro domo scribit, contra auspicia lex lata fuerat. Apud Dionysium lib. VI. tota hæc Sacrata lex refertur in hanc sententiam: *Tribunum invitum nemo compellat quidquam agere; neve verberet, verberarive jubeat; neve occidat, occidive jubeat. Si quis contra fecerit, impius, execrabilisque sit, bona ejus ad sacra Cereris publicentur; qui eum occiderit, impune fecisse dicatur. Et ne populo Romano liceat hanc legem abrogare, jurare omnes cives Romanos oportet, se, suosque liberos perpetuo hac lege usuros. Addant etiam imprecationem, ut, si secundum sacramenta fecerint, propitios habeant cælestes deos; sin autem fefellerint, adversos.* Hoc itaque sacramento præstito, sacrosancti Tribuni, Sacer ille mons, ut Appianus scribit, & Sacratæ leges hæc dictæ sunt. Sed & Horatia, & Valeriis legibus eadem hæc Tribunorum auxilia sancita sunt. Hac eadem de re Asconius in Cornelianâ diligenter tractat. Apud Livium quoque lib. III. scriptum est, Decemviris legum ferendarum potestatem datam esse, modo ne lex Icilia de Aventino, aliæque Sacratæ leges abrogarentur. Ad easdem leges referendum est quod Cicero in Sestiana, & pro domo sua scribit: *Vetant leges Sacratæ, vetant XII. Tabulæ leges privatis hominibus irrogari; id est enim privilegium.* De quo in XII. videbimus. Idem lib. II. de legibus: *Sunt certa, inquit, legum verba, neque ita prisca, ut in veteribus his, Sacratisque legibus, &c. Militaris quoque Sacrata lex lata est, M. Valerio Corvino Dicta-*

(f) L. 2.
§. Iisdem
temporibus.
de orig. jur.

L

101

tore; C. Marcio Rutilo, Q. Servilio Coss. ut Livius in calce lib. VII. scribit: Ne cuius militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleteretur: additumque legi, Ne quis ubi Tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset. Quod propter P. Salonium latum esse dicitur, qui alternis annis Tribunus militum, & primus Centurio erat, quem primi pili postea appellarunt.

S A T Y R A.

Sextus Pompejus scribit, Satyram & genus cibi dici ex variis rebus conditum, & legem multis aliis confertam legibus, & genus carminis, ubi de multis rebus disputatur. Isidorus quoque libro V. etymologiarum scribit: *Satyra (a) lex est, quæ de pluribus simul rebus loquitur, dicta quidem a copia rerum, & quasi a saturitate: unde & Satyram, inquit, scribere, est poemata varia condere, ut Horatii, Juvenalis, & Persii. Ego vero magis arbitrator Satyram a Satyris ac Faunis, quos imitantur, cum illa verborum licentia, tum etiam dicacitate quadam, & varietate; quod in arte poetica Flaccus Horatius significare videtur. Qua de causa Justinianus (b) scribit de veteri more docendi: Et primi anni hoc opus legentibus tradebatur, non secundum edicti perpetui ordinationem, sed passim, & quasi per Saturam (ita enim scriptum est) collectum, & utile cum inutilibus mixtum, maxima parte inutilibus deputata. Et in alia constitutione: (c) Imperfecta Latinorum libertas incertis vestigiis titubat, & quasi per Satyram inducta adhuc remanet. Sallustius quoque in Jugurthino: Postero, inquit, die quasi per satyram sententiis exquisitis, in deditionem accipitur. Ita enim magis placet ut scribatur, quod Alciatus noster probat libro IV. de verborum significatione, quam quod alii scribunt per Satyram legem. Omnibus itaque his locis significat, ordinem rerum nullum servari, saltantesque Satyros, ut ab illo Alphefibæo Virgiliano (d) fiebat, eos esse imitatos.*

S C A N T I N I A,

V E L S C A T I N I A.

Turpissimum crimen hæc lex vindicabat, in quod insurgere leges, armari jura gladio ultore Constantius & Constans (e) juebant. Apud Juvenalem Satyra secunda, cum dormire Juliam legem adulteræ quidam dixisset, facete illa respondet:

*Tertius e cælo cecidit Cato, sed tamen unde
Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo
Quæ tibi? ne pudeat dominum monstrare
tabernæ.
Quod si vexantur leges ac jura; citari
Ante omnes debet Scantinia. . . .*

Extat etiam epistola M. Cælii ad Ciceronem, (f) qui ait cum se lege Scantinia ab inimicis postulari sensisset, ipse Appium Censorem eadem lege postulavit. Alia quoque epistola: (g) *Curre, inquit, per deos atque homines, & quam primum hæc risum veni, legis Scantiniæ judicium apud Drusum fieri: Appium de tabulis & signis agere.* Suetonius etiam scribit, Domitianum lege Scantinia quosdam ex Senatoribus atque ex equitibus damnasse. Hanc legem, & Voconiam ex Aricino municipio venisse Cicero Philippica tertia scribit. Sunt qui arbitrentur, ob C. Scantinium Capitolinum Tribunum plebis, de quo Valerius libro VI. (h) scribit, Scantiniam esse appellatam hanc legem. M. enim Claudius Marcellus Ædilis curulis diem Scantinio dixit ad populum, quod filium suum de stupro appellasset; qui cum se sua potestate excusare vellet, cæteri Tribuni noluerunt ei auxilio esse. Itaque, solo teste pudentissimo adolescente producto, eo, qui attentatus fuerat, damnatus est. *Pudicitiam quoque cum eriperet militi (inquit Cicero in Miloniana) Tribunus militaris in exercitu C. Marii propinquus ejus Imperatoris, interfecit ab eo est, cui vim adferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit.* Hujus autem legis apud Aufonium Gallum mentio quoque fit, ut in Titia lege scribemus.

S C R I B O N I A.

Apud Florum libro XLIX. scriptum est: *Cum L. Scribonius Tr. Pl. rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui ex fœdere populo Romano dediti a Servio Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur: M. Cato eam legem acerrime suasit, quæ cum præjudicium in Galbam esset, Q. Fulvius Nobilior in Senatu pro eo respondit; & ipse Galba se filiorum pietate & misericordia defendit. Rogatio itaque antiquata est. Eundem Tribunum Libonem postea Florus appellat; item Cicero in Bruto: Cum Lusitanis, inquit, a Servio Galba Prætor contra interpositam, ut existimabatur, fidem interfecit, L. Libone Tr. Pl. populum incitante, & rogationem in Galbam privilegii similem ferente, Summa senectute M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit. Libro tamen primo de Oratore L. Scribonium appellat; & utroque loco Galbam misericordia filiorum liberatum esse scribit, Eutropius libro IV. rerum Romanarum: *Servius Galba Prætor Lusitanos citra Tagum flumen habitantes, cum voluntarios in deditionem recepisset, per scelus interfecit.* Servium autem Galbam, non Sergium scribendum semper esse, ex Suetonio in Galba didici. Sulpicii etenim Galbæ, Sergii Catilinæ, & alii fuerunt. Servios autem Sulpicios plerisque appellatos constat. Item Servius prænomen est, Sergius familiæ nomen. Legis tamen Scriboniæ mentio fit apud Paulum libro LIV. ad edictum:*

(f) Lib. 8. epist. 12.

(g) Eod. lib. epist. 14.

(h) Cap. I.

(a) C. Satyra. dist. 2.

(b) In proæ. Dig. 8. Et primi.

(c) L. un. C. de Lat. lib. 101.

(d) Ecl. 5.

(e) L. Cum vir. C. de adult.

(a) L. Se-
quitur. §.
ult. de usuc.

Etum: (a) Libertatem, inquit, servitutum usucapi posse, verius est: quia eam usucapionem sustulit lex Scribonia, quæ servitutum constituebat, non etiam eam, quæ libertatem præstat, sublata servitute. Quo loco Haloander non recte Voconiam scribere tentavit. Servitutum autem scripsimus, ut in Florentino libro semper est, ut civitatum, prudentium, parentium, & cætera id genus, quæ Diomedes, & Priscianus libro VII. probant. Horatius quoque libro III. carminum scribit:

*Dos est magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas.*

Ciceronem quoque in Verrinis hoc casu non abstinuisse, Priscianus testis est.

S E J A.

A Pud Ciceronem libro II. de legibus vulgo scribunt: *Igitur tu Sejas, & Appulejas leges nullas putas?* Sed ex veteri quodam libro, in quo, *Igitur Tutias*, scriptum est malo, *Igitur tu Titias*, scribere. Nam cum de Seja lege nihil, de Titia quædam acceperim, ita emendandum eum locum esse suspicor: quod aliis quoque probatur.

S E M P R O N I A.

Tiberius & Cajus Sempronii Gracchi fratres Tribuni plebis plerasque leges per vim tulerunt adversus nobilitatem: quamobrem uterque a suis civibus occisus est, Tiberius a P. Scipione Nasica, quem Serapionem quidam appellant; Cajus a L. Opimio Cos. Tiberii lex Agraria fuit, ut lex Licinia de quingentis jugeribus servaretur. Qui eum modum excederet, initio scripsit, ut pretium e publico acciperet: postea Octavii intercessione motus, agros ejus publicavit: quibus dividendis Tresviros creari iussit; se, & fratrem, & Appium Claudium focerum; ut Plutarchus, & Appianus, & Florus libro LVIII. scripserunt: quamvis apud Florum mendose X. (jugera) pro D. scribatur. De hac lege Cicero in Sestiana: *Agrariam Ti. Gracchus legem ferebat: grata erat populo; fortunæ constitui tenuiorum videbantur. Nirebantur contra optimates, quod ea discordiam excitari videbant; & cum locupletes possessionibus diuturnis moverentur, spoliari Republicam propugnatoribus arbitrabantur.* Item in Rullum de lege Agraria: *Jubet auspicii coloniarum deducendarum causa Decemviros habere pullarios, eodem jure, inquit, quo habuerunt Tresviri lege Sempronia. Audes etiam Rulle, inquit Cicero, mentionem facere legis Semproniæ? nec te ea lex ipsa commonet, Tresviros illos XXXV. tribuum suffragio esse creatos? Et cum tu a Ti. Gracchi equitate ac pudore longissime remotus sis; id, quod dissimillima ratione factum sit, eo-*

dem jure putas esse oportere? Addit Appianus libro I. bellorum civilium, Tresviros singulis annis fuisse renovandos, ut agros publicos dividerent; nemini autem supra D. jugera habere licuisse, filiis autem ex veteri lege ejus dimidium permittebatur. Florus, pecuniam quoque ex Attali regis hereditate dividere iussisse Tiberium, scribit. Motus autem fuisse dicitur, propterea quod cum Quæstor C. Hostilii Mancini Cos. fuisset in fœdere Numantino, Senatus decrevisset, ut ipse cum Cos. & Tribunis Numantinis dederetur. Quamvis postea Mancinus solus deditus est, quem Numantini non receperunt, ut Pomponius libro XXXVII. ad Q. Mucium scribit: (b) de quo legem latam esse scribit, ut esset civis Romanus, ac postea Præturam gessisse prodit; quod in eo qui Consul fuerat, mirandum est. Hanc autem fuisse Ti. Graccho causam nobilitatis persequendæ, præter Plutarchum M. Cicero in Bruto, & de Aruspicum responsis scribit. De Mancino vero & libro III. Officiorum, & libro I. de Oratore, & aliis plerisque locis. Quo autem pacto in Agraria ferenda M. Octavio collegæ intercedenti imperium Tiberius abrogaverit, & quo pacto fuerit occisus, satis notum esse ex his libris, quos retuli, & aliis permultis, scio.

II. Ad Cajum fratrem venio, de cujus morte Javolenus (c) mentionem fecit lib. VI. ex posterioribus Labeonis: *In his rebus, inquit, quas præter numeratam pecuniam doti vir habet; dolum malum & culpam eum præstare oportere, Servius ait. Ea sententia P. Mucii est. Nam is in Licinnia Gracchi uxore statuit, quod res dotales in ea seditione, qua Gracchus occisus erat, perissent, ait, quia Gracchi culpa ea seditio facta esset, Licinnia præstari oportere.* Fuit autem Licinnia P. Licinnii Crassi filia, C. Gracchi uxor, cui tamen dotem ademptam fuisse ex S. C. Plutarchus scribit. Hic Tribunus plerasque leges tulit: & de Frumentaria lege alio loco scripsimus.

III. Idem tulit ipsam illam legem Agrariam Tiberii fratris: qua lege, atque etiam aliis, complures colonias in Italia deduxit, ut Florus libro LX. scribit. In Africa quoque, ubi Carthago fuerat, ab eodem colonia deducta est. Quo tempore Livius Drusus perniciosas quoque leges tulit, ut C. Graccho resisteret, ut in Livii legibus scripsimus. Ad has leges refertur, quod in Tiberii Cas. constitutione apud Frontinum scribitur, monumentum ex lege Sempronia & Julia fieri juxta ædes, aut iter publicum certis limitibus divisum, ut in Juliis dictum est.

IV. Tertia lex, ut Florus scribit, fuit, qua equestrem ordinem cum Senatu consentientem corruerat. Trecenti enim Senatores erant, sexcenti equites, ipse equites Senatoribus admiscuit, ut duplicatas vires equites in Senatu haberent. Appianus autem scribit, equitibus judicia, quæ apud Senatores erant, commisisse: Plutarchus vero, trecentos equites pari numero cum Senatoribus adjecisse ad judicandum, tradit.

(b) L.
ult. De lega-
tio.

(c) L. In
his. in princ.
de orig. jur.

Illud constat ex lege Sempronia equites Romanos quinquaginta annos iudicasse, quoad L. Sulla Dictator Senatoribus judicia restituit, qui X. annos judicia ex lege Cornelia tenuerunt. Aurelia autem lege equites & Tribuni ærarii cum Senatoribus iudicaverunt, Julia vero Tribuni iudicandi jure privati sunt. Quod ex Cicerone & Asconio in Verrinis, item ex his, quæ in illis legibus diximus, cognosci potest.

V. Alia lex a Plutarcho refertur, ut vestes e publico militibus sine stipendiorum deminutione darentur, & ut minores XVII. annis ad militiam non cogentur. Exstant libro XII. constitutionum aliquot Imperatorum rescripta, quæ de militari veste, aut pro ea pecunia præstanda tractant. In quibus Honoriana constitutio, (a) qua sextam vestium partem milites a Gynæciariis (erant hi vestibus præpositi, earumque faciendarum artifices) quinque partium æstimationem in pecunia numerata ab ærario accipiebant. De ætate autem militari libro singulari ad Modestinum scripsimus. Tantum addo libro XII. Theodosiani Codicis exstare, sub titulo de Decurionibus, Constantini constitutionem, qua XVIII. annis minores Curiales fieri prohibentur: *Cum enim, inquit, XVIII. ætatis annum intraverint, si militia nomen inferre juxta legem datam non potuerint, vel superfederint, municipali poterunt dari obsequio.* Sed & Tuberonem libro I. historiarum scripsisse, ut A. Gellius refert in decimo libro Noctium, cum Ser. Tullius Rex illas quinque classes census faciendi gratia instituisset, de quibus superius scripsimus; pueros esse existimasse minores annis XVII. sed ea ætate majores idoneos Reipublicæ esse arbitratum, eosque milites scripsisse, & ad annum XLVI. juniores, supra eam ætatem seniores appellasse. Dionysius tamen libro IV. unum annum huic numero detrahit; quinque enim & quadraginta annis majores seniores appellat, ut illic retulimus.

VI. De suffragiis quoque, ut idem Plutarchus scribit, legem tulit Cajus, qua pares Italos omnes civibus Romanis in suffragiis fecit. Quod ita Appianus refert, ut Gracchus civium Romanorum colonias in Italia fecerit; cæteris, quibus suffragia in comitiis ferre non licebat, ita ferre concessit, si tributa persolvissent. Quod Senatus per Consules, & per Drusum Tribunum impedire tentavit. Sed cum sociale bellum postea insecutum sit propter ejusdem Drusi promissa, ut in Liviis legibus diximus; hæc lex ignobilis fuit.

VII. De provinciis apud Ciceronem in oratione pro domo ita scribitur adversus Clodii Tribunatum: *Ita ne vero? Tu provincias Consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit ab Senatu, sed etiam ut necesse esset quotannis constitui per Senatum decretas, lege sanxit: eas lege Sempronia per Senatum decretas rescidisti? extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti, non Consulibus, sed Reipublicæ pestibus?* Quibus verbis apparet, successionem pro-

vinciarum quotannis ex hac lege fuisse, quod in Cornelia quoque pro Balbo significat, cum C. Casari decem fuisse legatos decretos, item lege Sempronia non successum scribit. Ad eandem fortasse pertinet, quod idem scribit in Frumentaria, inter Siciliam, & cæteras provincias in agrorum vectigalium rationibus id interesse, quod cæteris aut impositum vectigal esset certum, quod stipendium diceretur, ut Hispanis & plerisque Pœnorum; *aut censoria, inquit, locatio constituta est*, ut in Asia lege Sempronia: Siciliæ civitates sic in amicitiam, fideque receptæ sunt, paucis exceptis, ut eodem jure essent, quo fuissent. Censoriam locationem interpretor eam, quam Censores in lustrum faciebant. De qua paulo post scribit; *Perpaucæ Siciliæ civitates sunt bello a majoribus nostris subactæ, quarum ager cum esset publicus Populi Romani factus; tamen illis est redditus, & is ager a Censoribus locari solet.* Qua de causa lustrum locationis tempus significat apud Ulpianum libro XXXIV. ad Sabinum: (b) *Nam etsi colonus post lustrum completum fructus perceperit, condici eos constat, ita demum si non ex voluntate domini percepti sunt.* Novella vero CXI. quinque annorum spatium, quod Græco verbo apertius exprimitur: *πενταετηρίδας* enim octo, XL. annorum tempus appellat. Sunt autem illius constitutionis verba edicto Justiniani V. conscripta. Namque Justinianus præter Græcas Novellas CLXVIII. edicta quoque conscripsit XIII. quæ nos aliquando proferemus. Sed & de lustrum & Olympiadis spatio magna controversia est. Censorum autem officio hac in re censitores & magistratos census successisse, alio loco scripsimus.

VIII. Idem C. Gracchus aliam legem tulit, ne de capite civium Romanorum injussu populi iudicaretur, ut Cicero scribit in Rabiriana perduellionis. Plutarchus in vita Gracchorum: *Duas, inquit, tulit leges; alteram, ut qui magistratu per populum amotus esset, facultatem alterius magistratus ineundi non haberet; alteram, ut si quis in magistratu civem Romanum sine iudicio necasset, in eum populi iudicio animadverteretur. Sed a priore destitit precibus matris pro M. Octavio intercedentis, hanc posteriorem Popillii causa tulit.* De eadem lege cum de conjuratorum nece ageretur in Senatu, ita scribit Cicero IV. in Catilinam oratione: *At vero C. Casar intelligit, legem Semproniam esse de civibus Romanis constitutam: qui autem Reipublicæ sit hostis, eum civem esse nullo modo posse: denique ipsum latorem legis Semproniæ iussu populi pœnas Reipublicæ dependisse.* Sed & in Verrem de suppliciis leges Sempronias cum Porcia hac de causa conjunxit. Etenim Porcia quoque, ne quis civem Romanum verberare, aut necare auderet, cautum erat.

IX. Idem tulit, ne quis iudicio circumveniretur, quod postea a L. Sulla in Cornelianam de veneficis est translatum, ut Cicero in Cluentia-

(b) L. Si quis nec causam. in fin. de reb. cred.

(a) L. ult. C. de mil. vest. lib. 12.

(a) Cicer.
in Cluent.

entiana scribit. (a) Verba autem hujus legis referuntur hæc: DEQVE EIVS CAPITE QVAERITO, QVI TRIBVNVS MILITVM LEGIONIBVS QVATVOR PRIMIS, QVIVE QVAESTOR, TRIBVNVS PLEBIS, (deinceps omnes magistratus nominavit) QVIVE IN SENATV SENTENTIAM DIXIT, DIXERIT: QVI EORVM COIT, COIERIT, CONVENIT, CONVENERIT, QVO QVIS IVDICIO PVBLICO CONDEMNETVR. Sed hac de re in Corneliis plenius scripsimus. Has omnes C. Gracchi rogationes Paterculus libro II. paucis verbis significat. *Dabat, inquit, civitatem omnibus Italicis, Italiam ad Alpes fere porrigens; agros dividebat, vetabatque quemquam civem plus D. iugeribus habere, quod lege Licinia cautum erat; portoria nova constituerebat; novis coloniis implebat provincias; judicia a Senatoribus ad equites transferebantur; frumentum plebi dabatur; nihil denique immotum relinquebatur.* Hæc sunt, quæ de Gracchorum legibus reperimus, de quorum morte lamentari videtur Crispus Sallustius in libro de bello Jugurthino. Nam & majores eorum laudat, qui Punico, atque aliis bellis multum Reipublicæ addiderant: hi autem erant Africanus Scipio major avus, & Tiberius Gracchus pater, qui Tr. Pl. etiam fuit, & eos vindicare plebem in libertatem, & optimatum scelera patefacere cœpisse: occisos autem esse a noxia nobilitate, cum Tribunus Pl. alter, Triumvir coloniis deducendis alter esset.

X. At vero Cornelius Tacitus libro III. multo prudentius: *Compositæ, inquit, duodecim Tabulæ sunt finis æqui juris. Nam secutæ leges etsi aliquando in maleficos ex delicto, sapius tamen diffensione ordinum, & apiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava per vim lata sunt. Hinc Gracchi, & Saturnini turbatores plebis, nec minor largitor nomine Senatus Drusus; corrupti spe, aut inlusi per intercessionem socii. Et quæ sequuntur longe verissima de Sullæ, & Pompeii, & cæterorum legibus per vim latis, quæ nos variis locis retulimus.*

SENIA, VEL SENTIA.

Hujus legis apud Tacitum lib. XI. mentio solum fit, A. Vitellio, L. Vipsanio Coss. cum Claudius Imp. in numerum patriciorum adscivit vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant; cum pauca essent reliquæ familiæ, quas Romulus majorum gentium, L. Brutus minorum constituerant: *exhaustis etiam, inquit, quas Dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Senia sublegere.* Sed neque hujus legis, neque hujus rei mentionem fieri vidi apud Suetonium, aut Dionem. Tantum scripserunt, Augustum bis Senatum legisse. Et fortasse Sentia dicta est a C. Sentio Cos. de quo Dion lib. LIV. scribit, & Paterculus lib. II. historiarum. Fuit autem C. Sentius Saturninus col-

lega Augusti, pro quo gessit consulatum Q. Lucretius P. R. C. anno DCCXXXIV. Alia autem est Ælia Sentia, de qua suo loco scripsimus.

SERVILIA.

Cicero in oratione pro M. Scauro apud Afconium scribit, Scaurum reum factum fuisse antea a Q. Servilio Cæpione lege Servilia, cum judicia penes equestrem ordinem essent. Id factum esse, Pedianus interpretatur, ob legationis Asiaticæ invidiam, & adversus leges pecunias captas, reumque fuisse repetundarum, lege, quam tulit Servilius, Claudia Glaucia. Claudia autem est ex tribu Claudia. Pedianus actione I. in Verrem exponens illud Ciceronis, C. VERREM ROMILIA: Romilia, inquit, nomen est Tribus, ablativi casus, ut sit, ex Romilia. Cum Servius Sulpicius Quincti filius Lemonia Rufus difficilimo Reipublicæ tempore, gravi, periculosoque morbo affectus auctoritatem Senatus, salutemque populi Romani vitæ suæ præposuerit: *Senatui placere, Servio Sulpicio statuam pedestrem æneam in Rostris ex hujus ordinis sententia statui.* Verba sunt Ciceronis Philippica IX. quibus censuit S. C. fieri mortuo Sulpicio: *cujus rei Pomponius quoque noster (b) mentionem facit. Lemonia autem, ut Claudia, Tribus nomen est. Sed hæc plenius ab aliis prodita sunt. Hic autem C. Servilius Glaucia longe post homines natos improbissimus fuit, sed peracutus & callidus, in primisque ridiculus, ut idem Cicero scribit in Bruto. Qui ex summis & fortunæ, & vitæ fordibus in Prætura Consul factus esset, si rationem ejus haberi licere judicatum esset: Nam & plebem, inquit, tenebat, & equestrem ordinem beneficio legis devinxerat. Is Prætor eadem die, qua Saturninus Tribunus plebis, Mario & Flacco Coss. publice est interfectus. Ejus cædem & cæterorum jure factam fuisse, Cicero Consul defendit: exstatque ejus oratio pro C. Rabirio perduellionis reo, qua de re in Appuleja scripsimus. Lex itaque, qua sibi equestrem ordinem Glaucia devinxerat, hæc de repetundis fuit, cui postea Cornelia, & Julia succedere, ut idem Cicero scribit in oratione pro Postumo: *Jubet, inquit, lex Julia persequi ab his, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, pervenerit. Hoc totidem verbis. translatum caput est, quot fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia.* Ante hanc legem Acilia fuit, quæ idem crimen persequeretur. Sed hac lege Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus: antea enim vel judicari primo poterat, vel amplius pronuntiari. Ea vero differentia est inter comperendinationem & ampliationem, quod cum amplius pronuntiat, iudicesque non liquere dicunt, is solus causam iterum perorat, in cujus oratione obscuritas est: in comperendinatione uterque iterum causam dicit; prius tamen reus, quam actor*

(b) L. 2.
S. Servius.
de orig. jur.

actor auditur, ut idem Cicero, & Asconius scribunt in Prætura Urbana. Itaque Cicero cum Verrem brevi quadam accusatione, ut solum verteret, coegisset; ut suam in accusando vim explicare posset, comperendinatum esse reum finxit, quo causa iterum acta putaretur. Quod Asconius, & Plinius in epistolis animadvertunt.

II. Alia lex judiciaria fuit Q. Servilii Cæpionis Consulis, qua equitibus auferre videbatur judicia, & ea Senatoribus concedere, aut utrumque ordinem conjungere. Qua de re Cicero plerisque locis facit mentionem, etsi legis sententia minime explicata sit. Exstabat autem tum L. Crassi summi oratoris oratio, qua hanc Cæpionis legem suaserat: & cum in ea suadenda multa adversus equites Romanos pro Senatu dicta essent, recitata ejus oratio est apud ipsos equites iudices a M. Bruto Crassi inimico in iudicio Planciano: recitata item alia de colonia Narbonensi, qua Senatui lædere videbatur. Quod præclare ultus est Crassus, tribus lectoribus excitatis, qui tres M. Bruti patris de jure civili libros legerent; neque enim plures is fecerat, ut libro II. de Oratore Cicero scribit; & in his tres fundos Bruti, quos ille venderat, nominatos esse ostendit. Notus est totus hic locus ex eodem secundo libro, atque ex Cluentiana oratione, relatus a Quintiliano libro VI. institutionum. Legis autem Serviliæ in Bruto mentio fit. Namque eam legem suasisse Crassum refert, cum quatuor & triginta annos haberet, eodem ipso anno, quo Cicero natus est; hoc est, Q. Servilio Cæpione hoc, & C. Serrano Coss. ut Gellius notat libro XV. (a) Eam vero Crassi orationem sibi quasi magistræ a pueritia fuisse, Cicero scribit, in qua & auctoritas ornaretur Senatus, pro quo ordine illa dicerentur, & invidia concitaretur in iudicium & accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. Multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta esse Cicero scribit; plura tamem dicta, quam scripta. Et Prisciani tempore eadem exstabat, ut ex libro VIII. cognovimus. Ad eandem legem pertinet, quod libro I. de inventione scribit, offensum argumentationis genus esse, si eorum, qui audiunt, voluntas lædatur; ut si quis apud equites Romanos cupidos iudicandi Cæpionis legem judiciariam laudet. Sed de legibus judiciariis in Aurelia, Cornelia, Julia, & Sempronia diximus.

S I L I A.

A pud Festum in fragmentis, quorum initium est: *Publica pondera*; verba plebisciti, quod duo Sili Publius & Marcus Tribuni plebis rogarunt, ex Junio referuntur hæc: *EX PONDERIBVS PVBLICIS, QVIBVS HAC TEMPESTATE POPVLVS OETIER, QVI SOLET VTI COAEQVATVR (b) SEDVLVM, VTEI QVADRANTAL VINI OCTOGINTA PONDO SIET, CONGIVS*

(a) *Al. SE DOLO M.*

VINI DECEM P. SIET. SEX SEXTARII CONGIVS SIET VINI. DVODEQVINQVAGINTA SEXTARII QVADRANTAL SIET VINI SEXTARIVS AEQVVS AEQVO CVM LIBRARIO SIET. SEXDEQVINQVE LIBRAE IN MODIO SIENT. SI QVIS MAGISTRATVS ADVERSVS HAEC D. M. PONDERA, MODIOSQVE, VASAQVE PVBLICA MODICA MINORA MAIORAVE FAXIT, IVSSITVE RE FIERI, DOLVME ADDVIT QVOD EA FIAN: EVM QVIS VOLET MAGISTRATVS MVLTARETVR DVM MINORE PATRIS FAMILIAS TAXAT, LICETO: SIVE QVIS IN SACRVM IVDICARE VOLVERIT, LICETO. De his verbis in notis ad Festum scripsimus.

S I C I N I A.

Dionysius Halicarnassæus libro VII. originum scribit, T. Geganio, P. Minucio Coss. Sp. Sicinium Tribunum plebis legem in hanc sententiam tulisse, ut nemo concionanti ad populum Tribuno quidquam in contrarium diceret, neque dicentem interpelleret. Quod si fecerit, det, si id petatur, vades Tribunis multam solvendi, quæ ei irrogabitur. Qui vades non dederit, caput ejus, ac bona sacra sint: multæ autem certatio apud populum fiat. Hujus legis Livius mentionem minime facit; tantum lib. II. scribit, illos Coss. post Tribunos creatos fuisse anno secundo; Sicinium vero illi seditioni, quæ causam Tribunorum creandorum dedit, præfuisse, eamque ob rem Tribunum esse factum. De his autem rebus in Valeris, Horatii, & Sacratris legibus scriptum est.

S U L P I C I A.

Cum P. Sulpicius Tr. Pl. (inquit Florus libro LXXVII.) auctore C. Mario, perniciosas leges promulgasset, ut exules revocarentur; & novi cives, libertinique distribuerentur in Tribus; & ut Marius adversus Mithridatem Ponti Regem dux crearetur, & adversantibus Coss. Q. Pompeio, & L. Sullæ vim intulisset, occisique Pompeii Consul filio, genero Sullæ, L. Sullæ Consul cum exercitu in Urbem venit, & adversus factionem Sulpicii & Marii in ipsa Urbe pugnavit, eamque expulit. P. Sulpicius, cum in quadam villa lateret, indicio servi sui retractus, & occisus est: servus, ut præmium promissi indicii haberet, manumissus est, & ob scelus domini proditi de saxo dejectus est. Hæc Florus. A M. vero Cicerone laudatur P. Sulpicii eloquentia tum in libris de Oratore, tum etiam in Bruto; legum nulla mentio, quod meminerim, illic est. Sed Appianus libro I. & Plutarchus in Sulla eam legem referunt, quæ de Mithridatico bello fuit. Illam de libertinorum suffragiis Asconius in Cornelia refert. Quod ipsum a Servio Tullio Rege manasse, Dionysius libro IV. scribit. Sed & idem Florus libro XX. ait, libertinos prope initia secundi belli Punici in quatuor Tribus fuisse redactos,

atos, Esquilinam, Palatinam, Suburanam, & Collinam. Has urbanas Plinius libro XVIII. (a) appellat, in quas transferri a rusticis ignominia loco habebatur. Itaque existimandum est, ter hoc ipsum esse constitutum, propter neglectam hac in re aliquando juris sanctionem.

II. Addit Plutarchus eundem tulisse, ne quis Senatorii ordinis supra duo drachmarum, vel, ut arbitror, denariorum millia æs alienum conficere posset. Sed cum ipse Sulpicius occisus est, drachmarum tricies debitor inventus est.

SUMPTUARIÆ.

Has in Orchia, Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, Æmilia, Antia, & Julia ex Gellio libro II. & Macrobio libro III. persecuti sumus.

TABELLARIÆ.

Apud Ciceronem libro III. de legibus referuntur Gabinia, Cassia, Papiria Carbonis, & Cælia Tabellariæ, de quibus alias.

TARPEJA ÆTERNIA

DE MULCTIS.

Scribit Gellius libro XI. capite I. mulctam supremam, hoc est, maximam, olim apud Romanos institutam fuisse in singulos dies ovium duarum, boum triginta: pro copia scilicet boum, & ovium penuria. Sed cum ad solvendam mulctam, quæ a magistratibus dicta erat, adigerentur boves, ovesque alias pretii majoris, alias parvi, ideoque mulctæ punitio inæqualis esset; lege Aterina constitutos esse in oves singulas æris denos, in boves æris centenos. Hinc Sextus Pompejus (b) ait æstimatam pœnam ab antiquis dici solitam, quæ ita esset æstimata: ovis decussi, bos centussi, hoc est, decem & centum assibus; id quod idem (c) alio loco Tarpeja lege introductum scribit. Minima mulctæ erat ovis (d) unius: ea in hæc verba indicabatur: M. TERENTIO, QUANDO CITATUS NEQUE RESPONDIT, NEQUE EXCUSATUS EST, EGO EI UNUM OVEM MULTAM DICO. Oves autem antiqui pro arietibus dicebant, atque ideo eas masculino genere pronuntiabant. Namque, ut ex columna Trajani, aliisque veteribus monumentis constat; quæ sacrificia sue, ove, tauro fiebant, unde & Suovetaurilia dicebantur, non ove femina, sed ariete fiebant. Cautum vero erat, ne bovem priusquam ovem nominaret, qui indiceret mulctam, ut Plinius scribit libro XVIII. capite III. Cæterum Plutarchus Valerii Publicolæ legem fuisse ait, ut, qui Consulibus non paruisset, quinque boum, ac duarum ovium mulctam solveret, ovemque decem obolis, bovem centum fuisse æstimatum. Dionysius vero libro X. antiquitatum scribit, Sp. Tarpejum A. Termenium Coss. legem tulisse,

ut liceret omnibus magistratibus eos, qui immodeste, aut præter leges agerent adversus potestatem suam, mulctam punire: neque enim aliis olim mulctam dicere quam Consulibus licuisse. Mulctam autem supremam ac maximam fuisse ab eis constitutam boum duorum, ovium triginta. Plinius libro VII. capite XXVIII. & Livius libro III. non Termenium, sed Æternium hunc Consulem vocant, qui tamen hujus legis nullam mentionem faciunt. Diodorus libro XII. Bibliothecæ eum Asterium, alii Aterium appellant. Ex quo fit, ut neque verum legis nomen, neque ejus sententia satis certo constitui possit. Sextus quidem Pompejus (e) scribit, ante æs signatum ob delicta pœnam gravissimam fuisse duarum ovium & triginta boum, atque id lege sanxisse T. Menenium Lanatum, P. Sextium Capitolinum Coss. postea vero lege Tarpeja mulctam ita æstimatam fuisse, ut antea dictum est. Sed eo loco Pompejus sibi non constat. Livius libro IV. tradit, L. Papirium Crassum, L. Julium Coss. legem de mulctarum æstimatione pergratam populo, cum ab Tribunis parari unius ex eis proditione accepissent, ipsos ferre præoccupavisse. Quo fit, ut in tanta varietate non displiceat ita constituere: Lege Tarpeja & Æternia gravem mulctam triginta ovium, boum duorum, triennio ante Decemviros legum ferendarum causa: post viginti quatuor annos oves, bovesque æstimatos, L. Papirio, L. Julio Coss. decussi, & centussi. Menenium autem & Sextium constat biennio post Tarpejum & Æternium Coss. fuisse post R. C. anno CCCI. Gravem mulctam Theodosianus interpret (f) quinquaginta librarum argenti esse interpretatur, quæ nostris quoque legibus ab executione appellanti indicitur. Cæterarum mulctarum modus ab Arcadio & Honorio constitutus est, pro judicium dignitate varius: qua de re extat eorum constitutio titulo de modo mulctarum, (g) quæ a iudicibus infliguntur.

Theatralis. Hoc cognomine Julia, & Roscia intelligenda est, de quibus satis superque antea diximus.

THORIA.

Thoria, sive Toria, a Sp. Torio, sive Thorio dicta est, de quo Cicero in Bruto satis valuisse in populari genere dicendi scribit, sed agrum publicum vitiosa & inutili lege vegetali levasse. Idem libro II. de Oratore: *Nihil magis, inquit, videtur, quam quod est præter expectationem, ut Appii majoris illius, qui cum ageretur in Senatu de agris publicis, & de lege Thoria, & premeretur Lucilius ab his, qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent: non est, inquit, Lucilii pecus illud; erratis: defendere Lucilium videbatur: ego liberum puto esse: qua lubet, pascitur.* Hujus legis fragmenta quædam invenies in fine hujus voluminis.

(e) Sex.
Pomp. ver.
Peculatus.

(f) L. 3.
quor. app.
non rec. lib.
11. C. Theod.
dor. l. Ab executione.
C. eod.
(g) L. ult.
C. de modo mulctar.

(a) cap. 3.

(b) Sex.
Pomp. ver.
Æstimata.

(c) Idem
ver. Peculatus.

(d) Gellius ibi.
Nominus ver. Oves.

TE

TERENTIA ET CASSIA

FRUMENTARIA.

HAec lex lata est a M. Terentio Lucullo, & C. Cassio Varo Coss. anno Urbis DCLXXX. quam, quia ad frumentum ex Sicilia exportandum solum pertinebat, ut ex Cicerone in Verrinis constat, privilegium, non legem appellare possumus. Verba Ciceronis in Frumentaria sunt hæc: *Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex S. C. & ex lege Terentia & Cassia frumentaria emundi duo genera fuerunt, &c.* Et in oratione de suppliciis: *Denique cum ex S. C. itemque ex lege Terentia & Cassia frumentum æquabiliter emi ab omnibus Siciliae civitatibus oporteret: id quoque munus Mamertinis remisisti.*

TITIA.

Olim tutores intra Urbem quidem a Præ-tore urbano, & maiore parte Tribunorum ex lege Atilia, in provinciis a Præsidibus ex lege Julia, & Titia dabantur; ut Justinianus libro I. Institutionum (a) scribit.

II. Altera lex est, cujus Aufonius (b) mentionem facit, ludens his versibus:

*Jurisconsulto, cui vivit adultera conjux,
Papia lex placuit, Julia displicuit.
Queritis, unde hæc sit distantia? Semivir
ipse
Scantiniam metuens, non metuit Titiam.*

Quorum carminum interpretatio ex Titia legis ignoratione difficilis quibusdam visa est. Mihi vero ex Cornelio Tacito libro XI. historiarum hæc esse videbatur: Ut cum Papia lex præmia maritis concedat, Julia de adulteriis adulteram dimitti jubeat: Scantinia molles coercet, Titia vero munera patrocini causa accipi vetet: hic qui adulteram mollis detinet, metu Scantiniæ, ut Papia utatur, adversus Juliam facit, neque metuit Titiam, cum munera a mœchis accipit non patrocini causa. Sed cæteras quidem leges aliis locis persecuti sumus: de Titia Tacitus scribit: *Cuncta, inquit, legum & magistratuum munia in se trahens princeps (Claudium autem significat) materiam prædandi patefecerat, nec quidquam publicæ mercis tam venale fuit, quam advocatorum perfidia, adeo ut Samius insignis eques Romanus quadringentis nummorum millibus Suillio datis, & cognita prævaricatione, ferro in domo ejus incubuerit. Igitur incipiente C. Silio Cos. Des. consurgunt patres, legemque Titiam flagitant, qua cavetur antiquitus, ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat. Et post ingentem altercationem, tandem, inquit, princeps capiendis pecuniis posuit modum usque ad dena sestertia, quæ egressi repetundarum teneren-*

*tur. Dena sestertia, five decem sestertium nummorum millia, Budæus & ceteri interpretati sunt centum aureorum quantitatem, quam pro singulis causis licitum esse advocatis capere, Ulpianus libro VIII. (c) de omnibus tribunalibus scribit. Neque ad hanc rem pertinent, quæ propter suffragia dantur, ut recte Alciatus notat, & exstat libro II. Theodosiani Codicis, titulo, Si certum petatur, de suffragiis, (d) Juliani constitutio, quam ipse refert ex Marcellino libro XXII. Ex eadem, atque aliis non paucis, quæ in nostris libris reperiuntur, (e) constat Titiam legem & advocatorum patrocina ad lites, suffragia vero ad honores, militias, & magistratus pertinere. Sed, ut ad Aufonium revertamur, ita mihi interpretanda esse videbantur, quæ de illis legibus dicta sunt: quamquam ab aliis aliter & Aufonii & Taciti locus accipiantur. Sunt enim qui Cinciam apud Tacitum scribant, quæ lex de donis & muneribus lata est, quod ejusdem Taciti verbis libro XV. confirmari videtur: *Usu enim, inquit, probatum est, leges egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia Cinciam rogationem, candidatorum ambitus Julias leges, magistratum avaritia, Calpurnia scita pepererunt.* Libro vero XIII. apertius Suilli causa Cinciam restitutam scribit adversus eos, qui pretio causas oravissent. Quamobrem, quoniam non temere adfirmare velimus res nobis non satis cognitæ, veterem opinionem nostram retulisse satis sit.*

III. Apud Ciceronem quoque Titia lex in libris de legibus non male, ut opinor, scribitur, a Sexto Titio seditioso Tribuno plebis lata. De quo libro II. de Oratore ita M. Antonium loquentem inducit: *Testimonium sæpe dicendum est accuratius, ut mihi necesse fuit in Sextum Titium seditiosum civem & turbulentum. Explicavi in eo testimonio dicendo omnia consilia Consulatus mei, quibus illi Tribuno Pl. pro Republica restitissim; quæque ab eo contra Rempublicam facta arbitraver, exposui.* De eodem in Bruto: *Appulejum & Glauciam consecutus, inquit, est Sextus Titius homo loquax sane & satis acutus; sed tam solutus & mollis in gestu, ut saltatio quædam nasceretur cui saltationi Titius nomen esset.* Itaque non male quidam scribunt apud Ciceronem libro II. de legibus: *Igitur tu Titias & Appulejas leges nullas putas?* non Sejas, quod proxime accedebat ad veteris cujusdam libri mendum, cui ego multum defero. Neque illud displicet, quod eodem libro cum de jure augurum agitur, scribunt: *Quid, legem si non jure rogata est, tollere? ut Titiam decreto collegii, ut Livias consilio Philippi Consules & augures?* Quamvis in omnibus libris sit, *Ut etiam.* Quod mendum ex librariorum antiquorum errore manat, ut arbitror, quo solebant repetitas literas, syllabas, atque etiam verba omittere. TIAM igitur pro Titiam scripserunt, opinor, ut in Seja lege diximus; inde

(c) L. I.
§. Si cui. de
extraor. cogn.

(d) L. U.
ni. C. de suf-
frag.

(e) L. U.
niversi. C.
de legat. lib.
10. l. 2. de
mureg. lib.
11. l. ult. de
silia. lib.
12. atque a-
liis. item
Novell. 7.

(a) Inst.
de Atil. tur.
in princ.
(b) Epig.
88.

inde factum, est, ut Etiam scriberetur; aut si E pro I ut sæpe, accipiatur, ΤΕΤΙΑΜ fortasse veteres librarii scripserunt. Hæ nostræ conjecturæ sunt, quibus minime veriora sentientibus impedimento esse volumus.

(a) L. In quibus. de alea.
 (b) L. Solent. eod.
 (c) C. de alea.

IV. Refertur apud Marcianum libro V. regularum (a) ex lege Titia, & Publicia, & Cornelia sponsonem facere licere in his ludis, qui virtutis causa fierent; eos autem S. C. enumerat hos: *Si quis certet hasta, vel pilo iaciendo, currendo, saliendo, luctando, pugnando*, quibus in pecuniam ludere licebat, ut Paulus scribit libro XIX. ad edictum. (b) Hi ludi, ut ex Græcis interpretibus accepimus, constitutione Græca Justiniani permittuntur, libro III. Constitutionum. (c) Sunt autem eorum barbara nomina, sed illis temporibus usurpata, μονόβολον, κοντομονόβολον, quæ cursum, ac saltum interpretantur, κυνηγός κόνταξ, χωρίς τῆς πόρπης, hoc est, jaculatio sine ferro, περιχυτή, idest, palestra, item equorum cursu, quem ἵππικῶν appellant. Qua de re alio loco scribemus.

T R E B O N I A.

L Trebonius Tribunus Plebis, cui cognomen Aspero fuit, quod asper insectandis patribus esset, Sp. Herminio, T. Virginio Cælimontano Coss. cum vetus lex esset in hæc verba concepta: *Si Tribunus plebis X. rogabo; si qui vos minus * hodie X. Tribunus Plebis fecerint: hi tum utique quos sibi collegas cooptassint, ita ut illi legitimi eadem lege Tribuni plebei sint, ut illi, quos hodie Tribunos plebei feceritis.* PLEBEI autem hoc loco pro plebis, ut in lege Regia, atque aliis locis, accipiendum est. Itaque cum ex ea lege M. Duilius, qui comitiis præerat, quinque solum Tribunos suffragiis populi creati permisset, ut hi sibi collegas cooptarent: Trebonius rogationem tulit, ut qui plebem Romanam Tribunos Plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum decem Tribunos Plebis faceret, quod Livius libro III. scribit. Idem libro V. C. Trebonium Tribunum Plebis refert vindictam Treboniæ legis (fuerat enim eo anno neglecta) suscepisse.

II. Florus vero libro CV. alterius C. Trebonii Tribuni Plebis legem refert, qua in quinquennium provinciæ Consulares dabantur, Pompejo Hispaniæ, Crasso Syria, & Parthicum bellum, Cæsari Gallia, atque Germania. Cui legi cum M. Cato obsisteret, a Tribuno in vincula ductus est.

T R I B U N I C I Æ L E G E S.

Tribunicias leges appellat Cicero eas, quæ a Tribunis Plebis latæ sunt, ut in Hortensia scripsimus. Livius vero libro V. eas, quibus Tribunorum plebis potestas constituta & confirmata est, ut Sacratæ, ut Valeriæ, ut Horatiæ. At Pomponius (d) Bruti

(d) L. 2. §. Exactis. de orig. jur.

Tom. I.

Tribuni Celerum legem, qua Reges exacti sunt.

T R I U M P H A L E S.

ITa quidam appellant eas leges, quæ de iure triumphandi apud Valerium libro II. factorum (e) referuntur. *Ob levia*, inquit, *prælia quidam Imperatores triumphos sibi decerni desiderabant: quibus ut occurreretur, lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi quinque millia hostium una acie cecidisset.* Hujus legis apud Eutropium libro IV. rerum Romanarum mentio fit.

(e) cap. 34

II. Hæc lex alterius legis auxilio fulta est, quam L. Marius & M. Cato Tribuni plebis tulerunt. Ea pœnam Imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum civium falsum numerum, litteris Senatui ausi essent referre. Jubet etiam eos, cum primum Urbem intrassent, apud Quæstores urbanos jurare, de utroque numero vere ab his Senatui esse scriptum. Cætera, quæ non ex legibus, sed ex more, aut ex S. C. ducta sunt, apud eundem Valerium reperientur.

T U L L I A.

HOc nomine M. Ciceronis lex appellanda est, quam de ambitu, ut arbitror, tulit in Consulatu. Etenim in Sextiana: *Acta mea*, inquit, *Sex. Clodio displicere quis nescit? qui legem eam contemnat, quæ dilucide vetat, gladiatores biennio, quo quis petierit, aut petiturus sit, dare.* Et postea: *Quem non tam admiror, quod meam legem contemnat hominis inimici, quam quod se statuit omnino Consularem legem nullam putare.* In Vatinius quoque: *Cum ego, inquit, legem de ambitu ex S. C. tulerim, quæ dilucide vetat, biennio, quo quis petat, petiturusve sit, gladiatores dare, nisi ex testamento præstituta die.* De eadem, ut existimo, lege idem in oratione pro L. Muræna: *Dixisti, inquit, Senatusconsultum, me referente, esse factum, si mercede conducti obviam candidatis essent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributus, & item prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri.* Quamvis hæc S. C. ut ait, coercebantur, quo nomine legem appellari non facile crediderim, sed hoc S. C. legem esse subsecutam. Quod vero de gladiatorum loco scribit, minime est de ipsis hominibus, sed de ludis intelligendum, in quibus locus spectatoribus daretur; quod alii animadverterunt. *Itaque cum crimina explicantur, Præfectum fabrum, inquit, semel locum tribulibus suis dedisse: quid statuent in viros primarios, qui in Circo totas tabernas tribulium causa compararunt?* Sic libro II. ad Atticum: (f) *Quærit ex me, num consuevissem Siculis locum gladiatoribus dare.*

(f) Ep. 17

M

VA.

VALERIA.

EXactis Regibus, L. Junius Brutus, L. Tarquinius Collatinus Lucretiæ vir Consules constituti sunt. Hic tamen propter invidiam regii nominis Tarquiniorum abdicavit se Consulatu, & civitate cessit; Brutus P. Valerium Volefi filium, quo adjutore Reges ejecerat, comitiis centuriatis Cos. creavit. Sed cum in acie Brutus occidisset, Valerius regnum appetere credebatur; tum quod collegam non sufficeret, tum etiam quod in summa Velia ædificaret. Qua re cognita, vocato populo, submissis fascibus, in concionem ascendit, in qua populi animos placavit, tum verbis, tum diruta Veliana domo, tum etiam legibus, quæ ita populares fuerunt, ut cognomen ei Poplicolæ dederint. Illæ in primis gratæ de provocatione adversus magistratum ad populum: item ut caput cum bonis ejus sacrum fieret, qui regni occupandi consilia inisset, quas solas Livius libro secundo refert. Addit Dionysius libro V. Valerium primum a fascibus secures detraxisse, & ejus consuetudinis auctorem fuisse, quæ ad ipsius Dionysii tempora mansit, ut extra Urbem Consules fasces cum securibus haberent, intra Urbem secures non haberent. Scripsit autem eam historiam Dionysius Augusti Octaviani temporibus, Claudio Nerone iterum, Calpurnio Pisone Coss. ut initio libri primi idem scripsit. Sed de fascibus hoc idem Livius libro. III. significat, cum Decemviros scribit cum duodecim fascibus prodiisse, *centumque & viginti lictores forum, inquit, impleverant, & cum fascibus secures illigatas præferebant; nec attinuisse demi securim, cum sine provocatione creati essent, interpretabantur.* Idem libro XXIV. cum de his comitiis, quibus Q. Fabius Max. IV. M. Marcellus III. Coss. creati sunt, verba facit: *Lictores, inquit, ad eum accedere Consul iussit, & quia in Urbem non inierat, protinus in campum ex itinere profectus, admonuit cum securibus sibi fasces præferri.* Hac tamen de re in Julia de maritandis ordinibus scripsimus. Ad Valerium redeo. Et idem Dionysius ait, eundem Consulem tulisse, ut ne quis magistratum Romæ gereret, quem non a populo suscepisset: quod si fieret, capitali pœna vindicaretur, & qui illum occidisset, ei impune esset. Altera lex fuit, ut, si quis magistratus civem Romanum interficere, verberibus cedere, aut mulctam ei indicare vellet; liceret civi ad populum provocare, neque posse eum magistratum, antequam suffragia lata essent, provocantem malo quoquam adficere. Hæ leges a Plutarcho quoque referuntur, qui eadem illa de securibus, obscurius tamen, tradit. Pomponius autem noster libro singulari Enchiridii (a) ita scribit: *Exactis deinde Regibus, Consules constituti sunt duo; qui tamen ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent, lege lata factum est, ut ab eis provocatio esset; neve possent in caput civis Romani animadvertere*

(a) L. 2.
§. Exactis.
2. de orig.
jur.

injussu populi: solum relictum est illis, ut coercere possent, & in vincula publica duci juberent. Sed & idem Livius libro X. ait, M. Valerium, qui cum Q. Appulejo Consul fuit, hanc eandem legem jam tertio ab eadem familia latam post Reges exactos, tulisse diligentius sanctam. Causam renovandæ fuisse Livius suspicatur, quod plus paucorum opes, quam libertas plebis, poterant. Tres autem Valerii fuerunt, ni fallor; P. Valerius Poplicola, de quo agebamus; L. Valerius Potitus, qui Consul cum M. Horatio fuit, cum Decemviris sublatis, Horatia lex accepta est; & hic M. Valerius. Addit Livius, Porcia lege, quæ sola pro tergo civium lata esse videretur, gravi pœna, si quis verberasset, necassetve civem Romanum sanciri: hæc Valeria, cum eum, qui provocasset, virgis cædi, securique necari vetuisset; si quis adversus ea fecisset, nihil ultra, quam improbe factum adjecit: *Id, inquit, qui tunc pudor hominum erat, visum vinculum satis validum legis, nunc vix servo ita minetur quisquam.* Ex his omnibus apparet, lege hac, quæ de provocatione lata est, consultum populo; ut ne quis a magistratu necari, aut verberibus adfici posset, cui provocatio negaretur. Sed & Ulpianus libro VIII. de officio Proconsulis (b) scribit, lege Julia de vi publica teneri eos, qui cum imperium potestatemve haberent, civem Romanum adversus provocationem necaverint, verberaverint, aut quo alio malo coercuerint. Clodius quoque in eo privilegio, quo Cicero urbem expulit, ita scripsit, ut, qui civem Romanum indemnatum interemisset, ei aqua & igni interdiceretur: quod Paternus scribit. Relictum tamen Consulibus est, ut mulctam indicare possent, quinque boum, ovium duarum, ut Plutarchus (c) refert. Cujus mulctæ æstimatio fuit ovis decussi, bos centussi, ut in Tarpeja Æternia dictum est: sic enim placet asses pro obolis ex Gellio & Pompejo accipere. Illam vero de tyranno legem, quam ex Livio libro II. retulimus, (d) ita conscriptam esse Plutarchus ait, ut fas esset tyrannidem appetentem indemnatum occidere: occisorem crimine liberandum, si illius conatus probavisset. Hac lege Sp. Cassius, Sp. Mælius, M. Manlius, & fortasse C. Cæsar pœnas dederunt. Quamquam Sp. Mælius a Magistro equitum C. Servilio Ahala, quod venire ad Dictatorem recusasset, interfectus est indemnatus, Cassius & Manlius ante damnati. Idem Plutarchus alias Poplicolæ leges enumerat. Nam & civium vetigalia sustulisse, & pecuniam publicam commissam Quæstoribus in æde Saturni collocasse lege perlata, scribit.

II. Valeria quoque lex appellatur, quam L. Valerius Flaccus Interrex tulit, ut quidquid L. Cornelius Sulla fecisset, id ratum esset, ut Cicero in Agraria III. & Appianus libro I. bellorum civilium scribunt. De hac libro I. de legibus Cicero ait: *Si XXX. illi Athenis tyranni leges imponere voluissent, aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus,*

num

(b) L. Lege Julia. 1. ad l. Jul. de vi pub.

(c) Plutarch. in Poplic.

(d) L. §. Exactis. 1. de orig. jur.

num idcirco ea iusta haberentur? nihilo credo magis illa, quam Interrex noster tulit: ut Dictator quem vellet civium, indicta causa (vel ut in veteri libro est, vindictæ causa) impune posset occidere. Dictator autem Sulla intelligitur, quod, victis Marianis partibus, se Dictatorem dici curaverit perpetuum. Idem Cicero pro Sex. Roscio, & in eadem illa Agraria lege, Valeriam cum Corneliis conjungit, ut in Cornelia diximus; propterea quod hac lege acta Sullæ confirmarentur. Vellejus Paterculus libro II. historiarum scribit, Valerium Flaccum, qui in Consulatu Mario VII. Consuli successus est, tulisse, ut creditoribus quadrans solveretur, quam is turpissimam legem appellat.

V A R I A.

Hæc lex de majestate ab Asconio in Corneliiana dicitur; & ut idem in oratione pro Scauro scribit, lata est a Q. Vario Tr. Pl. cum, Italico bello exorto propter negatam fociis civitatem, nobilitas in invidia esset. Qua lege quærebatur de his, quorum ope, consiliove focii contra Populum Romanum arma sumpsissent. De hac Cicero libro II. Tusculanarum quaestionum: *Genu mehercule*, inquit, *M. Antonium vidi, cum contente ipse pro se lege Varia diceret, terram tangere.* Hunc Asconius Hispanum, Valerius libro VIII. Hybridam, propter obscurum jus civitatis, esse appellatum scribit. Hybridas autem Plinius libro VIII. fues esse dictos ait ex domesticis & feris natos, quod C. Antonio Ciceronis collegæ cognomen fuisse scribit. Notum quoque est Horatii carmen: (a)

*Proscripti Regis Rupili pus, atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus & lippis notum, & tonsoribus
esse.*

Quo loco Acron aquilas quoque ex vulture & aquila ita appellari scribit, item canes ex venaticis & gregariis natos. Omne itaque mixtum semiferum, ut poetæ loquuntur, genus hoc nomine appellabant *πρὸς τῆς ὕβριδος*, ut arbitrator. Illud Vario huic accidit percommode, ut, qui tam multos sua lege vexarit, in quibus M. Scaurum principem civitatis, eadem ipse lege fuerit damnatus. Quod præter Valerium Cicero in Bruto scribit. *Nam cum ipse in forum venit, exercebatur*, inquit, *una lege iudicium Varia, cæteris propter bellum intermissis.* Et postea: *Jam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus excesserat: ego autem juris civilis studio multum operæ dabam Q. Scævolæ P. F.*

V A T I N I A.

P. Vatinius Tribunus Plebis fuit, C. Cæsare, M. Bibulo Coss. per quem Cæsar multa, quæ concupiverat, effecit. Exstat Ciceronis oratio in Vatinium, qui testis adversus P. Sextium fuit, in qua totus Cæsaris Consulatus exagitur. Ejus lex fuit de alternis consiliis reiiciendis, cujus legis beneficio C. Antonius Ciceronis collega exclusus esse dicitur. Quæ autem appellentur alterna consilia, non facile dixerim. Sed arbitrator ad consilia iudicum referri, ut alternos consiliarios actori & reo reiicere liceret. Namque Asconius in Verrinis scribit, cum de crimine aliquo quaereretur, cui Prætor aliquis præpositus erat; veluti repetundarum, ambitus, majestatis; sortito ex his ordinibus, quibus iudicia erant commissa, iudices educebantur: e quibus accusatori ac reo reiicere licebat, si quos iniquos putarent; rejectis iudicibus, alios in eorum locum Prætor subfortiebat. Hujus vero alternae rejectionis mentio fieri videtur in Planciana.

II. Vatinia alterius legis apud Suetonium fit mentio, qua Cæsar Galliam Cisalpinam & Illyricum accepit, deinde a Senatu Galliam Togatam.

III. Sed & rogationis Vatinia, qua coloniam Novocomum deduxit. Scribit Paterculus, in hoc Vatinio deformitatem corporis cum ingenii turpitudine decertasse, adeo ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur. Qua de re alii scripserunt.

V E C T I B U L I C I A.

Refertur hæc lex in constitutione quadam Diocletiani sub titulo de servis Reipublicæ manumittendis, (b) ejus tamen legis sententia ignoratur. Tantum enim dicitur, servum quendam secundum hanc Vectibulicam legem, cujus potestas Senatusconsulto, Juventio Celso iterum, & Neratio Marcello Coss. facto, ad provincias porrecta est, civitatem Romanam consecutum esse. Consules autem hi sub Hadriano fuerunt. Itaque ea lex antiquior fuit, qua fortasse municipiis, quæ in Italia erant, concessum fuit, ut servos publicos manumittere possent. Postea id jus ad provincias porrectum est, item ad collegia ex constitutione Divi Marci. (c) Sed & ut hereditates libertorum & extraneorum capere ex testamento, atque ab intestato, recta via, ac per fideicommissum municipes possent, Senatusconsulto Aproniano, atque aliis opus fuit, ut Ulpianus libro XLIX. ad edictum, (d) Paulus libro singulari de Senatusconsultis (e) scribunt. Dubitationem autem faciebat, quod municipia ipsa consentire non posse dicerentur, ut idem Ulpianus (f) scribit.

VELLEA, sive VELLEJA. Quærenda in Junii legibus est.

(b) L. ult. C. de serv. Reip. man.

(c) L. 1. D. de man. que ser.

(d) L. un. de liber. un.
(e) L. Omnibus. ad S. C. Treb.
(f) L. Hereditatis. C. de her. inst.

VICESIMA.

IN Manilia lege dictum est ex Livio libro VII. Cn. Manlium Consulem in castris legem tulisse de Vicesima eorum, qui manumitterentur, cujus legis patres auctores fuerunt, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum esset: modus tamen legis ferendæ a Tribuno notatus est. Hanc vicesimam fortasse Cicero libro II. ad Atticum (a) indicat: *Portorius, inquit, Italiae sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum, præter vicesimam? quæ mihi videtur una concunctura, clamore pedissequorum nostrorum esse peritura.* Tacitus tamen libro XIII. scribit, Nerone iterum & L. Pisone Coss. vectigal quintæ & vicesimæ venalium mancipiorum remissum specie magis, quam vi. Quia cum venditor pendere juberetur, in partem pretii emptoribus accrescebat.

(a) Epist.
16.

II. Lex autem Vicesima hereditatum, vel ut in Tuscis libris est, hereditatum, Augusti Imperatoris fuit, qua vicesima pars hereditatum & donationum causa mortis in ærarium deferri jubebatur, exceptis proximis cognatis, & pauperibus personis. Hæc lex lata est Æmilio Lepido, L. Arruntio Coss. ut Dion libro LV. scribit, cum ærarium ob sumptus militares esset exhaustum, neque aliud vectigalis genus melius esset excogitatum. Sed & id aliquando in usu fuisse, Augustus dicebat, in Cæsaris libris reperiri. Plinius vero in Panegyrico Trajano dicto vicesimam tolerabile quidem tributum, & facile heredibus dumtaxat extraneis; sed domesticis grave fuisse dicit. Itaque veteribus civibus Romanis, qui sanguine, gentilitate, & sacrorum societate conjuncti essent, remissa vicesima est. At hi, qui ex Latio, hoc est, ex Latinis erant, aut Latini juris, ut arbitror, aut alias beneficio principis civitatem Romanam essent consecuti, nisi cognationis jura impetrassent, vicesimam solvebant. Nerva tamen sanxit, ut quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis ad matrem pervenisset, etiam si cognationum jura non impetrassent cum civitate, ejus vicesimam ne darent. In paternis quoque bonis filio, si in ejus potestate fuisset, eadem immunitas fuit. Addidit Trajanus, idem in patre servandum, ut ex filii bonis vicesimam non solveret. Sed & ut filii, qui in potestatem non essent, immunes essent, quod Nerva exceperat. In sororis etiam bonis fratrem, in fratris sororem, avum & aviam in nepotis ac neptis, & contra, immunes esse voluit. His quoque, quibus per Latium civitas Romana patuisset, idem indulgit, omnibusque inter se cognationum jura commisit; quod a principibus impetrari solebat. Jam vero summa addita est, intra quam vicesima non solveretur, & ut qui ex his causis vicesimam deberet, nondum tamen intulisset, eam minime solveret. Ex his omnibus apparet, vicesimam magnarum hereditatum ab extraneis heredibus quibuscumque solvi, item

a novis civibus, qui non patris, matris, avi, avia, fratris, sororis, filii, filia, nepotis, neptis hereditatem consecuti essent. Hæc sunt decem personæ, quibus quinto loco bonorum possessio dabatur, ut extraneo manumissori præferrentur, ut Justinianus libro III. Institutionum (b) scribit. Apparet etiam, ut supra dictum est, ex Augusti lege, & Trajani edicto minores hereditates vicesimam non solvisse, sed & ut vicesima recte deduceretur, æstimatio fiebat hereditatis, ut Æmilius Macer scribit libro II. ad legem Vicesimam hereditatum: (c) quod non male Tribonianus ad Falcidiam retulit. Verba autem Macri, ut libro I. Emendationum diximus, ita scribenda sunt: *Computationi in alimentis faciendæ hanc formam esse, Ulpianus scribit, ut a prima ætate usque ad annum vicesimum quantitas alimentorum triginta annorum computetur, &c.* Deducebantur tamen prius, ut arbitror, funeris sumptus, de quibus idem Macer (d) scribit libro I. & Plinius (e) id significare videtur his verbis: *Carebit, inquit, onere vicesimæ parva & exilis hereditas; & si ita gratus heres volet, tota sepulchro, tota funeri serviet; nemo observator, nemo castigatorem adfistet.* Quamvis ea illo quoque referri possint, ut ad pauperis funus pertineant. Addit Paulus libro IV. sententiarum titulo de Vicesima, testamentum legem statim post mortem testatoris aperiri voluisse: ideoque a præsentibus intra triduum, aut quinque dies, ab absentibus cum supervenerint, intra totidem dies, licet sit rescriptis variatum, esse aperiendas tabulas: *Neque enim, inquit, oportet testamentum heredibus & legatariis, aut libertatibus ultra quam necessarium vectigali est, moram fieri.* Ea vero de causa D. Hadrianus, qui Trajano successit, edicto hanc totam tabularum inspectionem & in rem missionem constituit: quod edictum occasione vicesimæ introductum, quia ipsa quoque vicesima sublata esset, Justinianus abrogavit. De eadem lege M. Antoninus philosophus (f) rescripsit; item Ofilius jurisconsultus de legibus vicesimæ primus conscripsisse dicitur, qui edictum quoque primus diligenter composuit, ut Pomponius, (g) scribit, & Alciatus noster notat libro III. Disputationum. Æmilius vero Macer εἰκοσὶν libros duos conscripsit, quos ad legem Vicesimam hereditatum appellari in Digestis reperimus. Etenim præter ea, quæ antea retulimus, ex libro I. illa verba referuntur: (h) *Nulli procuratorum principis, inconsulto principe, transigere licet.* Quod ad vicesimam, quam procuratores exigebant, arbitror pertinere. Item alio loco: *Si mutus, aut surdus, ut liceret sibi testamentum facere, a principe impetraverit, valet testamentum.* Et quod libro IV. Emendationum interpretati sumus, (i) *Mille passus non a milliario urbis, sed a continentibus ædificiis numerandi sunt.* Ejus autem milliarii aurei mentionem fieri, præter ea quæ tum diximus, reperimus apud Dionem libro LIV. Namque ait, Augustum

(b) Inst. de bon. pos. §. Sunt autem. & §. Quæ autem.

(c) L. Hereditatum. al. computationi. ad l. Falc.

(d) L. Funeris. de religio.

(e) In Panegyrico.

(f) L. ult. C. de ed. D. Had. tot.

(g) L. 2. §. Ex his. de orig. jur.

(h) L. Nulli. de transf. l. Si mutus. de test.

(i) L. Mille passus. de verb. sign.

stum, M. Appulejo, P. Silio Coss. cum viarum publicarum curam sumpisset, quæ Romam ducunt; milliarium constituisse. In Zenonis quoque Græca constitutione, quæ sub titulo de ædificiis privatis (a) desideratur, & milliarii, & Capitoli in nova Roma (ita enim Bizantium est appellatum) mentio fit. Vetat enim inter columnas, quæ in publicis porticibus a milliario ad Capitolium sunt, ædificari latius pedibus sex, altius autem septem. Sed hæc aliquando plenius.

(a) L. 12. C. de ad. priv.

* Al. VI. SELLIA.

* V I S C E L L I A.

(b) L. un. C. ad l. Vis.

EXstat libro IX. Constitutionum (b) Diocletiani constitutio in hæc verba: Imperatores Diocletianus, & Maximianus AA. Baccho. *Lex Viscellia libertinæ conditionis homines persequitur, si ea, quæ ingenuorum sunt, circa honores & dignitates ausi fuerint attentare, vel Decurionatum arripere: nisi iure aureorum anulorum impetrato a principe sustineantur. Tunc enim quoad vivunt, imaginem, non statum ingenuitatis obtinent: & sine periculo ingenuorum etiam officia peragunt publica.* Additur illud, quod alio quoque loco scriptum est: (c) *Qui autem libertinus se dicit ingenuum, tam de operis civititer, quam etiam ex lege Viscellia criminaliter poterit perurgeti. In curiam autem se immiscens, damno quidem cum infamia afficitur; muneribus vero personalibus in patria patrum, quæ congruunt huiusmodi hominibus, singulos pro viribus attributos, esse non dubium est.* Meminit hujus legis Ulpianus in fragmentis tit. III. Quo vero tempore lata sit, plane ignoro: sed cum omnibus libertis jus anulorum ex Novella LXXIV. (d) ab Justiniano datum sit, non magnam habet utilitatem.

(c) L. un. C. quando in civ. actio. L. un. vi. in G. Theod.

(d) Auth. ut lib. de cæte. in fine.

V I L L I A A N N A L I S.

SEX Pompejus ait, Annariam legem dici ab antiquis eam, qua finiuntur anni Magistratus capiendi, quo nomine Lampridius utitur in Commodus, & Arnobius libro II. adversus gentes. Livius libro XL. ait, A. Postumio Albino, C. Calpurnio Pisone Coss. latum esse primum ab L. Villio Tr. Plebis, quem Julium quidam vocant, quot annos nati quemque magistratum peterent, ac caperent. Unde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur. Hinc ille Ciceronis jocus de Sexto Annali apud Quintilianum. Cum enim is testis reum læsisset, quem Cicero defendebat, & accusator instaret, ut aliquid de Sexto Annali diceret, si posset: tum Cicero versus Ennii de Sexto Annali dicere cœpit.

Qui potis ingentis causas evolvere belli?

Sed ad Annales leges revertamur. Et Cicero de his legibus Philippica V. ita scribit. Nam cum decrevisset, ut C. Cæsari Octaviano adolescenti Pontificem, pro Præatore, Sena-

tores esse liceret, ejusque rationem perinde habendam esse, ac si Quæstor proximo anno fuisset: *Quid est enim, inquit, Patres conscripti, cur eum non quamprimum amplissimos honores capere cupiamus? Legibus enim Annalibus cum grandiore ætate ad Consulatum constiruebant, adolescentiæ temeritatem verebantur.* Et postea: *Itaque majores nostri veteres illi admodum antiqui leges Annales non habebant, quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales.* Et paulo post: *Quid Macedo Alexander? cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, non ne tertio & trigesimo anno mortem obiit; quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quam Consularis?* Hæc Cicero: ex quibus intelligimus, tribus & quadraginta annis minores Consules ex his legibus fieri non potuisse. Solvebantur tamen legibus multi propter eas causas, quas Cicero refert, At postea sub Imperatoribus XX. annis minores invenimus Consules factos. Hæc enim sunt Ulpiani verba lib. II. de officio Consulibus: (e) *Sed si evenerit, ut minor viginti annis Consul sit, apud se manumittere non poterit; cum ipse sit, qui ex S. C. consilii causam examinat. Apud collegam vero causa probata, potest.* Sed & pueros Consules appellatos esse videmus Gratianum, Valentinianum minorem, & Honorium, ut in Consulibus multarum constitutionum animadvertere possumus, quæ datæ sunt, Gratiano nobili puero, & Gadalaipho Cos. aut Valentiniano Nob. P. & Victore, aut Honorio, & Evodio. M. Cicero libro II. de Oratore scribit, M. Pinarium Ruscam legem Annalem tulisse, *cujus dissuasor M. Servilius: Dic mihi, inquit, Pinari, num si contra te dixerero, mihi male dicturus es, ut cæteris fecisti? cui Rusca, ut sementem feceris, ita, inquit, metes.* Huc etiam pertinet quod ait libro III. de Legibus: *EVNDEM MAGISTRATUM, NI INTERFVERINT DECEM ANNI, NE QVIS CAPITO. AEVITATEM ANNALI LEGE SERVANTO. Ævitatem pro ætatem scripsit; ut in eisdem legibus. CENSORES POPVLI AEVITATES, SOBOLES, FAMILIAS, PECVNIASQVE CENSENTO: POPVLI PARTES IN TRIBVS DESCRIBVNTO: EXIN PECVNIA, AEVITATES, ORDINES PARTIVNTO.* Veteres enim ab ævo ævitatem, & æviternum, ut Varro ait, pro ætate, & æterno dixerunt. De annis decem Livius libro extremo VII. sic ait: *Præter hæc invenio apud quosdam, L. Genucium Tr. Pl. tulisse ad populum, ne fœnerare liceret: item aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, ne duos magistratus uno anno gereret; utique liceret, Consules ambos plebejos creari.* Appianus libro I. bellorum civilium id a Sulla Dictatore latum esse ait. Florus vero libro LVI. scribit, P. Scipionem Æmilianum hac lege solutum fuisse. Fuit autem L. Villius Annalis Tr. Plebis, qui primus hanc legem tulit P. R. C. Anno DLXXXIII.

(e) L. un. de off. Conf.

V O C O N I A.

Volumniam quidam appellant, decepti mendoso Flori libro epitome XLI. *Quintus*, inquit, *Volumnius Saxa Tr. Pl. legem tulit, ne quis heredem mulierem institueret. Suasit legem M. Cato, exstatque ejus oratio.* Idem tamen Cato apud Ciceronem, (a) *Cæpione & Philippo iterum Coss. se annos quinque & sexaginta natum Voconiam legem magna voce, bonisque lateribus suasisse refert.* Apud Gellium quoque libro XVII. (b) *Marci Catonis verba referuntur hæc, quibus, cum legem Voconiam suaderet, usus est: Principio, inquit, nobis mulier magnam dotem attulit, tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestate non commisit; eam pecuniam viro dat mutuam: postea ubi irata facta est, servum receptitium sectari, atque flagitare virum jubet.* Receptitium servum recte Gellius interpretatur, qui receptus esset cum dotem dabat, ut apud Plautum in *Trinummo*:

Posticulum hoc recipit, cum ædes vendidit.

Et apud Ciceronem libro II. de *Oratore*: *Dicit, te, cum ædes venderes, ne in rutis quidem & cæsis solum tibi paternum recepisse.* Et in *Topicis*: *Liberales venditores solent, cum ædes, fundumve vendiderint, rutis cæsis receptis; concedere tamen aliquid emptori, quod ornandi causa apte & loco positum esse videatur.* Recipere autem his locis pro excipere usurpatur. Nam eadem de re *Ulpianus* libro XXXII. ad edictum (c) ita scribit: *Si ruta & cæsa excipiantur in venditione; ea placuit esse ruta, quæ eruta sunt, ut arena; cæsa, ut arbores cæsas.* Sic *Paulus* libro IV. epitomarum *Alfeni*: (d) *Qui fundum, inquit, vendidit, pomum recipit: nuces, & ficos, & uvas dumtaxat duracinas recepta videri.* Et *Cajus* libro VIII. ad edictum provinciale: (e) *Sed & dos, inquit, quam quis in mortem mulieris a marito stipulatur, capitur sane mortis causa: cujus generis dotes receptitiae vocantur.* Quæ verba non sine mendo circumferuntur. Receptitia autem dos hoc loco dicitur, quæ data quidem est; tamen receptum fuit, ut post mortem redderetur. Receptitia quoque actio appellabatur, quæ nunc constitutæ pecuniæ dicitur, quod ab alia hujus verbi significatione descendit. Sed, ut ad *Voconiam* revertamur, eam ex *Gellio* & *Cicerone* cognoscimus a *M. Catone* majore fuisse defensam contra mulierum impotentiam; quem *Oppiæ* quoque legis acrem defensorem fuisse adversus earundem sumptus, alio loco retulimus. Et *Q. Voconii* nomen in *Corneliana* pro *Balbo* reperitur: *Tulit, inquit Cicero, apud majores nostros legem C. Furius de testamentis; tulit Q. Voconius de mulierum hereditatibus, quas Latini voluerunt, asciverunt.* Idem tamen in *Prætura urbana* eundem *C. Voconium* appellat,

nisi sit mendum: *Voconia, inquit, lex te videlicet delectabat; imitatus esses ipsum illum C. Voconium, qui lege sua hereditatem ademit nulli neque virgini, neque mulieri: sanxit in posterum, qui post eos Censores census esset* (*A. Postumium, & Q. Fulvium Censores intelligit*) *ne quis heredem virginem, neve mulierem faceret.* Queritur autem *Cicero*, *Verrem* in *Prætura urbana* edixisse, ut, qui heredem fecisset mulierem post legem *Voconiam*, secundum ejus testamenti tabulas bonorum possessio non daretur. Qua in re duo sunt, quæ reprehendit, quod census tantum lege comprehenderetur, & quod testamenta ante edictum facta edicto continerentur. Censum autem eum esse oportebat, quem pecuniosum *Asconius* interpretatur, & qui centum millia professione detulisset. Erat enim prima eorum classis, qui centum millibus æris censerentur; ut ex *Livio* & *Dionysio* in *Duodecim* scribemus. Quamobrem quod *Dion* ait libro *LVI*. *Augustum* quibusdam mulieribus concessisse, ut supra *XXV*. millia hereditatis nomine contra legem *Voconiam* capere possent; id ita interpretor, ut *XXV*. millia sestertiorum nummorum intellexerit. Quod nostram opinionem de sestertio quatuor assibus æstimando, ut libro II. *Emendationum* scripsimus, (f) confirmare videtur. Namque primæ classis census eam summam sestertiorum efficit, quam *Dion* perscribit. Sed & ex eodem *Dionis* & *Ciceronis* loco elicere possumus, ad mulieres fortasse referri, quæ de his, qui partem capere possunt, in *Digestis* inveniuntur. *Terentius Clemens* libro quarto ad legem *Juliam* & *Papiam*: (g) *Si quis solidum a lege capere non possit, & ex asse sit institutus ab eo, qui solvendo non est: Julianus ex asse eum heredem esse respondit. Legi enim locum non esse in ea hereditate, quæ solvendo non est.* Idem eodem libro: (h) *Si is, qui ex bonis testatoris solidum capere non possit, substitutus sit ab eo impuberi filio ejus, solidum ex ea causa capiet, quasi a pupillo capiat. Sed hoc ita interpretari Julianus noster videtur, ut ex bonis, quæ testatoris fuerant, amplius capere non possit.* Idem libro *XVI*. (i) *Si servus ejus, qui capere non potest, heres instituitur; & ante quam jussu domini adeat hereditatem, manumissus, alienatusve sit, & nihil in fraudem legis factum esset; ipse admittitur ad hereditatem. Sed & si partem capere possit dominus ejus, eadem dicenda sunt de parte, quam ille capere non potest. Nihil enim interest, de universo quærat quod capere non possit, an de portione.* *Ulpianus* libro IV. *fideicommissorum*: (k) *Hi, qui solidum capere non possunt, ex asse heredes instituti, & rogati restituere solidum; adire hereditatem, & restituere cogentur: cum nihil oneris apud eos remansurum sit.* Omnibus his locis, atque aliis, quæ in *Pandectis* reperiuntur, solent *Accursiani* existimare, jurisconsultos sensisse de naturalibus filiis, aut de secundis uxoribus, aut de aliis personis, quæ ex recentibus constitutionibus

(a) Cic. in Catone.

(b) Cæpiti. 6.

(c) L. Fundi. §. Si ruta. de act. empt.

(d) L. Qui fundum. de verb. sign.

(e) L. Mortis causa capitur. §. Sine donatione. de mor. cau. don. Ulpian. in fragmentis tit. 6.

(f) L. ult. C. de donat.

(g) L. Si quis solidum. de her. instit.

(h) L. Si is qui. de vul.

(i) L. Si servus ejus. de adquir. her.

(k) L. Cogi. §. Hi, qui. ad S. C. Trebell.

bus solidum non capiunt. Mihi magis placet, ut ea ad legem Voconiam referantur, quæ mulieres ex asse heredes institui a locupletibus vetabat. Idem fortasse dicendum esset de his, qui cives Romani non erant, quos heredes instituerent, ut in Junia Norbana diximus, non licebat; quod fideicommissis introducendis, ut Theophilum dixisse retulimus, occasionem dedit. Fieri etiam potest, ut ad decumam, quæ ex hereditate orbi conjugis deducebatur, pertinerent ex lege Papia, aut etiam ad vicestimam ex lege Vicefima hereditatum. Quamquam magis crediderim ad Voconiam pertinere, aut ad aliam legem, quæ fortasse Julia de maritandis ordinibus, aut Papia fuit, ut ex illorum capitum inscriptione, quæ antea retulimus, suspicamur: si modo aliquo earum legum capite prohiberetur aliquibus ex asse hereditatem consequi, aut certæ quantitatis summam ex testamento accipere. Hæc tamen, ut cætera omnia, doctorum virorum ingeniis subiicimus. Illud certum, est M. Tullii tempore, quasi tacita quædam fideicommissa in fraudem hujus legis in usu fuisse, & quod maxime ad hunc locum pertinet, libro secundo de Finibus lege Voconia certam partem filia relinqui posse significat. P. enim Sextilius Rufus ad amicos referebat se esse heredem Q. Fadio Gallo, cujus in testamento scriptum esset; se ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perveniret. Id Sextilius factum negabat, addebat etiam se in legem Voconiam juratum contra eam facere non audere, nisi aliter amicis videretur: eorum nemo censuit plus Fadia dandum, quam posset ad eam lege Voconia pervenire. Tenuitque permagnam Sextilius hereditatem. Hæc Cicero. Et paulo post: *Si te, inquit, amicus tuus moriens rogaverit, ut hereditatem reddas suæ filia, nec usquam id scripserit, ut scripsit Fadius, nec cuiquam dixerit: quid facies? tu quidem reddes, ut Sex. Peduceus, qui, cum sciret nemo eum rogatum a C. Plotio equite Romano splendido Nursino, ultro ad mulierem venit, eique nihil opinanti viri mandatum exposuit, hereditatemque reddidit.* In his autem duobus exemplis Ciceronis animadvertendum est, altero de filia, de uxore altero actum esse. Lex enim virginem, vel mulierem ab eo, qui census esset, institui heredem vetabat, ut ex Cicerone in Prætura urbana retulimus. Quamobrem huc quoque pertinet, quod Quintilianus libro IX. institutionum scribit accidisse sibi, ut ream tueretur, quæ subiecisse dicebatur marito testamentum, & dicebatur chirographum, marito expirante, heredibus dedisse; *quod verum, inquit, erat.* Nam quia per leges institui uxor non poterat heres; id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommissum pervenirent. Addit illud, quod in nostram quoque sententiam facere videtur, caput quidem quæri facile erat, si hoc diceremus palam; sed per se deperibat hereditas: *Ira ergo, inquit, fuit nobis agendum, ut iudices illud intelligerent factum, delatores non possent apprehendere, ut dictum.*

Quod ea de causa dictum est, quoniam delatores deferre solebant, quæ ad fiscum Principis pertinerent; in quibus erant, quæ tacito fideicommissis his, qui capere non poterant, relinquebantur. Callistratus libro I. de jure fisci: (a) *Varia causa sunt, inquit, ex quibus nuntiatio ad fiscum fieri solet. Aut enim se quis, quod tacite relictum est, profiteretur capere non posse, vel ab alio preventus defertur, vel quod indignus quis heres nuntiat. Papius libro VII. ad legem Juliam & Papiam: (b) Divi fratres rescripserunt, heredes eorum, quibus tacitum fideicommissum relictum est, ita demum ex beneficio Trajani deferre se posse, si is, cui datum fuerat, morte preventus esset; & alii aliis locis.*

II. Huc accedit, quod Paulus ait libro IV. sententiarum: (c) *Feminae ad hereditates legitimas ultra consanguineas (d) sorores non admittuntur, idque jure civili, id est, Voconia rogatione videtur effectum.* Cæterum lex XII. Tabularum nulla discretionem sexus cognatos admittit. Ex quibus verbis cognoscimus, ex hac lege manasse, quod Justinianus (e) non uno in loco queritur, post XII. Tabulas feminas, exceptis filiabus & sororibus consanguineis, esse novis legibus, quam mediam juris prudentiam appellat, legitima successione exclusas. Quamvis hac quoque in parte Voconia legi derogatum est Justiniani constitutione, ante quem Prætores eis subvenerant, data bonorum possessione, quæ unde proximi cognati appellatur. Quamobrem quod Gellius libro XX. scribit (f) nihil utilius fuisse plebiscito Voconio de coercendis mulierum hereditatibus, oblitteratum tamen esse, opertumque civitatis opulentia: existimo eum ad Prætorum edicta respexisse. Fieri tamen potest, ut jam tum tota lex in usu esse desierit. De qua Aurelius Augustinus libro III. de civitate Dei (g) inter secundum & tertium Punicum bellum scribit, Voconiam esse latam, ne quis heredem feminam faceret, ne unicam quidem filiam: *Qua lege quid, inquit, iniquius dici, aut cogitari possit, ignoro.* Hæc itaque iniquitas effecit, ut lex abrogaretur vel moribus, vel scriptis legibus.

III. Aliud caput est, cujus ab Justiniano mentio fit libro II. Institutionum. (h) Nam cum lege XII. Tabularum latissima potestas data esset vel totum patrimonium legatis erogare; & recusarent heredes pro nullo, aut minimo lucro hereditatem adire: lex Furia, & lex Voconia latae sunt, quarum altera, ut Theophilus scribit, certam quantitatem singula legata excedere prohibebatur; altera plus uni legatario relinquare, quam quantum apud heredes maneret, non licebat. De Furia alio loco scripsimus; Voconia eam fuisse sanctionem Cicero locuples esse testis potest in eadem illa Prætura urbana. Nam cum reprehenderet, quod Verres ad antea facta testamenta edictum porrexisset his verbis: *Si quis feminam heredem ab A. Postumio, Q. Fulvio Censoribus postvæ ea fecit, fecerit.*

(a) L. 1. de jure fisci.

(b) L. Edicto. §. Item divi eod.

(c) Tit. 8.

(d) al. successiones.

(e) L. Lege 12. Tab. C. de legit. her. Institut. de leg. adgn. suc. §. Cæterum.

(f) Cap. 1.

(g) Cap. 21.

(h) Inst. de lege Falc. in princ.

rit: nec petitionem, nec possessionem dabo. Quæ verba ad priorem partem Voconia legis pertinebant. Quod si plus, inquit, legarit, quam ad heredem, heredesve perveniat; quod per legem Voconiam, ei qui census non sit, licet: cur hoc, cum in eodem genere sit, non carves? Ex quo apparet, recte Theophilum Voconiam interpretatum fuisse, nisi quod de censo additur a Cicerone. Sed cum Falcidia lege plenius consultum sit heredibus scriptis, hac quoque in parte Voconia cessat.

LEGES

XII. TABULARUM.

Sequitur ut de duodecim Tabulis videamus. Et quoniam hæc res nuper a doctis aliquot viris satis diligenter tractata est; nisi ab eis multis de causis, neque, ut arbitror, contemnendis, longe dissentirem, ad eorum libros lectores allegarem. Sed quoniam simplicis veritatis studiosus, amatorque sum; verba legum nostris temporibus efficta, aut ex Ciceronis legibus sumpta repudiavi. Et duodecim Tabularum leges, quas nobis temporum injuria abstulerat, quantum ex veterum monumentis colligere potuimus, qua in re horum quoque doctorum virorum libris adjuti sumus; eas, inquam, leges, aut earum sententiam magna ex parte in hunc locum contulimus. Ciceronis vero leges XII. Tabularum non esse, minime dubitandum foret, nisi animadvertissem, doctissimos viros id scriptis mandasse. Adversus quos Ciceronem ipsum constituam. Cujus illud institutum fuit, ut cum sex libros de optimo genere Reipublicæ scripsisset; & animadvertisset Platonem de Republica & de legibus scripsisse, ad ejus imitationem eas leges conscriberet, quibus optimus ille Reipublicæ status uteretur. Leges autem veteribus verbis finxit, ut haberent ex ipsa verborum vetustate nonnihil majoris auctoritatis. Ita enim in libro II. scribit: *Et quoniam & locus & sermo familiaris est, legum vocem proponam. Sunt enim certa legum verba, neque ita prisca, ut in veteribus his, Sacratisque legibus, & tamen quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora, quam hic sermo est: eum morem igitur cum brevitate, si potero, consequar.* Hoc est quod optimos illos viros decepit: item illud quod post legem de religione latam scribit. Nam, cum Atticus diceret, non multum eam religionum constitutionem discrepare a legibus Numæ, & a Romanorum moribus; tum Cicero: *An censet, inquit, cum in illis de Republica libris persuadere videatur Africanus, omnium rerum publicarum nostram illam veterem fuisse optimam; non necesse esse opti-*

mæ Reipublicæ leges dare consentaneas? Quæ cum ille probasset: Ergo ad ea, inquit, expectate leges, quæ genus illud optimum Reipublicæ, contineant. Et si quæ forte a me hodie rogabuntur, quæ non sint in nostra Reipublica nec fuerint; tamen erant fere in more majorum, qui tum, ut lex, valebat. Quibus verbis ostendit Cicero se in legibus ferendis fecutum esse veteres leges omnes, quæ ab initio Urbis ad eam diem optimis Reipublicæ temporibus essent constitutæ; item majorum morem, neque de Duodecim solis fensisse. Quod vel ex eo apparet, quod de funeribus & sepulchris ipse refert se ex illis legibus sumpsisse, atque etiam de privilegiis libro tertio. Quid enim opus erat unum, atque alterum caput referre, si omnia essent ex illis legibus accepta? Jam vero quæ de Prætoribus, Ædilibus curulibus, de auro atque argento signando, de annalibus legibus, & de plerisque aliis rebus, quæ post Duodecim fuerunt, addita ea a Cicerone fuisse nemo negaverit. Quamobrem non magis ea XII. Tabularum esse credendum est, quam quæ Rivallius ingenii ostentatione usus effinxit. Cujus audaciæ Crinitus, ut opinor, occasio fuit, quem secuti aliquando fuerunt Budæus & Alciatus noster, atque alii non pauci, quorum omnium æmulari negligentiam mallem, quam aliorum obscuram diligentiam, ut Terentius ait; nisi aperitissimis, ut mihi videtur, testimoniis veritatem occultari deprehendissem. Quod si quis altera, aut utraque in re me falli cognoverit, aut etiam multo plura ex aliis libris addi posse animadverterit; ea aut nobiscum, aut cum omnibus, qui his studiis tenentur, communicet. Tantum enim abest, ut scripta nostra, jure præsertim, reprehendi moleste feramus, ut maximam a nobis gratiam inierit, qui nos aliqua in re doctiores effecerit. Sed ad XII. Tabulas veniamus, in quibus referendis Institutionum Justiniani ordinem sequar: veteresque scriptores nominatim proferam, ut in cæteris soleo, qui earum faciant mentionem. Et quoniam de his legibus dicere aggredior, prætereundum non est præclarum M. Ciceronis testimonium, qui libro I. de Oratore ita scribit: *Fremant omnes licet, dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII. Tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare.* Idem libro II. de legibus pueros Romanos discere solitos ait Duodecim, ut carmen necessarium. Quæ verba ita quidam interpretantur, ut existiment, Ciceronem significasse verbis duodecim Tabulas esse scriptas, quod ipse non probo. Neque enim arbitror tantum otii Decemviris fuisse, neque ita excoluisse veteres poesim, ut legum verbis numeros adderent. Namque, ut idem Cicero in Bruto, & libro I. Tusculanarum questionum scribit, CCCCX. anno post Romam conditam, C. Claudio Cæci F. & M. Tuditano Coss. Livius Andronicus primus fabulam do-

docuit. Gellius tamen, quem alii sequuntur, libro XVII. (a) centum annos illi numero addit, ex quo tempore constat, versus in pretio fuisse: cum tamen has leges trecentesimo tertio anno scriptas esse tradatur. Huc accedit, quod Cicero libro IV. Tusculanarum quaestionum ait. Nam, cum cuperet demonstrare, veteres vocum sonis & carminibus delectatos; legem fuisse in Duodecim refert, qua prohibebatur carmen fieri in alterius injuriam. Et enim si ipsa legum verba ita composita fuissent, fatis erat legum carmen referre. Sed & ipsum carminis verbum non semper poetarum versus significat, ut apud Livium libro I. *Horrendi carminis lex, & Tarquinii cruciatus carmina* apud Ciceronem in Rabiriana, item formulæ jurisconsultorum, pro L. Muræna, atque alia id genus apud Livium, & cæteros, qui, quæ conceptis verbis, atque compositis dicuntur, ita appellasse videntur. De Decemviris vero qui fuerint, & quo pacto cæteris magistratibus se abdicantibus constituti sint, de legatis quoque in Græciam missis, de decem tabulis, quas illinc ex Solonis & Lycurgi legibus attulerunt, de duobus tabulis adjectis ab iisdem Decemviris, altero anno, atque etiam tertio potestatem sibi ex Appii Claudii fraude usurpantibus, de ejusdem Appii libidine, quæ seditionis causam dedit, Virginiam a patre cæsa, & de Decemviris sublati Pomponius libro singulari Enchiridii, (b) Livius libro III. & Dionysius libro X. & XI. pluribus verbis nota omnibus fecerunt. Nos itaque ipsarum legum sententiam referamus.

I. Et initio de legibus ita constitutum esse animadvertimus, ut quodcumque postremum Populus Romanus jussisset, id jus, ratumque esset; ut Livius libro VII. & IX. scribit: qua lege omnium legum jubendarum auctoritas populo data est. Hinc illa Justiniani (c) definitio manat, ut lex sit, quod populus Romanus constituebat, sive Senatorio magistratu, veluti Cos. interrogante, ut ille ait; sive etiam Tribuno plebis post legem Hortensiam. Rogabatur autem plebs ac populus in eum modum, quem Cicero in oratione pro domo expressit: *VELITIS IVBEATIS, VT M. TVLLIO AQVA ET IGNIS INTERDICATVR.* Ex quo rogatio dicebatur, cum ferretur; lata lex, jussio. Sed postea lege Regia potestate in Principem translata, is solus legislator justus habetur.

II. Illud etiam in his legibus fuit, ut privilegia de capite civis Romani ne irrogarentur, nisi per maximum comitiatum. Nam, cum Cicero libro III. de legibus hanc legem protulisset: *PRIVILEGIA NE INROGANTO. DE CAPITATE CIVIS, NISI PER MAXIMUM COMITIATVM, OLLOSQVE QVOS CENSORES IN PARTIBVS POPVLI LOCASSINT, NE FERVNTO: leges,* inquit, *præclarissimæ de XII. Tabulis translatae duæ, quarum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat. Et nondum initis seditiosis Tribunis Plebis admirandum tantum majores in posterum*

Tom. I.

providisse. Quid autem privilegium sit, ita interpretatur: *In privatos homines leges ferri noluerunt, id est enim privilegium, quo quid est injustius? cum legis hæc vis sit, scitum esse & jussum in omnes.* De altera lege ita scribit: *Ferri de singulis nisi Centuriatis comitiis noluerunt. Descriptus etenim populus censu, ordinibus, ætatibus plus adhibet ad suffragium auxilii, quam fuisse in Tribus convocatus.* Hæc ille, ut ex mendoso libro elicere potuimus. Sed de privilegiis Atejus Capito apud Gellium libro X. (d) scribit, Legem esse generale jussum populi, aut plebis, rogante magistratu: quamobrem privilegia appellanda sunt, quæ de singulis civibus ferebantur, ut de Cn. Pompeii imperio, quæ lex Manilia dicitur, item de Ciceronis exilio, ac reditu. Privata autem veteres singula dicebant. Quo pacto Isidori definitio (e) libro V. Etimologiarum accipienda est. De comitiis vero idem Gellius libro XV. (f) ex libro I. Lælii Felicis ad Q. Mucium ait, eum, qui universum populum congregat, comitium habere: qui vero partem populi, consilium edicere, Calata comitia pro collegio Pontificum habebantur aut Regis sacerorum, aut Flaminum inaugurandorum causa, item sacrorum detestandorum gratia, aut testamentorum faciendorum: quod Justinianus libro II. Institutionum (g) probat. Hæc comitia aut Curiata, aut Centuriata erant. Curiata per lictorem curiatim calabantur, hoc est, vocabantur, ex omnium generibus latis suffragiis; quod Cicero fuisse in Tribus populo convocato appellat. Centuriata per Cornicinem convocabantur, atque tunc ex censu & ætate suffragium ferebant; quod ex Cicerone retulimus. Erant etiam Tributa comitia, cum ex regionibus & locis ferebatur suffragium. Centuriata autem, quæ maxima a Cicerone appellantur, intra pomeria Urbis non habebantur, sed in Campo Martio. Illud quoque ad hujus loci interpretationem pertinet, ut de Tribuum, Curiarum, Centuriarum & census significatione dicamus. Et Dionysius libro II. Antiquitatum scribit, Romulum in tres partes populum divisisse, quas ea de causa Tribus appellavit; & eis præfectos Tribunos, quod Pomponius (h) quoque significat, licet postea Tribus XXXV. fuerint, Tribuni X. Harum trium partium partes denas Curias appellavit, eisque præfectos Curiones. Hoc est, quod idem Pomponius (i) scribit, Romulum in triginta partes populum divisisse, quas Curias appellavit, propterea quod tunc Reipublicæ curam per sententias partium earum expediebat: & ita leges quasdam Curiatas ad populum tulisse. Has Curias nominibus raptarum Sabinarum appellasse, Livius ait. Addit Dionysius, Curias in Decurias esse divisas, quibus præfecti Decuriones dicebantur, quod nomen ad Senatores coloniarum & municipiorum manasse, animadverti: (k) Livius vero libro I. tantum scribit Centurias tres equitum a Romulo esse conscriptas, Ramnensium, Tatiensium, & Lucerum: quas Priscus Tarquinius

(a) Cap. ult.

(b) L. 2. §. Exactis. i. §. Et cum placuisset.

(c) Inst. de jur. nat. §. Lex.

(d) Cap. 20.

(e) C. Privilegia. dist. 3. (f) Cap. 27.

(g) Inst. de test. in princ.

(h) L. 2. §. Iisdem temporib. de orig. jur.

(i) L. 2. in princ.

(k) L. Pupillus. §. Decuriones. de verb. sig.

nus numero equitum auxit, ut mille & trecenti equites essent: eas sex centurias, quia geminatae erant, appellarunt. Servius vero Tullius ex primoribus civitatis XII. equitum Centurias fecit, quas ad sex illas priores adiecisse existimo. Pedites vero in quinque classes militiae & comitiorum causa divisit ex censu cuiusque. Is enim primus censum in hunc modum instituit, ut, qui centum millibus aëris, aut eo amplius censerentur, primae classis essent; quae LXXX. Centuriis constabat, quarum XL. seniorum, totidem juniorum fuerunt. Secunda classis LXXV. millibus censorum erat, in qua seniorum atque juniorum conscriptae Centuriae XX. Tertia quinquaginta millium aëris, totidem Centuriarum, quot classis secunda. Quarta XXV. millium, XX. quoque Centuriarum. Quinta classis Centuriarum triginta, quae XI. millibus censebatur. Una quoque Centuria adiecta est eorum, qui immunes militiae essent, quos Gellius libro XVI. (a) ait, proletarios & capite censos appellatos. Proletarii mille & D. assibus censebantur, capite censi CCCLXXV. Idem pene, quod Livius, Dionysius libro IV. scribit, nisi quod aestimationem pecuniarum ad Graecorum consuetudinem convertit. Addit illud, quod praetereundum non est, seniores appellari qui supra XLV. annum essent, reliquos juniores; item his Centuriis praefectos Centuriones appellatos, quorum usus in militia erat. Gellius tamen libro X. (b) refert, Tuberonem scripsisse, in hoc censu juniores appellari annis XVII. majores, sed minores XLVI. Equitum census quadringentorum sestertiorum fuit, quod nescio a Servio ne Tullio initium coeperit, an a Tiberio Caesare, ut Plinius libro XXXIII. significare videtur. Senatorum censum Suetonius ait DCCC. millium fuisse, sed ab Augusto ad duodecies sestertium auctum; qua de re, docte, ut semper, Budaeus in libris de aëre, & in annotationibus scribit. Ex cuius libris, & ex his, quae antea retulimus, ita interpretabimur Ciceronis verba: ut in Duodecim cautum fuisse dicamus, non licere de capite civis, nisi Centuriatis comitiis, rogari: hoc est, totius populi Romani conventu, singulis in suis Centuriis, quae censu, aetate, atque ordine separatae erant, suffragium ferentibus, non vero Curiatis comitiis, in quibus non ita separati cives censu atque aetate erant; sed, ut ex Dionysio retulimus, omnibus in Curiis, quae Tribuum portio erant, confuse suffragium ferentibus. Illud negligendum non est, quod apud Sextum Pompejum exstat, Centuriam esse a Servio Tullio Rege constitutam, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua, eaque NI QUI SCIVIT (c) appellabatur, quasi nisi quis scivit. Sciscito enim significat sententiam dicitur, ac suffragium ferre, unde plebiscita. In ea tamen neque censebatur quisquam, neque Centuriae praeficiebatur. De hac eadem XII. Tabularum lege idem Cicero scribit pro domo sua: *Vetant, inquit, leges Sacratae, vetant XII. Tabulae leges privatis hominibus irrogari: id est enim privi-*

legium; & in Sextiana: Cur, cum de capite civis (non disputo cujusmodi civis) & de bonis proscripio ferretur; cum & Sacratas legibus & XII. Tabulis sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite, nisi comitiis Centuriatis rogari, nulla vox est audita Consulium? Ad hanc legem Porcia quoque pertinere videtur, de qua alio loco scripsimus.

III. De vindiciis nunc agendum est, quas secundum libertatem dari, cum controversia esset, in XII. Tabulis scriptum erat. De quibus Pomponius [d] ita scribit: *Initium fuisse secessionis dicitur Virginius quidam, qui, cum animadvertisset Appium Claudium contra jus, quod ipse ex vetere jure in XII. Tabulis transtulerat, vindicias filiae suae a se abdixisse, & secundum eum, qui in servitutem ab eo suppositus petierat, dixisse: indignatus, quod vetustissima juris observantia in persona filiae suae defecisset, utpote cum Brutus, qui primus Romae Consul fuit, vindicias secundum libertatem dixisset in persona Vindici Vitelliorum servi, qui proditoris conjurationem indicio suo detexerat, castitatem filiae vitae quoque ejus praeservendam putavit.* Quae verba ex Livio libro III. & Dionysio libro XI. eam interpretationem recipiunt, ut Appius noluerit vindicias secundum libertatem dare, ut in Duodecim pollicitus fuerat se daturum, dum lis esset; quin potius eas secundum servitutem dedit, & a patre vindicias abdixit; & secundum eum, qui ab ipso Decemviro fuerat suppositus, ut virgine potiretur, jus dixit, legemque aiebat ita accipiendam esse, ut in his personis locum haberet, quae in alterius manu non essent. Vindiciae autem a Vindice illo, vel, ut Livius libro II. ait, a Vindicio Vitelliorum servo dictae, ut opinor, sunt. Is a Livio primus vindicta liberatus esse dicitur, fuisseque ait qui dicerent, vindictae nomen ab illo tractum, post illum observatum esse, ut, qui ita liberarentur, in civitatem accepti esse viderentur. Hinc etiam vindicandi quoque nomen tractum reor, sive quis aliquam rem asserat suam esse, sive injurias suas persequatur, atque ulciscatur. Vindiciae autem dari dicebantur, cum fas esse rem vindicare dicebatur; etsi id ad praedictum, & quasi momentum quoddam pertineret.

IV. His consequens est, quod de assiduo vindice, & proletario Cicero in Topicis, & Gellius libro XVI. (e) scribunt. Duodecim Tabularum verba sunt. ASSIDVO VINDEK ASSIDVVS ESTO. PROLETARIO CIVI QVIVIS VOLET VINDEK ESTO. Quae nos ita interpretamur, ut is qui in servitutem peteretur, si assiduus, hoc est, locuplex esset, locupletem adfertorem daret: pauper vero, quem proletarium lex appellavit, vel pauperem dare posset. *Cum lex assiduo, inquit Cicero, vindicem assiduum esse jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuplex enim assiduus, ut ait Aelius, appellatus est ab aere dando.* Sextus Pompejus assiduum eum esse

(d) L. 2.
§. Initium.
de orig. jur.

(e) Cap.
10.

(a) Cap.
10.

(b) Cap.
28.

(c) Ver. Ni
qui scivit.

esse appellatum, ait, qui suis sumptibus militaret, ab assie dando. Proletarii cum tenuissimi census essent, qua de causa militia vacabant, si quando difficillimis Reipublicæ temporibus armabantur, ut bello Tarentino apud Eutropium libro II. rerum Romanarum; arma his sumptu publico præbebantur. Initio autem Urbis constat, milites suis sumptibus militasse: namque CCCL. fere post R. C. anno stipendium milites de publico acceperunt, ut Livius libro IV. scribit: id autem erat in singulos dies asses deni, quæ veteris denarii æstimatio erat, ut Cornelius Tacitus libro I. auctor est. Itaque assidui dicebantur illi omnes, qui in quinque classibus censebantur; proletarii, qui prolis gignendæ causa, ut Eutropius ait, domi manebant; item capite censi proletariis pauperiores. Verba autem hujus legis illam etiam interpretationem recipiunt, ut locuples locupletem cognitorem, vel procuratorem faciat; pauper civis quemcumque, quod Boethius existimat. *Locuples* autem est, ut Cajus libro II. ad legem XII. Tabularum scribit, (a) *qui satis idonee habet pro magnitudine rei, quam auctor restituendam esse petit.*

(a) L. Quos nos. de verb. sign.

V. Ad servos quoque pertinet aliud caput XII. Tabularum, de quo Modestinus libro IX. Differentiarum (b) ita scribit: *Statu liberos venditari posse leges XII. Tabularum putaverunt. Duris autem conditionibus in venditione minime onerandi sunt. Statu liber autem est, ut Paulus libro V. ad Sabinum (c) definit, qui statutam & destinatam in tempus, vel conditionem libertatem habet. Lex autem XII. Tabularum emptionis verbo omnem alienationem complexa videtur; neque interest quo genere quisque dominus ejus fiat, ut Aristoteli apud Pomponium libro XVIII. (d) scriptum. Quæ verba ita mihi iuterpretanda esse videntur, ut credendum sit, in XII. esse adjectum, ut qui statu liberum emerit, conditione impleta, aut tempore, servo libertatem præstet. Quamobrem recte Mucius respondit, posse heredi solvi, secundum quem sententia dicta esset, etsi contraria sententia timeretur. Hic enim licet servum non emisset, tamen erat ex sententia dominus judicatus. Quæ res non est sine difficultate.*

(b) L. Statu liberos. de statu lib.

(c) L. I. eod.

(d) L. Statu lib. eod.

VI. Nunc ad patriam potestatem veniamus, ut de his, qui alieno juri subiecti sunt, tractatum perfecte sit. Et Dionysius libro II. Originum scribit, Decemviros in quarta tabula hanc legem scripsisse, ut parentibus in filios plena potestas vendendi, vincendi, verberandi, occidendi esset. Eamque legem a Romulo latam esse censet, propterea quod in Numæ Pompilii legibus scriptum sit, ut, si pater filio uxorem ducere permiserit, quæ ei sacrorum, & pecuniarum focia ex legibus fieret, non amplius filium vendendi jus haberet. Quamobrem existimat Dionysius, ante Numam latam esse legem de patria potestate; quippe quæ ea lege coerceatur. De venditione autem ita latam esse scribit, ut patri liceret iterum

ac tertio filii venditione pecuniam quærere. Namque si is semel, aut iterum venditus esset, & emptor eum manumisisset, in patris potestatem revertebatur. Post tertiam patris venditionem, & manumissionem emptoris, sui juris efficiebatur. Hæc est illa antiqua legis observatio, quæ, ut Justinianus ait (e), per imaginarias venditiones, & intercedentes manumissiones celebrabatur. Nam, ut Cajus & Theophilus scribunt, si quis filium emancipare vellet, eum coram quinque civibus Romanis, vel potius septem (namque duo pro libripende, & antestato, de quibus postea dicemus, adhibebantur) per æs, & libram fiduciaro patri ter vendebat, emptor vero eum bis manumittebat. Nam post tertiam venditionem, iterum fiduciarus patri naturali mancipabat, isque vindicta apud Prætorem manumittebat, ut legitimam successionem retineret. Id autem est, quod contracta fiducia manumitti dicitur apud Justinianum libro III. Institutionum (f). Nam, si id non observasset pater, extraneus ille manumissor, ut patronus ab intestato succedebat: adversus quem Prætores decem personis bonorum possessionem dabant, patri, matri, avo, aviæ tam paternis, quam maternis, filio, filiæ, nepoti, nepoti tam ex filio, quam ex filia, fratri, & sorori consanguineis, & uterinis. Sed ex Justiniani constitutione (g) neque venditionibus, neque manumissionibus opus est, neque contumeliis, atque alaphis, quæ postea venditionibus successerant, & rhapsimata a Justiniano (h) appellantur; sed aut ex Principis rescripto liberos emancipare licet, aut adito iudice apud eum de manu sua liberos dimittere. Quo pacto successionem quoque retinebant, nullius fiduciæ mentione facta. Sed hæc posterius inventa sunt. Apud veteres, quod Dionysius ait, ex lege XII. Tabularum obtinebat, præter id quod de tribus emancipationibus dicitur. Non enim in feminis, neque in nepotibus tribus venditionibus opus erat; sed, ut Theophilus & Cajus scribunt, unica venditione ac manumissione de patris, vel avi potestate exhibant. Singulæ autem filiorum emancipationes, vel eisdem, vel aliis testibus præsentibus fieri possunt, vel eodem die, vel intermisso tempore: item feriato die emancipatio hæc fieri potest, ut Paulus libro II. Sententiarum scribit. In adoptionibus quoque eorum, qui in parentum potestate essent, eadem observabantur. Ita enim Justinianus libro VIII. Constitutionum (i) scripsit: *Veteres circuitus in adoptionibus, quæ per tres emancipationes & duas manumissiones in filiis, aut per unam emancipationem in cæteris liberis fieri solebant, tollentes, censemus licere parenti sine veteri observatione, actis intervenientibus, id facere.* Ea vero adoptio, quæ eorum, qui sui juris erant, olim lege lata apud populum, postea apud Principem fiebat, adrogatio dicebatur, propterea quod & is, qui adoptabat, rogabatur, an vellet eum, quem adoptaturus esset, justum sibi

(e) Inst. quibus mod. jus. P. P. sol. §. Præterea.

(f) Inst. de leg. adgn. succ. §. ult. & de bon. pos. §. Quæ autem.

(g) L. ult. C. de emanc. liber.

(h) d. L. ult. & Nov. 81.

(i) L. ult. C. de adop.

sibi filium esse; & is, qui adoptabatur, rogabatur, an id fieri pateretur, ut Cajus libro I. Institutionum (a) scribit. Exstat rogationis formula, quæ ad hanc legem, qua de agimus, pertinet, apud Ciceronem pro domo sua: *Credo enim, inquit, quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, auctor ne esses, ut in te P. Fonteius vitæ, necisque potestatem haberet, ut in filio.* Populi autem rogationem Gellius libro V. (b) refert. Ex quibus omnibus, & ex his, quæ antea ex Dionysio retulimus, Pauli verba intelliguntur, qui libro II. ad Sabinum (c) ait, liberos, licet non sint heredes instituti, dominos tamen esse; nec obesse, quod liceret eos exheredare: nam occidere etiam eos licebat. Sed cum domini quoque in servos vitæ, necisque potestatem habuerint; ex constitutione tamen D. Antonini, (d) qui sine causa servum occiderit suum, non minus puniri jubetur, quam si alienum occiderit, ut Cajus & Justinianus scripserunt: in filio favere multo minus licet. Imperatoris tamen Constantini lege permissum est, ut propter nimiam paupertatem & egestatem filium, filiamve viduus causa parens vendere possit. Licet autem ei, qui vendidit, aut ei, qui venditus est, aut alii cuilibet ad ingenuitatem eum revocare, pretio servi reddito emptori, aut alio mancipio ejusdem æstimationis. Quamobrem mirandum est, eundem Imperatorem scripsisse, patribus, quibus jus vitæ in liberos, necisque potestas permissa est, eripere libertatem non licere, ut in Theodosii & Justiniani constitutionibus (e) reperitur, nisi velimus conjunctis hisce capitibus respondere, nihil horum esse sine maxima causa permissum. Hoc autem jus potestatis paternæ, ut Justinianus (f) existimat, proprium est civium Romanorum. *Neque enim, inquit, alii sunt homines, qui talem in liberos potestatem habeant, qualem nos habemus. In potestate autem nostra sunt liberi, quos ex justis nuptiis procreavimus, item quos filii nostri, qui sub nostra potestate sunt, procreaverint, non etiam filia. Nepotes enim ex filia in generi nostri potestate sunt, si is sui juris sit.* Patria autem potestas utilis est ad bonorum acquisitionem: qua de re nostri (g) pluribus verbis scripserunt.

VII. De nuptiis vero tantum reperio, quod in Canuleja lege dixi, in duabus illis tabulis, quas Decemviri adiecerunt, legem posuisse eos, Dionysius libro X. scripsit; ut matrimonia inter patricos & plebejos non essent, quæ lex intra decennium abrogata est, C. Canulejo Tr. Pl. auctore, ut Livius libro IV. scribit. qui ea de causa ait connubia fuisse prohibita, item majores magistratus, quoniam nemo plebejus auspicia habebat. Ad hunc locum pertinere arbitror, quod Cajus libro VI. ad legem XII. Tabularum (h) scribit: *Plebs est ceteri cives sine Senatoribus.*

VIII. Divortia in eisdem tabulis permissa fuisse, crediderim aliqua de causa. Ita enim

Cicero Philippica II. scribit: *Nolite credere, frugi factus est Antonius. Mimam illam suam suas res sibi habere iussit ex duodecim Tabulis, claves ademit, exegit.* Et, ut Cajus libro XI. ad edictum provinciale (i) ait: *In repudiis & renuntiatione comprobata sunt hæc verba: TVAS RES TIBI HABETO. Item hæc: TVAS RES TIBI AGITO.* In sponsaliorum renuntiatione, *CONDITIONE TVA NON VTOR.* Idem Cajus libro III. ad L. XII. Tabularum (k) scripsit: *Si ex lege repudium missum non sit, & idcirco mulier adhuc nupta esse videatur, tamen, si quis eam uxorem duxerit, adulter non erit.* Quod tamen ad legem Juliam de adulteriis referri potest. Sed etsi divortia essent in XII. permissa, intra DXX. annos nullum Romæ divortium factum esse, Dionysius libro II. Gellius libro XVII. (l) scripserunt. Primusque omnium Sp. Servilius, vel, ut aliis placet, Carvilius Ruga, M. Pomponio & C. Papirio; vel, ut Gellius libro IV. (m) ait, M. Atilio & P. Valerio Coss. divortium fecisse dicitur ob uxoris sterilitatem, quod jurasset apud Censores liberorum gratia se uxorem ducturum. Quæ etsi honesta causa visa est, tamen ob exemplum invidia apud P. R. non caruit. De trinoctio vero usurpandi causa in ufucapionibus dicitur.

IX. De tutelis multa exstant earum legum testimonia. Et initio Cajus libro XII. ad edictum provinciale (n) scribit: *Lege XII. Tabularum permissum est parentibus liberis suis sive masculini, sive feminini sexus, si modo in potestate sint, tutores testamento dare.* Id autem aperte existimo constitutum, quamvis Pomponius libro V. ad Q. Mucium (o) scribat: *verbis legis XII. Tabularum his, VTI LEGASSET SVAE REI, ITA IVS ESTO. latissima potestas tributa videtur & heredis instituenti, & legata & libertates dandi, tutelas quoque constituendi.* Tutela igitur testamentaria ex hoc jure descendit.

X. De legitima vero Ulpianus libro XIV. ad Sabinum (p) ita scribit: *Legitime tutela lege XII. Tabularum adgnatis delatae sunt, & consanguineis, item patronis, idest his, qui ad legitimam hereditatem admitti possunt.* De hac tamen, quæ patronis defertur, libro XXXVIII. scribit, (q) eam nominatim delatam non fuisse, sed per consequentias hereditatum, quæ ex ipsa lege patronis datae sunt. Idem Justinianus scribit libro I. Institutionum. (r) Ad hanc legem pertinere arbitror quod Paulus libro LIX. ad edictum scribit: *Cum dicitur apud veteres, ADGNATORVM GENTILIVMQVE, pro separatione accipitur: at cum dicitur, SVPER PECVNIAE, TVTELAEVE SVAE: tutor separatim sine pecunia dari non potest.* Illud sine dubio hujus legis est, quod Justinianus refert, ab intestato vocatos esse ad tutelam adgnatos. Quod ita interpretatur, non ut omnino is testamentum non fecerit, sed si quantum ad tutelas pertinet, intestatus decesserit. Sunt autem adgnati, qui per virilis sexus

(a) L. 2. de adopt.

(b) Cap. 19.

(c) L. In suis. de lib. & postum.

(d) L. Si filius. C. de patr. pot. L. 1. de his qui sui. & Inst. e. §. Sed hoc tempore. L. Ult. C. de puor. qui liberos distr.

(e) L. ult. C. de patr. pot. l. 2. de lib. cau. in C. Theod.

(f) Inst. de patr. pot.

(g) L. ult. C. de bon. que lib. Inst. per qu. per. §. 1.

(h) L. Plebs. de ver. signif.

(i) L. 2. de divor.

(k) L. Si ex lege. ad L. Jul. de adult.

(l) Cap. ult.

(m) Cap. 3.

(n) L. 1. de test. tut.

(o) L. Verbis legis. de verb. signif.

(p) L. 1. de legit. tut.

(q) L. 3. eod.

(r) Inst. de leg. adgn. tut. in princ. & de legit. patr. tut. L. Saepe. in pr. de verb. signif. Inst. de legit. adgn. tut. §. Quod autem.

sexus personas cognatione juncti sunt, veluti frater ex eodem patre natus, fratris filius, neposve ex eo, item patruus, & patrum filius, qui frater patruelis dicitur, & nepos ex eo; ut Cajus libro I. Institutionum (a) scripsit. Quamobrem recte Diocletianus & Maximianus rescripserunt, ad avunculos tutelas ex lege XII. Tabularum non deferri, sed ad patruos, nisi se excusaverint.

(a) L. Sunt autem. de legit. tut. L. 1. C. eod.

(b) Inst. de cura. §. Furiosi.

(c) L. 2. de cura. fur.

(d) L. Sæpe. eod.

(e) d. L. Sæpe. de verb. sign.

(f) Inst. de cura. §. Furiosi.

(g) L. 1. de susp. tut. Inst. eod. in princ. §. Suspectus autem. eod.

(h) Inst. de ver. divi. §. Cum in suo.

(i) L. A. deo. §. Cum in suo. de adq. rer. dom.

(k) L. 1. de tign. jun.

XI. De curatoribus vero ita Justinianus (b) scribit: *Furiosi quoque & prodigi licet majores XXV. annis sint, tamen in curatione sunt adgnatorum ex lege XII. Tabularum.* Ulpianus quoque libro I. ad Sabinum (c) scribit, lege XII. Tabularum prodigo interdici bonorum suorum administrationem. Et Cajus libro III. ad edictum provinciale (d) ait: *Sæpe ad alium e lege XII. Tabularum curatio furiosi, aut prodigi pertinet, alii Prætor administrationem dat:* scilicet cum ille legitimus inhabilis ad eam rem videatur. Hujus autem legis illa fortasse verba sunt, quæ Cicero libro II. de Inventione refert: *Si FURIOSVS EST, ADGNATORVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAQVE EIVS POTESTAS ESTO.* Quæ etiam verba libro I. ad Herennium reperiuntur, nisi quod illic *Si FURIOSVS EXISTET*, scriptum est. Supra quoque Pauli (e) verba retulimus, quæ adgnatorum, gentiliumque mentionem facerent. Addit Justinianus (f) postea Prætores, vel Præfectum urbi Romæ, præfides in provinciis solitos esse ex inquisitione curatores illis personis dare.

XII. Sciendum etiam est, quod (g) Ulpianus libro XXXV. ad edictum, & Justinianus libro I. Institutionum scribunt, suspecti tutoris crimen e lege XII. Tabularum descendere. Suspecti autem tutores removebantur, ut opinor, ex hac lege. Dolus vero malus eorum hac lege plecebatur: namque ut Justinianus scribit, suspectus remotus, siquidem ob dolum; famosus est, si ob culpam; non æque. Hoc est quod Cicero libro III. Officiorum ait, de doli mali Aquiliana definitione scribens: *Iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela XII. Tabulis & circumscriptio adolescentium lege Latoria.* Hæc ad librum I. Institutionum Justiniani pertinere animadvertimus.

XIII. Initio autem secundi libri Justinianus (h) refert, lege XII. Tabularum cautum esse, ne quis tignum alienum ædibus suis junctum eximere cogatur, sed duplum pro eo præstet per actionem, quæ vocatur de tigno juncto, ne ædificia rescindi necesse sit. Qui locus, ut pleraque alia, sumptus est ex libro II. Cæii Rerum Quotidianarum, sive Aureorum. (i) Ulpianus quoque libro XXVII. ad edictum (k) scribit: *Lex XII. Tabularum neque solvere permittit tignum furtivum ædibus, vel vineis junctum, neque vindicare: ne vel ædificia sub hoc prætextu diruantur, vel vinearum cultura turberetur. Sed in eum, qui convictus est junxisse, in duplum dat actionem;* quod Paulus quoque libro XIV. ad Sabinum ait. (l) Quod quidem verum est, nisi voluntate domini res ejus in alienum ædificium conjuncta sit: neque enim in duplum actio datur, sed dissoluto ædificio rei illius vindicatio. *Non enim credendum est* (inquit Neratius, (m) *de his Decemviros sensisse.* Tigni autem appellatione contineri Ulpianus (n) ait omnem materiam, ex qua ædificium constet, vineæque necessaria. *Unde quidam, inquit, ajunt, tegulam quoque & lapidem, & restam, cæteraque, si qua ædificiis sunt utilia: tigna enim a tegendo dicta sunt: hoc amplius & calcem, & arenam tignorum appellatione contineri. Sed & in vineis omnia vineis necessaria, ut puta perrica, & pedamenta.* Et Cajus libro XXVI. ad edictum provinciale scribit, (o) tigni appellatione in Duodecim omnè genus materiæ significari. Hanc legem, ut opinor, Cajus interpretabatur, cum libro III. ad legem XII. Tabularum (p) scripsit: *Fabros tignarios dicimus non eos dumtaxat, qui tigna dolarent, sed omnes, qui ædificarent.* Ita enim arbitror Cajum scripsisse, non ligna. Nam video in Etrusco libro *Digna* scriptum fuisse facili librarii errore. Sex quoque Pompejus scribit, hæc in XII. verba fuisse: *TIGNVM IVNCTVM AEDIBVS, VINEAVE ET CONCAPV * NE SOLVITO.*

XIV. De servitutibus illud tantum reperio, quod Cajus scribit libro VII. ad edictum provinciale: (q) *Via latitudo ex lege XII. Tabularum in porrectum octo pedes habet; in amfractum, idest, ubi flexum est, sedecim.* Cujus legis a Varrone (r) quoque mentio fit. Iter est, ut Ulpianus & Justinianus libro II. Institutionum (s) scribunt, jus eundi, ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi, unde etiam nomen est; illac enim itur. Actus est jus agendi vel jumentum, vel vehiculum, unde etiam nomen habet. Via est jus eundi, agendi, & ambulandi, a vehendo, ut Varro (t) ait, qui iter a terendo deducit, quod syllabarum quantitate proprius accedit. Itaque qui viam habet; & iter & actum habere dicitur: quod ipse quoque, qui actum habet, habere videtur: nisi quod is, qui viam habet, lapides trahere, & tigna potest, & quod Paulus libro XXI. ad edictum (u) notat, hastam rectam ferre potest, modo ne fructus lædat. At qui actum habet, nihil horum facere potest, quia neque eundi, neque agendi gratia fiant. Ad hæc omnia lex XII. Tabularum octo pedes latitudinis viæ dedit, quæ in porrectum duceretur, in nullam partem flectens. Quod si ita flecteretur, ut vehicula circumflecti oporteret, quod amfractum appellat, latitudinem duplicavit. Paulus tamen libro XV. ad Sabinum (x) scribit, posse viam constitui octo pedibus latiore, item angustiore, si tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire possit. Ad eandem legem fortasse pertinet, quod Cicero pro A. Cecinna ait: *si via sit immunita, jubet lex, qua velit, agere jumentum.* Viarum autem, ut Ulpianus

(l) L. Gemma. ad exhib.

(m) L. De eo. de don. int. vir. & uxor.

(n) d. L. r.

(o) L. Tigni. de verb. signif.

(p) L. Ferri. de verbor. sign.

(q) L. Viæ. de serv. præd. rust.

(r) lib. 6. de ling. Lat.

(s) L. 1. de serv. rust. præd. Inst. de serv. in princ.

(t) lib. 4. de ling. Lat.

(u) L. Qui sella. eod.

(x) L. Viæ. eod.

(a) L. 2.
§. Viarum.
ne quid in
loco pub.

nus libro LXVIII. ad edictum (a) scribit, quædam publicæ sunt, quædam privatæ, quædam vicinales. Publicas vias dicimus, quas Græci βασιλικὰς, nostri Prætorias, alii Consulares appellant. Privatæ sunt, quas agrarias quidam dicunt: Vicinales sunt viæ, quæ in vicis sunt, vel in vicos ducunt: quæ publicæ sunt, si non ex collatione privatorum constitutæ sint. Privatæ viæ dupliciter accipi possunt, vel hæ, quæ sunt in agris, quibus imposta est servitus, ut ad agrum alterius ducant; vel hæ, quæ ad agros ducunt, per quas omnibus commeari licet, in quas exitur de via Consulari: quas publicas esse Ulpianus existimat. Idem scribit libro XXXIII. ad Sabinum, (b) inter vicinales vias, quæ ex agris privatorum collatis factæ sunt, quarum memoria non exstat, & cæteras vias militares (ita enim Consulares appellat) hoc interesse, quod viæ militares exitum ad mare, aut in urbem, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent; vicinales aut in militares vias exitum habent, aut sine ullo exitu intermoriuntur. Militaris viæ & regia a Teophilo appellatur, quæ publica ab Justiniano (c) dicitur libro IV. Institutionum titulo de lege Aquilia; Vicinalis autem, quæ in vicos ducit, quas νότιες Græce appellat. Justiniani verba sunt hæc, quæ ex superscriptis optime intelligentur: *Item si putator, ex arbore dejecto ramo, servum tuum transeuntem occiderit: si prope viam publicam, aut vicinalem id factum est, neque proclamavit, ut casus evitari posset, culpæ reus est.* Viæ regiæ mentio fit apud Innocentium Pontificem Maximum. (d) Sed de his fatis superque dictum est.

(d) C. Quater, &
quando. I.
de accusat.

(e) Inst.
de usucap. §.
Furtivæ.

XV. Ad usucapionem veniamus. Et Justinianus scribit: (e) *Furtivæ quoque res, & quæ vi possessæ sunt, nec si longo tempore bona fide possessæ fuerint, usucapi possunt. Nam furtivarum rerum lex XII. Tabularum, & lex Atinia (ita enim scribendum est non Atilia) inhibent usucapionem, vi possessorum lex Julia & Plautia.* Idem Julianus scribit libro XLIV. Digestorum. (f) Diximus in Atinia lege, ejus legis verba a Gellio (g) relata esse. QVOD SVBREPTVM ERIT EIVS REI AETERNA AVCTORITAS ESTO. Quæ verba arbitramur ex hac lege sumpta esse. Nam, ut Macrobius libro III. Saturnaliorum scribit, accidit nonnunquam, ut exolescente metu legis antiquioris, auctoritas novæ legis quæretur, ut in ipsis, inquit, XII. Tabularum factum est, quarum ubi contemni antiquitas cœpit, eadem illa, quæ illis legibus cavebantur, in alia latiorum nomina transferunt. Quamobrem Livius de eisdem libro III. ita scribit: *Centuriatis comitiis X. Tabularum leges perlatae sunt: qui nunc quoque in hoc immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici, privati que est juris.*

(f) L.
Non solum.
in princ. de
usucap.

(g) Gell.
libro 17.
cap. 7.

XVI. Huc accedit, quod Cicero libro I. Officiorum scribit in XII. Tabulis scriptum esse, ADVERSUS HOSTEM AETERNA AVCTORI-

TAS. Quibus verbis significabatur, rem ejus, qui peregrinus esset, hoc est, hospes & alienæ civitatis, usucapi non posse; aut, ut quibusdam placet, adversus peregrinum semper vindicationi locum esse. Sed mihi illud magis probatur ex superiori interpretatione legis Atiniae. Verba autem Ciceronis sunt hæc: *Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante: Hostis enim apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.* Indicant XII. Tabulæ, AVT STATUS DIES CVM HOSTE. Itemque ADVERSUS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS. *Quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum, quicum bella geras, tam molli nomine appellare? Quamquam id nomen durius jam effecit veteritas: a peregrino enim recessit, & proprie in eo, qui contra ferret arma, remansit.* Sed & Varro (h) multa verba esse ait, quæ aliud nunc ostendant, aliud ante significarent, ut *hostis*. Nam eo verbo dicebant peregrinum, qui suis legibus uteretur: postea eum, quem tum dicebant perduellem. In Cælia lege diximus duellum veteres bellum, & perduelles hostes appellasse. Nam præter hæc testimonia poetæ nobis & comici & epici exemplo esse possunt. Et Cicero in legibus, (i) quas veteri sermone effinxit: QVIQVE AGENT, inquit, REM DVELLI, QVIQVE REM POPVLAREM, AVSPICIVM PRAEMONENTO. Et alio loco: (k) AST QVANDO DVELLVM GRAVIUS, DISCORDIAEVE CIVIVM ESCVNT, POPVLI MAGISTER ESTO. Et libro II. ex Platone AES ATQVE FERRVM, inquit, DVELLI INSTRUMENTA, NON FANI. Hanc legem fortasse, aut aliquid hujusmodi Cajus interpretabatur, cum libro II. ad legem XII. Tabularum (l) ita scribit: *Quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant, per eam adjectionem indicantes, cum quibus bellum esset.* Hinc perduellionis crimen, de quo in Cælia egimus. Hostes autem sunt, ut Ulpianus libro I. Institutionum & Pomponius libro II. ad Q. Mucium (m) scripserunt, quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipsi populo Romano; cæteri latrones, vel prædones appellantur.

(h) lib. 4.
de ling. Lat.

(i) lib. 2.

(k) lib. 3.

(l) L.
Quos nos.
de verb. signif.

(m) L.
Hostes. de
captiv. & de
verb. signif.

XVII. Ad XII. quoque Tabulas Cicero respexit, cum in Topicis ita scripsit: *Quoniam usus auctoritas fundi biennium est, sit etiam ædium. At in lege ædes non appellantur, & sunt cæterarum omnium, quarum annuus est usus: valeat æquitas, quæ paribus in causis paria iura desiderat.* Quod Boethius ita interpretatur, ut plurimarum rerum usucapio annua sit, ut, si quis eis anno fuerit usus, eas firma juris auctoritate possideat, veluti res mobiles. Fundi vero usucapio biennii temporis spatium continetur, de ædibus in lege nihil adscriptum est. Quamobrem videntur taciturnitate legis XII. Tabularum (id enim expressit) inter eas esse relictas, quarum est usus annuus. Idem Cicero pro A. Cæcinnæ:

Lex

Lex usum & auctoritatem fundi jubet esse biennium: at utimur eodem jure in aedibus, quæ in lege non appellantur. Ex quibus verbis apparet, Justinianum (a) quoque ad hanc legem tum respexisse libro II. Institutionum, cum ita scripsit, quod Theophilus significat: *Jure civili constitutum fuerat, ut, qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet eum dominum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliave justa causa acceperit, is eam rem, si mobilis erat, anno ubique uno; si immobilis, biennio in Italico solo usucaperet, ne rerum dominia in incerto essent.* Quæ tempora Justinianus (b) auxit, ut res mobiles triennio, immobiles longi temporis possessione, idest, inter præsentis decennio, inter absentes viginti annis usucapiantur. Quod vero Cicero ait fundi solum mentionem esse factam, nihil mirum est; cum Javolenus libro IV. Epistolarum (c) fundum esse definiat omne, quicquid solo continetur; & Florentinus libro VIII. Institutionum [d] eleganter scribit: *Fundi appellatione omne ædificium & omnis ager continetur; sed in usu urbana ædificia, ædes; rustica, villæ dicuntur. Locus vero sine ædificio in urbe area, rure autem ager appellatur, idemque ager cum ædificio fundus dicitur.* Ad auctoritatem vero, cujus in his legibus mentio fit, præter ea, quæ in Atinia diximus, ille Ciceronis locus pertinet, in oratione de Aruspicum responsis: *Multa sunt domus in hac urbe P. C. atque haud scio an pene cunctæ, jure optimo, sed tamen jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi: nego esse ullam domum aliam æque privato jure, atque optima lege, publico vero omni præcipuo, & humano, & divino jure munitam.* Quo loco possidendi cautæ enumeratæ sunt, quibus quis dominus efficitur. Sic Horatius libro II. Epistolarum: (e)

*Si proprium est quod quis libra mercatur
& ere,
Quædam, si credis consultis, mancipat usus;
Qui te pascit ager, tuus est. . . .*

Nam quod Cicero mancipium & nexum, id Flaccus libra & ære mercari appellat, qua de re Boethius in Topicis eleganter tractat, & nos paulo post in Venditionibus scribemus. Usus autem capionem, & pignoris capionem veteres dicebant, quasi pignoris, atque usus capionem, ut Gellius libro VII. (f) scribit, deinde usucapi dictum est.

XVIII. Ad hoc autem jus pertinet, quod idem Boethius ait, tribus modis uxorem haberi, coemptione, usu, & confarreatione. Coemptione uxor materfamilias fiebat, & in manum viri conveniebat, quibusdam mutuis venditionibus. Namque, ut Nonius (g) ait, nubentes tres asses ad maritum adferebant, unum marito emendi causâ dabant, alterum in foco, tertium in compito vicinali mittebant. Confarreatio vetus quædam erat matrimonii con-

trahendi observatio, de qua Dionysius libro II. Antiquitatum, & Tacitus libro IV. Historiarum scripserunt: Usu uxor fiebat, cum cæteris omiſſis uxoris loco ea vir utebatur anno. Quod si trinocitio a viro eo anno abſuiſſet, ex lege XII. Tabularum uſurpata fuiſſe dicebatur: hoc eſt, interrupta præſcriptio erat. Nam, ut Paulus libro LIV. ad ediſtum [h] ſcribit: *Uſurpatio eſt uſucapionis interruptio. Oratores autem uſurpationem frequentem uſum vocant.* Quamobrem ita interpretanda ſunt, quæ Gellius libro III. (i) Noctium, Macrobius libro I. Saturnaliorum (k) ſcribunt. Quorum verba ſunt hæc: *Quintum quoque Mucium jurisconſultum dicere ſolitum, legi, non eſſe uſurpatam mulierem, quæ cum kalendis Januariis apud virum matrimonii cauſa eſſe cœpiſſet, ante diem IV. kalendas Januarias ſequentes uſurpatum iſſet. Non enim poſſe impleri trinocitium, quod abeſſe a viro uſurpandi cauſa ex XII. Tabulis deberet: quoniam tertiæ noctis poſteriores ſex horæ alterius anni eſſent, qui inciperet ex kalendis.* Nam dies more Romano a media nocte incipit, & ſequentis noctis media parte finitur, & duabus dimidiatis noctibus & luce media conſtat, ut Paulus libro XIII. ad Sabinum (l) notat, quod Gellius multis argumentis probat; qua de re a nobis quoque libro IV. Emendationum & Opinionum ſcriptum eſt. Qua de cauſa quæ uxor quarto kalendas Januarias diſceſſit, non dicitur interrupſiſſe præſcriptionem, ad quam tres noctes eam abeſſe oportebat: quippe quæ ejus diei non totam noctem abſuiſſet, ſed dimidiatam, niſi pridie ejus diei ante ſextam horam noctis diſceſſiſſet. Sex autem noctis horæ, quæ ante kalendas Januarias conſequebantur, ad alterum annum pertinebant; nam Ulpianus quoque libro XI. ad ediſtum (m) ſcribit: *In uſucapionibus non a momento ad momentum, ſed totum poſtremum diem computamus. Ideoque ait (n) libro XXVII. Qui hora ſexta diei kalendarum Januariatum poſſidere cœperit, hora ſexta noctis pridie kalendas implet uſucapionem.* Quæ etiam ratio eſt, ut eam uxorem uſu captam eſſe dicamus, etſi vere tres noctes abſuerit. Quæ res non eſt ſine difficultate. Excipere tamen videtur Cicero in oratione pro L. Flacco, ut uxor, quæ uſu in mariti manum conveniſſet, tutorum auctoritate id faceret. Verba ejus, quoniam ad hanc rem attinent, infra ſcribam. Nam, cum quereretur Sextilius, Flaccum uxoris Valeriæ, quæ teſtata mortua erat, hereditatem conſecutum; propterea quod ei in manum conſequeretur: *Nunc audio, inquit Cicero, ſed quæro, utrum uſu, an coemptione? Uſu non potuit; nihil enim poteſt de tutela legitima ſine omnium tutorum auctoritate deminui. Coemptione? omnibus ergo tutoribus auctoribus, in quibus certe Flaccum fuiſſe non dices.* Apud Arnobium libro IV. adverſus gentes ita ſcribendum eſt: *Uxores enim dii habent, atque in conjugalibus fœdera conditionibus veniunt ante*

(a) *Inſt. de uſucap. in princ.*

(b) *L. un. C. de uſuc. transf.*

(c) *L. Quæſtio. de verb. ſignif.*

(d) *L. Fundi. eod.*

(e) *Epist. ult.*

(f) *Cap. 10.*

(g) *De Doct. in dagine.*

(h) *L. 2. de uſucap.*

(i) *Cap. 2.*

(k) *Cap. 3.*

(l) *L. Mc-re Rom. de feriis.*

(m) *L. In uſucapionibus.*
(n) *Ideoque. eod.*

ante quaesitis? Usu, farre, an coemptione generalis lectuli sacramenta conducunt? Habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas? De hac in manum conventionem, existimant quidam, Papinianum locutum libro XI. Responsorum [a]. Sed tamen in Florentino libro ita scribitur: *Mulier ab eo, in cuius matrimonium conveniebat, stipulata fuerat ducenta, si concubinae tempore matrimonii consuetudinem repetisset.* Cicero tamen in Topicis non uno in loco ea de re agit: *Si ita Fabia, inquit, pecunia legata est a viro, (b) si ei materfamilias esset, si ea in manum viri non convenerat, nihil debetur. Genus enim est uxor: ejus duae formae, una matrumfamilias; haec sunt, quae in manum convenerunt; altera earum, quae tantummodo uxores habentur.* Alter locus est, qui ad orationem pro Flacco pertinet; ita enim scribit: *Cum mulier viro in manum convenit; omnia, quae mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine.* Manum autem non dubito hoc loco potestatem significare: nam, ut Gellius libro IV. (c) & XVIII. ait, uxores in manu, mancipioque viri erant: atque ea de causa suspicor auctoritate tutorum opus esse; quoniam, ut Cicero pro L. Murana scribit, mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt: & quod addit, invenisse jurisconsultos genera tutorum, quae potestate mulierum continerentur, nescio an ad eisdem ipsos maritos pertineat; qui, ut antea dictum est, ab uxoribus emebantur, quod Virgilius illo versu (d) significare voluit:

Teque sibi generum Thetis emat omnibus undis.

quod Nonius (e) notat. Sed magis placet, ut eos tutores significet, qui arbitrato mulierum negotia gererent. In eadem oratione scriptum est, veteres, omnes mulieres, quae coemptionem facerent, Cajas appellasse, quod ad Cajam Caeciliam recte quidam referunt. Illud etiam notandum est, uxores, quae in manum convenirent, capite deminui; quod Boethius tradit, cum Tulliana verba haec interpretaretur: *Si ea mulier testamentum fecit, quae se capite nunquam deminuit, non videtur ex edicto Praetoris secundum eas tabulas possessio dari:* quod propter perpetuam tutelam evenire, idem Severinus scribit. Neque mirum est, coemptione uxores capite minui, cum idem contingat emancipatis liberis, & adoptatis, qui eodem pacto per aes & libram venduntur. Ad has uxorum differentias Ulpianus libro II. de adulteriis (f) respexisse visus est: *Plane, inquit, sive iusta uxor fuit, sive iniusta, accusationem instituere vir poterit. Nam & Sex. Caecilius ait: Haec lex ad omnia matrimonia pertinet, & illud Homericum adfert: Nec enim soli, inquit, Atidae uxores suas amant.* Et quoniam dictum est, matresfamilias esse, quae in manum viri coemptione conve-

nerint; ceteras uxores tantum esse: Gellius libro XVIII. (g) scribit inter matronam & matremfamilias id interesse, quod matrona ea proprie est, quae in matrimonium convenit, etiam si liberos non habeat, dicta a matris nomine non adepto; materfamilias ea solum est, quae in mariti manu, mancipioque est, aut in ejus, in cuius manu, mancipioque vir esset: quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, & in sui heredis locum venisset. Sex. Pompejus (h) ait, non ante uxores matresfamilias dici, quam viri earum patresfamilias dicantur, neque viduas, neque eas, quae sine filiis essent, eo nomine appellari. Matronas (i) eas esse, quibus stolas habendi jus erat. Hic fortasse matrimonialis habitus appellatur ab Ulpiano libro LXXVII. ad edictum. (k) In nostro autem jure matresfamilias appellantur, quae sui juris sunt, item honestae vitae mulieres. Ulpianus libro I. Institutionum: (l) *Patresfamilias appellantur, qui sunt suae potestatis, sive puberes, sive impuberes, simili modo matresfamilias.* Idem libro XLVI. ad edictum: (m) *Patresfamilias mortuo, singuli singulas familias incipiunt habere.* Idem libro LIX. [n] *Neque nuptiae, neque natales faciunt matresfamilias, sed boni mores.* Et libro LXXI. [o] *Donec res judicetur, feminam, praetextatum, eumque, qui proxime praetextati aetatem accedet, interim apud matremfamilias deponi Praetor jubet.* Cum audis, inquit, *matremfamilias, accipe nota auctoritatis feminam.* Sic etiam intelligendum est quod Justinianus (p) scribit, injuriam committi, si quis matremfamilias, aut praetextatum, praetextatarumque adfectatus fuerit. Sed, ut ad ufucapionem revertamur, ita existimamus legem XII. Tabularum apud Gellium esse intelligendam, ut interrupta dicatur ufucapio, qua uxor in mariti manum conveniebat, si trinoctium intra eum annum uxor abfuerit.

XIX. Alia lex vestibulum sepulchri, bustumve ufucapi vetat; ut Cicero libro II. de legibus refert, quod nos postea, cum de sepulchris agemus, tractabimus.

XX. Nunc de quinque pedibus videamus, de quibus magna controversia est juris interpretibus recentioribus. Et mihi Alciati praetoris opinio placet, ut lege XII. Tabularum ufucapio inter quinque pedes non fuerit, sed quaestio de finibus, in qua ex lege Manilia singuli arbitri regundis finibus darentur; ut Cicero libro I. de legibus [q] scribit, et si vulgares libri mendosi circumferantur; quod etiam Isidori libro V. accidisse arbitrator, in quo, ut existimo, ita scribendum est: *Finium regundorum actio dicta eo, quod per eam regantur fines utrique ne dissipentur, dummodo angustiore quinque pedum loco ea controversia sit.* Exstat hodie Constantini Imperatoris constitutio post Theodosianum Codicem collocata, cujus verba sunt haec: *Si finalis controversia fuerit, tunc demum arbiter non negetur, cum intra quinque pedes locum, de quo agitur, apud*

(a) L. Ex ea parte. §. 1. de ver. obl.

(b) Al. ea si uxor materfam.

(c) Cap. 6.

(d) Georg. lib. 1.

(e) Nonius ubi supra.

(f) L. Si uxor. de adult.

(g) Cap. 6.

(h) Verb. Materfamilias.

(i) Ver. Matrona.

(k) L. Item apud Labeonem. §. Si quis virgines. de injur.

(l) L. Nam civium. de his qui sui.

(m) L. Pronuntiatio. §. Familias. de verb. sign.

(n) L. Pronuntiatum. §. 1. eod.

(o) L. 3. in fine de liberis exhib.

(p) Instit. de injur. §. 1.

(q) Cap. 25.

apud Præsidentem esse constiterit: cum de maiore spatio causa quaedam non finalis, sed proprietatis est, apud ipsum Præsidentem debeat terminari. Item Theodosii, Arcadii & Honorii ad Rufum P. P. cujus portio ab Justiniano libro III. Constitutionum (a) refertur. Tota autem lex ita scripta fuit: *Cunctis motionibus & machinis amputatis, finalibus iurgiis omnem modum, quem præscribimus, ac de eo tantum spatio, hoc est, pedum quinque qui veteri iure præscripti sunt, sine observatione temporis arbitros iussimus iudicare. Quod si loca in controversiam veniant, solemniter iudicare cognoscas.* Et Julius Frontinus, quem alii Nypsum appellant, ita scribit: *Secundum legem Manilianam de finibus controversia est, cum de ea latitudine agitur; de loco autem, cum excedit quinque pedes.* Aggenus Urbicus id ita interpretatur, ut de fine controversiam quinque, aut sex pedum latitudine præscribat. Quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedens occupat, vel circumactus aratri; idque usufructuari non posse ait. Iter autem, quod usu biennii capitur, non id est, quo quis ad culturas pervenit. Hæc sunt quæ de his rebus a veteribus scripta reperiuntur, quæ recte ad interpretationem constitutionis Valentiniani, Theodosii & Arcadii (b) referuntur, cujus verba sunt hæc: *Quinque pedum præscriptione submota, finalis iurgii, vel locorum libera peragatur intentio; ut, si de finibus controversia sit, nemo possit de eo solo, quod intra quinque pedes sit, præscriptionem opponere; quippe cum id usufructuari nequeat.* Verba autem Ciceronis (c) sunt hæc: *Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia, controversia est nata de finibus; in qua quoniam usufructuam XII. Tabularum inter quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem Academicæ ab hoc acuto homine non sinemus; nec Manilia lege singuli, sed ex his tres arbitri fines regemus.* Quibus verbis illud significare voluit, Stoicos a veteribus Academicis verbis, non rebus distare; quod idem pluribus verbis libro IV. de finibus disputat. Itaque inter eos contentio parva de re esse videtur, quasi de finibus, quos ex lege Manilia, & illa veteri XII. Tabularum intra quinque pedes, quod usufructuari nequit, constitutos animadvertimus: *Hanc igitur controversiam nos tres, inquit, arbitri finium regundorum acutum illum hominem (Zenonem autem significat) depascere Academicæ possessionem non sinemus.* Tres autem, quos arbitros esse vult, se, & Quintum fratrem, & Pomponium Atticum, quos colloquentes inducit, significavit. Similis locus est, etsi sententia contrarius, in Lucullo, qui Academicus inscribitur. *Nam aut Stoicus constituatur, inquit, sapiens, aut veteris Academicæ: utrumque non potest. Est enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione contentio.* Hanc legem fortasse Cælius interpretabatur, cum libro IV. ad legem XII. Tabularum (d) ita scribit: *Sciendum est in actione finium regundorum illud observandum esse, quod ad exemplum quo-*

dammodo eius legis scriptum est, quam Athenis Solonem dicitur tulisse. Tota deinde lex Græce conscripta est, quæ a Plutarcho etiam in Solonis vita refertur. *Ut si quis sepem suo prædio addiderit, fines non excedat; si maceriam, aut parietem ædificaverit, pedem relinquat vicino; si domum, pedes duos; qui sepulchrum, aut fossam foderit, quantum ea alta erit, tantum spatii liberum relinquat; putei causa pedes sex; oleæ, aut ficus gratia novem pedes, ob cæteras arbores quinque.* Ita enim in Tusco libro est, non duos; in quo Crinitus deceptus non est. Sed tamen, quod idem ait, ad hosce quinque pedes Valentiniani constitutionem pertinere, merito a præceptore nostro reprehenditur. Longe enim separatum est, quinque pedes radicibus arborum relinquere, & ut five arbor, five lapis, in confinio sit, jubere, ut, quod ex alieno intra quinque pedes sit, numquam usufructuari possit, sed de his controversia de finibus quocumque tempore moveri possit. Illud non negaverim fieri potuisse, ut aliqua de causa, cum de altera re ageretur, hanc alteram Cælius illi ad finem retulerit. Sed de his hæc tamen. Ad fine est huic loco, quod Volusius Mæcianus libro singulari de assè scribit, festertium dictum esse quasi femissim tertium, qui duobus assibus olim & femisse aestimabatur, ut apud Græcos ἑβδομον ἡμιτάλαντον sex talenta & femitalentum dicitur. *Lex etiam XII. Tabularum argumento, inquit, est, in qua duo pedes & semis, festertius pes vocatur.* Ita enim hæc scribenda esse, libro II. Emendationum scripsimus. Hæc autem verba XII. Tabularum ex Sex. Pompejo (e) ita interpretor, ut de ambitu ædium accipiantur, qui duorum pedum & femipedis latitudine erat inter ædificia vicinorum ad circummeundum relictus, unde ambitus appellatur. Varro quoque (f) scribit, XII. Tabularum interpretes ambitum parietis, circuitum esse dixisse. Eisdem legibus fortasse prohibebatur parietes in communi loco crassiores sesquipedem fieri, ut Vitruvius libro II. (g) Plinius libro XXXV. (h) scribunt.

XXI. Ad testamentorum jura veniendum est, qui locus est in nostris libris non levi manu tractatus. Et principio Plutarchus in Solonis vita scribit. Cum Athenis olim non liceret hereditates extra familiam testamento relinquere, atque adeo nulla jura testandi essent: is tulit, ut ei, qui liberos non haberet, liceret heredem extraneum facere, modo id nullo coactus malo, nullisque blanditiis, sed sanus atque valens sponte sua ita disponderet. Eum secuti, ut opinor, Decemviri sunt, qui ita in Duodecim scripserunt: *VTI LEGASSIT SVAE REI ITA IVS ESTO.* Quibus verbis, ut Pomponius scribit libro V. ad Q. Mucium, (i) latissima potestas tributa videtur & heredis instituendi, & legata & libertates dandi, tutelæ quoque constituendi. Sed id interpretatione coangustatum est, vel legum, vel auctoritate jura constituentium. Justinianus quoque libro II. Institutionum (k) lege XII. Tabularum liberam fuisse

(a) L. ult. C. fin. reg.

(b) L. Quinque pedum. C. eo.

(c) Lib. 5. de legib.

(d) L. ult. D. fin. reg.

(e) L. ult. D. fin. reg.

(e) Ver. Ambitus.

(f) Lib. 4. de ling. Lat.

(g) Cap. 8.

(h) Cap. 14.

(i) L. Verbis legis. de verb. sign.

(k) Inst. de lege Falcid. in princ.

se legandi potestatem ait, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare; ita enim in ea cautum erat, VTI QVISQVE LEGASSET SVAE REI ITA IVS ESTO. Quod deinde lege Furia, & Voconia, & Falcidia coangustatum est. Sed & in Novella XXII. (a) eadem verba paululum immutata refert in hunc modum: VTI LEGASSET QVISQVE DE SVA RE, ITA IVS ESTO. Quæ ita interpretari videtur Græce: Νομοθετέω μὲν γὰρ ἕκαστος ἐπὶ τοῖς ἑαυτῶτα εἰκότα, καὶ ἔσω νόμος ἢ τῆς βουλῆς. Quæ ita vulgo usurpari solent: Disponat testator de rebus suis, & erit lex, pro quibus melius legis vetustissimæ verba usurparent. Theophilus tamen ita eandem legem interpretatur: Ὡς ἀνὰ ληγατεύσει καὶ διατυπώσει τις ἐπὶ τῇ οἰκείᾳ περιουσίᾳ, τῶτο νόμος ἔσω. In utriusque interpretatione illud animadvertendum puto, νόμον pro jure scriptum esse, quod aliis quoque locis usurpatum scio. Ad hanc legem Ulpianus respexit, opinor, libro II. ad Legem Juliam & Papiam: (b) *Lege, inquit, obvenire hereditatem non improprie quis dixerit, & eam, quæ ex testamento defertur; quia lege XII. Tabularum testamentariae hereditates confirmantur.* Et Cicero libro II. de Inventione: Lex est: PATERFAMILIAS VTI SVPERFAMILIA PECVNIAQVE SVA LEGAVERIT, ITA IVS ESTO. Quæ etiam verba libro I. ad Herennium referuntur. Eodem fortasse pertinet, quod libro I. de Oratore idem Cicero ait de eo milite, qui testamento præteritus erat: *Tu si causam ageres militis, patrem ejus, ut soles, dicendo a mortuis excitasses, fletisque filium Centumviris commendasset, ut totum illud, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, non in XII. Tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum videretur.*

XXII. Addit Cajus libro VII. ad edictum provinciale (c) familiæ eriscundæ actionem ex lege XII. Tabularum proficisci, ut coheredibus volentibus a communione discedere, ea actione res hereditariæ distribuerentur. Gordianus tamen Pomponio rescripsit, (d) quæ in nominibus sunt, non recipere divisionem, cum ipso jure in portiones ex lege XII. Tabularum divisa sint. Diocletianus quoque & Maximianus (e) rescripserunt evidentissime duodecim Tabulas facere heredes obnoxios hereditariis creditoribus. Idem rescripserunt (f) non posse pacto successorum debitoris unum eorum in solidum obligari; quoniam lege XII. Tabularum æs alienum hereditarium pro portionibus singulos heredes creditoribus obliget, ipsoque jure inter eos divisum sit. Paulus vero libro XXIII. ad edictum (g) scribit, eam stipulationem, qua singuli heredes in solidum habent actionem, veluti si is, qui viam, iter, actum stipulatus erat, decesserit, per hanc legem non dividi. Sed si pecunia promissa sit a testatore, (h) adjecta pœna, si non solverit; hæc obligatio per legem XII. Tabularum dividitur. Hæc ad extraneos heredes solent pertinere.

XXIII. De suis & necessariis Justinianus [i] scribit: *Sui autem & necessarii heredes sunt veluti filius, filia, nepos, neptis ex filio, & deinceps ceteri, qui in potestate morientis fuerint, modo non nepotis pater in potestate sit.* Sui autem heredes ideo appellantur, quia domestici heredes sunt, & vivo quoque patre, quodammodo domini existimantur. Necessarii, quia omnino, sive velint, sive nolint, tam ab intestato, quam ex testamento ex lege XII. Tabularum heredes fiunt. Prætores tamen eis hereditate abstinere permisissent. Ex his apparet, Solonis legem Decemviros esse secutos, ut liberis deberetur hereditas, ceteris lucro esset. Quamobrem Paulus libro II. ad Sabinum [k] scribit: *In suis heredibus evidentius apparet continuationem eo rem perducere, ut nulla videatur hereditas fuisse; quasi olim hi domini essent, qui etiam vivo patre quodammodo domini existimantur. Itaque post mortem patris non hereditatem, inquit, percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur.* Hac ex causa licet non sint heredes instituti, domini sunt. Hæc ille: quibus consentanea sunt, quæ libro singulari de portionibus, quæ liberis damnatorum conceduntur, scribit. (l) Ad hanc vero legem fortasse pertinet quod Cajus libro VI. ad edictum provinciale, & Ulpianus libro XV. ad edictum [m] scripserunt, licet ea Justinianus libro V. Digestorum non satis apte conjunxerit. Hæc enim sunt Caii verba in Florentino libro: *Hereditas ad nos pertinet aut veteri jure, aut novo. Veteri e lege XII. Tabularum, vel ex testamento, quod jure factum est.* Ulpiani hæc: *Sive suo nomine, sive per se, sive per alios effecti sumus.* Deinde Caii verba adscribuntur, quibus exempla duo addit, quibus per alios heredes efficiamur; cæteraque verba, quæ principio referebantur, sequuntur: *Vel ab intestato forte quod sui heredes, &c.* Ego vero existimo, Ulpianum tres casus testamentariæ successionis ex lege XII. Tabularum conscripsisse: sive quis suo nomine [hoc autem ad sui heredis jus pertinere arbitror] sive per se, cum extraneus institutus est; sive per alios, servos puta, aut filios, heres effectus esset. Mendum tamen in illis verbis inesse non dubitaverim. Suorum mentionem fieri in Duodecim, ex Callistrati verbis constat libro II. Quæstionum: (n) *Liberorum, inquit, appellatione nepotes, & pronepotes, cæterique, qui ex his descendunt, continentur. Hos enim omnes suorum appellatione lex XII. Tabularum comprehendit.*

XXIV. Suos autem ab intestato primos ex eadem lege vocari, Justinianus scribit libro III. Institutionum [o] & Cajus libro VI. ad edictum provinciale [p] ait, ex lege XII. Tabularum ab intestato ad nos hereditatem pertinere, forte quod sui heredes defuncto sumus, vel adgnati, vel ex aliis causis, quæ illic referuntur. Suos autem Justinianus appellat, ut supra dictum est, eos, qui in potestate defuncti erant, nunc vero sui juris sunt, in quibus ado-

(a) *Auth. de nup. §. Disponat.*

(b) *L. Lege obvenire. de verb. sign.*

(c) *L. I. Fam. erisc.*

(d) *L. Ea quæ. C. eo.*

(e) *L. ult. C. de action. hered.*

(f) *L. Pacto successor. C. de pact.*

(g) *L. Heredes. §. An ea. fam. erisc.*

[h] *ead. l. §. Idem juris.*

(i) *Inst. de her. qua. §. 1.*

(k) *L. In suis. de liber. & post.*

(l) *L. ult. de bon. dam.*

(m) *L. I. & 2. de her. petition.*

(n) *L. Liberorum. de verb. sig.*

[o] *Inst. de her. que ab intest. §. 1.*

(p) *L. I. & 3. de her. per.*

(a) §. E-mancipati. de her. que ab int.

(b) §. ult. eod.

(c) L. 3. G. de suis. & legit.

(d) L. 4. eod.

(e) §. Postumi. de her. que ab jur.

(f) L. Intestato. §. ult. de suis & legit.

(g) §. ult. e. l.

(h) Cap. 16.

(i) Au- th. de restit. & ea que parit.

(k) Virg. Eclog. 4.

(l) Lib. 1. Fall.

(m) L. Gallus. in princ. de lib. & post.

(n) L. ult. C. de post. hered. Tit. 8.

(o) C. Non observetis. 26. q. 7.

adoptivi numerantur. Emancipati [a] sui heredes non sunt, quoniam in potestate parentis esse desierunt, qua de causa nullo jure ex Duodecim vocantur; Prætor tamen eis bonorum possessionem [unde liberi] præstitit, ut Justinianus [b] scribit. Nepotes vero tum lex XII. Tabularum vocat, cum filio mortuo, aut alio pacto e medio sublato, is in potestate reperitur. Succedit autem cum filiis nepos hujusmodi, quod evidenter in Duodecim caveri Diocletianus Frontoni rescriptit: [c] Idem Marcellæ rescriptit, (d) postumum suum potiorum sorore consanguinea esse ex ordine legis XII. Tabularum. Qua de causa Justinianus [e] scribit: *Postumi quoque, qui, si vivo parente nati essent, in potestate eius futuri forent, sui heredes sunt.* Et Ulpianus libro XIV. ad Sabinum: [f] *Utique & ex lege XII. Tabularum ad legitimam hereditatem is, qui in utero fuit, admittitur, si fuerit editus. Inde solet remorari insequentibus sibi adgnatos, quibus præfertur, si fuerit editus.* Addit Ulpianus, [g] quod propter eandem legem addi existimo: *Post decem menses mortis natus non admittitur ad legitimam hereditatem.* Namque Gellius libro III. [h] scribit, Decemviros in decimo mense gigni hominem, non in undecimo scripsisse, etsi is exempla tradat mensis undecimi partus, quem Justinianus Novella XXXIX. [i] detestatur. Decimus mensis a veteribus frequentior esse ad partum credebatur: inde illud ortum est:

Matri longa decem tulerunt fastidia menses. [k]

Sed & Ovidius [l] de anno Romuli mensium decem:

Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,

Hoc anno statuit temporis esse satis.

Hinc in Aquiliana formula apud Scævolum libro VI. Quæstionum: [m] *Si filius meus, vivo me, morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos, sive qua neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moveretur, natus nata erit; heredes sunt.* Et in Justiniani constitutione libro VI. Constitutionum: [n] *Si filius vel filia intra decem mensium spatium post mortem meam editi fuerint, heredes sunt.* Paulus autem libro IV. Sententiarum ita scribit: *Septimo mense natus matri prodest, ad jus liberorum. Ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, ut aut septimo pleno, aut decimo mense partus maturior videatur.* Quod etiam Alexander Aphrodisiensis, sive quis alius, in problematibus scribit. De eisdem numeris mentio fit a Cicerone libro III. de Natura Deorum, & a Macrobio in somnio Scipionis, & ab Aurelio Augustino apud Gratianum (o). De septimo autem mense Hippocrates in libro de se-

ptimestri & octimestri partu scribit CLXXXII. die partum legitimum nasci posse, quod Ulpianus (p) refert. Et Paulus libro XIX. Responsorum [q] scribit, septimo mense nasci perfectum partum, receptum esse propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis. Scribit Herodotus libro VI. Aristonem Lacedæmoniorum Regem, cum ei nuntiatum esset ante decem menses exactos, quam uxorem duxerat, eam filium peperisse, jurasse apud Ephoros non esse suum. Id cum filio Demarato Regi postea nocuisset; matrem dixisse, ait, Aristonem stulte fecisse. Neque enim semper mulieres decimo mense partum edere, sed & septimo, quod tum ei evenerat, & nono. Sed nos ad legitimam hereditatem revertamur.

XXV. Si nemo suus heres, vel eorum, quos inter suos heredes Prætores, vel constitutiones vocant, existat, qui successionem quomodo amplectatur; Justinianus ait, ex lege XII. Tabularum (r) ad adgnatum proximum pertinere hæreditatem. Quis autem adgnatus sit, in tutelis diximus. M. Cicero libro II. de Inventione: *Lex est, inquit: Si paterfamilias intestato moritur, familia, pecuniaque ejus adgnatorum, gentilibumque esto.* Hæc autem verba in Duodecim non fuisse arbitror, sed illa, quæ Ulpianus refert libro XLVI. ad edictum: (s) *Familia, inquit, appellatio in res & in personas deducitur. In res, ut puta in lege XII. Tabularum his verbis: ADGNATIVUS PROXIMUS FAMILIAM HABETO. Vocantur (t) autem omnes ex hac lege, & si decimo gradu proximus ille adgnatus sit, admittitur; quod non ita est in cognatis, quos Prætores vocant; qui septimo gradu circumscribuntur, vel potius sexto; namque ex septimo solus sobrino, sobrinave natus admittitur. Proximus autem in Duodecim habetur ille etiam qui solus est, ut Pomponius libro II. ad Sabinum [u] scribit. Masculorum vero, & feminarum nulla erat ex hoc jure differentia; quod Justinianus (x) permultis locis testatur; quod postea immutatum esse moleste fert. Item capitis deminutione adgnationis jus tollitur, quod ex Duodecim descendit: illæ autem hereditates, quæ novo jure competunt, ut, ex S. C. Terulliano & Orphitiano, (y) capitis deminutione non pereunt, ut Justinianus scribit; Prætor tamen tanquam cognatos eos vocat. Inter adgnatos enim & cognatos hoc interest, ut Modestinus libro tertio Pandectarum scribit, (z) quod in adgnatis & cognati continentur, in cognatis non utique & adgnati: verbi gratia, Patris frater, idest patruus, & adgnatus est & cognatus: matris autem frater, idest avunculus, cognatus est, adgnatus non est. Qua de causa Justinianus libro I. Institutionum (aa) adgnatos esse definit cognatos per virilis sexus cognationem conjunctos; quamvis in Caii definitione cognati non appellentur. Hæc tamen omnia Justiniani (bb) legibus abrogata sunt, & ex Novella CXXVIII. nulla est adgnatorum & cognatorum differentia, nulla quoque emanci-*

(p) L. In testato. in fine, de suis & legit.

(q) L. Septimo. de stat. hom.

(r) Inst. de legit. adgn. succ. in pr.

(s) L. Pronuntiatio. in princ. de verb. signif.

(t) Inst. de succ. cog. in fine.

(u) L. In vulgari. in princ. de verb. signif.

(x) L. Lege XII. Tabularum. l. ult. C. de leg. hered. inst. de exh. lib. §. Sed hæc quidem. & de leg. adgn. succ. §. Et hæc quidem. atque alibi.

(y) Inst. de S. C. Orphit. §. Sciendum. & de succ. cog. in princ. & leg. adgnat. tutel. in fine. l. Capitis. de suis & legit.

(z) L. Inter adgnatos. unde leg.

(aa) Inst. de leg. adgn. tutel. §. I. l. Sunt autem. de legit. tut.

(bb) Au- th. de hered. ab intestat. ven. §. Nul- lam.

pationis & patriæ potestatis, sed ab intestato illis personis defertur hereditas, quæ ea constitutione enumeratæ sunt.

XXVI. De patronorum successione Justinianus (a) scribit, ita demum legem XII. Tabularum ad hereditatem liberti vocasse patronum, si intestatus mortuus esset libertus, herede suo nullo relicto: & Cajus libro VI. ad edictum provinciale scripsit, hereditatem ad nos pertinere ex lege XII. Tabularum ab intestato forte quod fui heredes defuncto sumus, vel adgnati, vel quod manumissimus defunctum, quodve parens noster manumiserit. Nam hi quoque, quos parentes manumiserint, nostros libertos esse dicimus, ut idem Cajus libro XXIV. (b) scribit. Quamobrem in hanc rationem Ulpiani verba accipiemus libro XLVI. ad edictum: (c) *Ad personas, inquit, refertur familiæ significatio, ita cum de patrono & liberto loquitur lex* (de duodecim autem Tabulis loquebatur) *EX EA FAMILIA, inquit, IN EAM FAMILIAM. Et hic, inquit, de singularibus personis legem loqui constat.* Quæ verba existimo de libertorum successione intelligenda, ut bona ex liberto in dominum veniant; vel ut ex parente in filium jus patronatus perducatur. Cætera, quæ ad libertorum successione pertinent ex Prætorum edicto, ex lege Papia, & ex Justiniani Græca constitutione, quæ non exstat, sub titulo de successione libertorum libro III. Institutionum cognoscuntur. Nos reliqua persequamur.

XXVII. Et quoniam veteres nullam obligationem firmiorem emptione & venditione existimabant, de ea quid in XII. scriptum esset videamus. Et Justinianus scribit libro II. Institutionum: (d) *Venditæ res & traditæ non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, veluti expromissore, aut pignore dato. Quod quamquam cavetur, inquit, ex lege XII. Tabularum, tamen recte dicitur & jure gentium, idest, jure naturali, id effici.* Idem libro III. (e) scribit, emptionem & venditionem contrahi simul atque de pretio convenire. Pretium autem in numerata pecunia consistere oportere. Pecunia initio Urbis ære constabat. Quamobrem libra opus erat, ut pretium solveretur: neque enim signatis nummis utebantur. Primus Servius Rex signavit æs; argentum quinque annis ante primum bellum Punicum signatum est, post LXII. annos aurum, ut Plinius libro XXXIII. [f] scribit. *Æs autem illud, quo XII. Tabularum tempore utebantur, æs grave appellabatur, propterea quod asses tum libram penderent, qui ad semuncias Papiria lege venerunt. Quamobrem Ulpianus libro I. ad Sabinum [g] scribit: Etiam aureos nummos æs dicimus.* Ab eo nummorum pondere, ut Plinius [h] ait, expensa in rationibus dicuntur, item impendia, & dependere, & militum stipendia, ejusque stipis ponderandæ pensatores libripendes; & ob eam consuetudinem ponderandæ pecuniæ in earum rerum emptionibus, quæ mancipi sunt, libra in-

terponitur. Mancipi res, ut Severinus Boethius ait, sunt quæ ita abalienantur, ut abalienatio per nexus fiat solemnitate, neque aliter per leges XII. Tabularum abalienari possunt. Nexus autem solemnitate ex Cajo libro I. Institutionum ostendit, cujus verba sunt hæc: *Est autem mancipatio, ut supra quoque indicavimus, imaginaria quædam venditio, quod ipsum jus proprium Romanorum est civium, eaque res ita agitur. Adhibitis non minus quam quinque testibus Romanis civibus, puberibus, & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens; is, qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, isque mihi emptus est hoc ære, æneaque libra. Deinde ære percutit libram, idque æs dat ei, a quo mancipium accipit, quasi pretii loco.* Cætera autem res, quæ sui juris sunt, nec mancipi dicebantur. In jure quoque res mancipi cedebantur in hunc modum, ut Cajus scribit. Apud magistratum populi Romani, vel Prætorum, vel provinciæ Præsidem, is, cui res in jure cedebatur, rem tenens ita vindicabat: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo.* Prætor tunc interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet; eoque negante, aut tacente, ei, qui vindicaverit, eam rem addicit; idque legis actio vocabatur. Ita pleno jure duobus his modis res in alterum transferebatur. Quamobrem Cicero in Topicis abalienationem esse definit ejus rei, quæ mancipi est, aut traditionem alteri nexu, aut in jure cessionem, inter quos ea jure civili fieri possunt. Quod si res, quæ mancipi est, sine his solemnitatibus tradatur, abalienari non poterat, nisi ab eo, cui tradebatur, usucaperetur. Imaginariam autem venditionem Cajus appellat illam mancipationem, ut Justinianus quoque libro II. Institutionum [i] appellat. Namque cum duo olim testamentorum genera fuisse retulisset, quorum altero in pace atque otio utebantur, quod calatis comitiis appellabant; altero, cum in prælium exituri essent, quod procinctum dicebatur: *Accessit, inquit, tertium genus testamentorum, quod fiebat per æs & libram, scilicet quod per mancipationem, idest, imaginariam quandam venditionem agebatur, quinque testibus & libripende civibus Romanis puberibus presentibus, & eo, qui familiæ emptor dicebatur.* Is autem emptor hereditatem emebat, & eam consequebatur, testatore mortuo. Quod ne ita exploratum esset ac certum quis heres futurus esset, familiæ quidem emptor adhibebatur dicis causa, sed alter heres scribebatur, ut Theophilus [k] ait. Cujus opinio Justiniani auctoritate fulciri potest, qui solitos veteres scribit familiæ emptorem, & eos, qui per potestatem ei conjuncti essent, a testamentariis testimoniis repellere, non etiam heredem, & eos, qui in heredis potestate essent. Idem Justinianus [l] scribit, emancipationem olim fieri solitam per imaginarias venditiones, & intercedentes manumissiones:

(a) Inst. de succ. lib. in princ. l. 1. & 3. de her. red. petit.

(b) L. Licet inter gesta. in fine de verb. sign.

(c) L. Pronuntiatio. §. 1. eod.

(d) Inst. de ver. divis. §. Venditæ.

(e) Inst. de emp. & vend. in princ. & §. Item pretium.

(f) Cap. 3.

(g) L. Etiam. de verb. sign. lib. 33.

(h) D. lib. 33.

(i) Inst. de test. in princ.

[k] Inst. eod. §. Sed neque.

(l) Inst. quib. mod. jus. p. p. sol. §. Præterea.

nes:

nes: quod alio loco retulimus. Qua de causa Alciatus noster & Vigilius, quod Ulpianus libro XXI. ad Sabinum [a] scribit, imaginariam venditionem non esse, pretio accedente, in eandem rationem interpretantur: uno enim nummo addicebantur, quæ ita venderentur.

(a) L. Imaginaria. de div. reg. jur.

(b) L. Si usufructus. de jure dot.

Pomponius libro VIII. ad Q. Mucium: [b] Si usufructus fundi, cujus proprietatem mulier non habebat, dotis nomine mihi a domino proprietatis detur; difficultas erit post divorcium circa reddendum jus mulieri. Quidam ergo remedii loco recte putaverunt introducendum, ut vel locet hunc usufructum mulieri maritus, vel vendat nummo uno; ut ipsum quidem jus remaneat penes maritum; perceptio vero fructuum ad mulierem pertineat. Et licet hujusmodi locatio cæteris casibus improbata sit (namque Ulpianus ait libro LXIX. ad edictum (c): Si quis conduxerit nummo uno, conductio nulla est; quia hoc donationis instar inducit) venditio tamen, ut antea dixi, in multis aliis rebus frequentabatur, ut in fideicommissariis quoque hereditatibus. Nam quod Justinianus libro II. Institutionum (d) ait, si quis totam hereditatem restitueret, emptæ & venditæ hereditatis stipulationes interponi solitas: id ex Theophili Græcis institutionibus (e) ita accipiendum est. Apud veteres ante S. C. Trebellianum, posteaquam jussit Augustus Consulibus, ut in fideicommissis auctoritatem suam interponerent, qua de causa Prætor proprius creatus est, quem fideicommissarium appellabant (quamquam duos Prætores Claudius instituit, sed alterum Divus Titus detraxit) in hunc modum is, qui de tota hereditate restituenda rogabatur, tibi consulebat. Namque per imaginariam venditionem uno nummo, ut Theophilus ait, hereditatem fideicommissario vendebat: atque ita stipulationes emptæ & venditæ hereditatis jure interponebantur, post Trebellianum quoque & Pegasianum S. C. si nollet quartam retinere. Apud Paulum etiam reperio libro II. sententiarum (f) scriptum esse, inter virum & uxorem contemplatione donationis imaginariam venditionem contrahi non posse: quod minime mirum est, cum Ulpianus lib. VII. disputationum scribat, inter virum & uxorem donationis causa pretio viliori venditionem nullius momenti esse; quamvis inter cæteros valeat, nisi universa venditio donationis causa facta sit. Quibus verbis hæc quoque imaginaria venditio labefactari videtur. Multo etiam magis Modestini verbis libro V. Regularum: (g) Contractus, inquit, imaginarii etiam in emptionibus juris vinculum non obtinent, cum fides facti simulatur, non intercedente veritate. Item Pauli libro II. ad edictum Ædilium Curulium: (h) Nuda & imaginaria venditio pro non facta est: & ideo nec alienatio ejus rei intelligitur. Denique Justiniani constitutiones existant duæ libro VII. Constitutionum, (i) quibus inter dominium, quod pleno jure ex jure Quiritium veniebat; & id, quod in bonis dici-

(c) L. Si quis conduxerit. locati. l. Si quis ante. in fine. de acquir. poss.

(d) Inst. de fideicom. hered. §. Et ego.

(e) Inst. eod. in princ. & de codic. in princ. l. 2. §. Capta. de orig. jur.

(f) L. Si quis donationis. de contrah. empt.

(g) L. Contractus. de obligat. & action.

(h) L. Nuda. de contrah. empt.

(i) L. un. C. de nudo jure. Qui rit. tol. l. un. C. de usucap. transform.

tur, item inter res dividi, mancipi, & nec mancipi, stipendiarias & tributarias, Italici soli, aut provinciarum nulla differentia est. (k) De pleno jure in lege Junia Norbana diximus. De rebus autem dividi fortasse Constantini constitutio mentionem fecit libro VIII. Theodosianarum constitutionum, (l) quas existimo dividi esse appellatas, quod dividi possint, ut res mancipi, quæ mancipatione abalienari, res nec mancipi, quæ alienari non possent. Quod vero Budæus doctissimus vir, & antiquitatis peritissimus, a quo permulta in hunc libellum transtulimus, ait; nexum in Justiniani constitutione (m) ad vetera nexa esse referendum, neque id alio loco in nostris libris reperiri: non facile assentior. Verba enim ejus legis sunt hæc: Usucapionem extendebant non tantum in Italico solo nexu, sed in omnem terrarum orbem. Sed arbitror, nexum pro dicecesi, aut provincia, aut, ut idem dicere solet, tractu esse usurpatum: quod nescio, an alio loco reperiat: aut si obligationem & vinculum significat, quod alios usurpasse ostendam, non illam veterem mancipationem respexit. Quæ si facta esset, ut Severinus ait, usucapione opus non erat; nisi forte Justinianus ea solum usucapi posse credidit, quæ nexu tradita essent: translatione tamen usum non negaverim, ut Alexandrum Imperatorem: (n) Errat qui tibi persuasit, quod nexu paternæ potestatis jure sacramenti solutus es. Et Antoninus: (o) Ipse securitatem debitam commissi nexu liberatus cum emolumentis accipiat. Et Justinianus: (p) Nexu paterno per emancipationem liberentur. Quodque durius est in Theodosii constitutione: (q) Per vicarios officiorum ligatus ferreis nexibus cura provincialis officii ad debitum mittatur examen. Quod tamen defendi potest ex his, quæ in Petillia lege diximus. Sic Ulpianus libro VI. Opinionum: (r) Petenti mutuum pecuniam creditori, cum ad manum debitor non haberet, species auri dedisse scribit, ut pignori apud alium creditorem poneret: easque voluntate domini nexas esse ait. Aliorum librorum exemplis abstinemus, ne longiores simus. Illud in summa tenendum est, ex XII. Tabulis venditionem, mancipationemque mansisse, qui modus legitimus alienationis habebatur: qua de causa eo utebantur in emancipationibus & adoptionibus & matrimoniis, quæ per coemptionem fiebant, & testamentis, quæ per æs & libram dicuntur; in cæteris denique alienationibus, atque contractibus, quæ firmissima esse voluerunt. Cujus locum postea stipulationes occuparunt, de quibus alius erit scribendi locus. Quod vero docti aliquot viri scripserunt, quod Aristo ait, legem XII. Tabularum (s) emptionis verbo omnem alienationem fuisse completam, ad hanc emptionem imaginariam pertinere, non facile mihi persuaserint. Qua de re quid ipse sentiam, capite quinto dictum est.

XXVIII. M. Cicero libro III. Officiorum scribit, sancitum esse jure civili, ut in prædiis vendendis vitia etiam dicerentur, quæ no-

(k) Inst. de rer. div. §. Per traditionem.

(l) L. 1. De mater. nis bonis. in C. Theod.

(m) d. l. un. de usucap. transf. §. Cum autem.

(n) L. 3. C. de castren. pecun. lib. 12.

(o) L. 1. C. de suscept. præp. & arca. lib. 10.

(p) L. Cum oportet. §. Cum autem. de bon. que lib.

(q) L. 3. C. de executor. lib. 12.

(r) L. Petenti. de pignor. action.

(s) L. Statuliberi. de statulib.

ta essent venditori. Nam cum ex XII. Tabulis, inquit, satis esset cautum ea præstari, quæ essent lingua nuncupata, quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam subiret; a iureconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. Prædium autem iurisconsultorum more Cicero appellat tam urbanum, ut ædes, quam rusticum, ut ager, sive fundus. Ob hanc legem idem in oratione pro L. Muræna Cos. designato ait: *Quod si in his rebus repetendis, quæ mancipi sunt, is periculum iudicii præstare debet, qui se nexu obligavit; profecto etiam rectius in iudicio Consulis designati is potissimum Consul, qui Consulem declaravit, auctor beneficii Populo Romano, defensorque periculi esse debet.* Qua de causa, ut Budæus notat, non facile solebant mancipio dare, nisi qui præstare possent, quod lingua nuncupassent. M. Varro libro II. de re rustica (a) ita scribit: *Domini legitimum sex fere res perficiunt; si hereditatem justam adiit; si, ut debuit, mancipio ab eo accepit, a quo iure civili potuit; aut si in iure cessit, qui potuit cedere, & id ubi oportuit; aut si usucepit; aut si e præda sub corona emit; tumve cum in bonis, sectioneve cuius publice venit.* Addit id, quod non faciliè nostri concedent: *In servorum emptione solet accedere peculium, aut si excipiet, stipulatio intercedere, sanum eum esse, furtis, noxisque solutum; aut si mancipio, inquit, non datur, dupla promitti, aut si ita pacti, simpla.* At in nostris libris apud Ulpianum libro I. ad edictum Ædilium Curulium: (b) *Ædiles ajunt: Qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores, quid morbi, vitiove cuique sit, quis fugitivus, errore sit, noxave solutus non sit, eademque omnia, cum ea mancipia venibunt, palam recte pronuntiant.* De peculio servorum contra Paulus libro X. ad Sabinum scribit: (c) *In venditione servi peculium semper exceptum esse intelligitur.* De dupla idem ait libro V. (d) *Si dupla non promitteretur, & eo nomine ageretur, dupli condemnandus est reus.* Quibus verbis Varro nis verba confirmantur, duplam ipso iure præstare debere venditorem, nisi de simpla actum sit. De ædibus vero Ulpianus libro XXVIII. ad Sabinum (e) scribit: *Venditor, si cum sciret deberi servitutem, celavit, non evadet ex empto actionem, si modo eam rem emptor ignoravit. Omnia enim, quæ contra bonam fidem fiunt, veniunt in empti actionem.* Id est, quod Cicero ait, reticentiæ pœnam esse constitutam, & quod antea ex edicto Ædilium retulimus. Eisdem Ulpiani verbis ea controversia tollitur, quam idem Cicero libro I. de Oratore, & libro III. de Officiis refert. M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratæ, quem etiam Auratam appellat, ædes vendiderat, quas ab eodem paucis ante annis emerat; in mancipii lege Marius ædes servire non dixerat, quas servire constabat. L. Crassus Sergii nomine egit, ut quod vitium venditor sciens non dixisset, præstaret. M. Antonius Marium defendebat, cum

id vitium ignotum Sergio non fuisset, non esse deceptum. Cujus defensio Ulpiano æquior visa est: tum enim teneri venditorem ait, cum emptor ignoravit. *Non enim, inquit, (f) videtur esse celatus, qui scit: neque certiorari debuit, qui non ignoravit.*

XXIX. De furtis apud Macrobius libro I. Saturnaliorum (g) lex XII. Tabularum refertur in hæc verba: *SI NOX FURTVM FACTVM SIT, SI IM ALIQUIS OCCISIT, IVRE CAESVS ESTO.* In qua lege animadvertit NOX pro noctu dictum esse, & IM pro eum. Quod totum ex Gellii libro VIII. qui hodie non extat, sumptum esse videtur, ut ex ejus libri epitome animadverti. Sextus quoque Pompejus scribit, CALIM antiquos dixisse pro clam, NIS pro nobis, SAM pro suam, IM pro eum. Ipsi legis sententia apud Cajum libro VII. ad edictum provinciale (h) refertur. *Lex, inquit, XII. Tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur.* Addit id, quod eadem lege dicebatur: *Interdium autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat, ut tamen æque cum clamore testificetur.* Idem Cajus libro XIII. (i) *Furem interdium deprehensum non aliter occidere lex XII. Tabularum permittit, quam si telo se defendat. Teli autem appellatione & ferrum, & fustis, & lapis, & denique omne, quod nocendi causa habetur, significatur.* Hoc autem postremum idem Cajus libro I. ad Legem XII. Tabularum, hac eadem de re fortasse agens, pluribus verbis scribit: (k) *Telum, inquit, vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur: sed nunc omne significatur, quod mittitur manu.* Addit appellationis causam fuisse ἀπὸ τῆς τήλης, quod procul significat; βέλῳ quoque apud Græcos, quod ἀπὸ τῆς βάλισθου dicitur, pro quocumque telo usurpari: in quam rem testimonio utitur Xenophontis libro V. Expeditionis Cyri minoris, quod ab Justiniano quoque refertur libro IV. Institutionum, (l) ut a nobis est libro IV. Emendationum scriptum. Hanc autem legem Cicero significavit in Miloniana oratione: *Quod si XII. Tabulæ nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem si se telo defenderit, interfici impune voluerunt: quis est, qui quoquomodo quis interfectus sit, puniendum putet, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus?* Ciceronis verba Aurelius Augustinus (m) referre videtur apud Gregorium libro V. Decretalium epistolarum: *In antiquis, inquit, legibus, quibus ista est antiquior (de sacris autem Judæorum legibus agebat) invenitur impune occidi nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem, si se telo defenderit; iam enim plus est, quam fur.* Mosen vero multo antiquiorem XII. Tabulis fuisse, Eusebius diligentissimus vir in hujusmodi rebus pervestigandis locuples esse testis potest, qui initio ejus libri, quem de temporibus inscribit,

[f] E. L. I. in fine.

(g) Cap.

4.

(h) L. Itaque si furem. ad leg. Aquil.

(i) L. Si pignore. §. Furem. de furt.

(k) L. Si calvitur. §. Telum. de verb. signif.

(l) §. Item lex Cornelia. de sicariis.

(m) C. 3. de hom. August. quest. 89. in Exod.

(a) Cap. 10.

(b) L. 1. In princ. de Aed. ed.

(c) L. 3. de evict.

(d) L. 2. eod.

(e) L. de action. empt.

testatur Mosen, qui leges Judæis dedit, Inachi temporibus fuisse, ut multi scripserunt. Inachum autem quingentis annis bellum Trojanum antecessisse. Hic ille Inachus est, de quo Nasso ait: (a)

(a) lib. 1.
Metamorph.

*Inachus unus abest; imoque reconditus antro.
Fletibus auget aquas; natamque miserri-
mus Io
Luget, ut amissam.*

Quam fabulam in eadem tempora Eusebius retulit. Sed ut ad furta revertamur, A. Gellius libro XI. (b) scribit, Draconem Athenis legem tulisse, ut, qui furtum quaecumque fecisset, capite puniretur. Ea autem lex cum acerba nimis esse videretur, Solon dupli tantum pœnam statuit. Decemviri ab utroque mutuati, manifestum furem occidi permiserunt, si cum furtum faceret, nox esset; aut interdum se telo defenderet; ceteros manifestos fures verberari liberos, addicique jusserunt (quod libro XX.

(b) Cap.
18.

(c) appellat in servitutem tradi) ei, cui factum furtum sit. Servos vero verberibus adfici, & de saxo præcipitari. Pueros impuberes Prætoris arbitratu verberari, noxamque ab his factam sarciri. Prætorum autem Consulium appellat, ni fallor, ut apud Livium libro III. Neque enim sine causa Cicero libro III. de legibus ita de Coss. legem tulit: REGIO IMPERIO DVO SVNTO: IIQVE PRAEVNDQ, IVDICANDO, CONSVLENDO, PRAETORES, IVDICES, CONSVLES APPELLANTOR. Nam Pomponius libro singulari Enchiridii (d) post leges

(c) Cap.
1.

(d) L. 2.
§. Deinde
cum post.
& seq. de
orig. jur.

has latas, & post Tribunos militares creatos, & plebejos Consules, ait: *Cumque Consules advocarentur bellis finitimis, neque esset qui in civitate jus reddere posset; factum est, ut Prætor quoque crearetur, qui Urbanus appellatus est, quod in Urbe jus redderet.* Livius quoque in calce libri sexti concessum fuisse ait ab nobilitate plebi de Consule plebejo, a plebenobilitati de Prætoris uno, qui jus in Urbe diceret, ex patribus creando, L. Æmilio Mamerchino, L. Sextio Coss. designatis. Asconius autem Pædianus in Prætura urbana Ciceronis scribit, veteres omnem magistratum, cui pareret exercitus, Prætorum appellasse; unde Prætorium tabernaculum ejus ducis appellatur: quod Justinianus etiam scribit Novella XXIV. & in castris porta Prætoria; cohorsque Prætoria comites ejus ducis dicebantur. Inde etiam Præfectus Prætorio dictus est, quod Imperatoris Prætorio præfectus esset. Cum Asconio facit Justiniani Novella XXV. quæ de Prætoris Lycaoniae inscribitur: *Prætoris, inquit, nomen Romani magistratus est, atque ante ipsos quidem Consules in veteri, atque præclara constitutione Reipublice usurpatum. Etenim olim Romani, Imperatores suos Prætores appellabant, qui & militaribus copiis præessent, & jura scriberent, quibus omnes obedirent.* Quod ita distinguendum est, ut ante Prætorum urbanum ejusmodi duces, atque Imperatores id nomen significaret; postea & judiciis & provinciis præfuerunt, aliis Præ-

toribus creatis, qui in provincias irent; item aliis, qui de quibusdam criminibus, atque de fideicommissis cognoscerent, ut idem Pomponius & Justinianus [e] scripserunt. Qui in provincias venerant, jurisdictionis & rei militaris, ut Justinianus scribit, curam gerebant, edictis provincialibus propositis ad exemplum Urbani edicti, quod postea perpetuum appellatum est, ut in Cornelia lege diximus, & libro I. Emendationum nostrarum. Sextus Pompejus Prætoria portam in castris appellatam esse ait, qua exercitus in prælium educeretur, quia initio Prætores erant, qui postea Consules, & bella administrabant, quorum tabernaculum Prætorium dicebatur. Prætoria cohortem dictam esse, quæ a Prætoris non discederet. Nam Scipio, inquit, Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederet, & cetero militiæ munere vacarent, & sesquiplez stipendium acciperent. Cornelius Tacitus libro I. denariis duobus, hoc est, assibus duobus & triginta, eos, qui ex Prætoria cohorte essent, ceteros milites assibus decem singulis diebus meruisse scribit. De hac cohorte Ulpianum [f] sensisse arbitror libro singulari de officio Prætoris Tutelaris, ut alio loco dictum est. Varro quoque libro II. de vita Populi Romani apud Nonium Marcellum [g] scribit: *Iidem dicebantur Consules & Prætores, quod præirent populo, Prætores; quod consulerent Senatui, Consules.* Sequitur apud Gellium [h] obscurus locus, de quo nos libro IV. Emendationum imperfecte egimus. *Ea quoque, inquit, furta, quæ per lancem, liciumque concepta essent, perinde ac si manifesta forent, vindicaverunt.* Nam licet, quid conceptum furtum esset, ex Justiniani libro quarto, [i] & Pauli secundo sententiarum declaraverimus, lancem tamen ad mancipationem, & licium ad inlicendum, hoc est, vocandum, ut Varro [k] scripsit, referebamus. Postea vero reperimus apud Sex. Pompejum [l] lance & licio dici, quia qui furtum in aliena domo quæsitum ibat, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrumfamilias, aut virginum præsentiam. Sed & idem Gellius libro XII. [m] scribit, Tyronem M. Tullii libertum scripsisse lictorem a licio appellatum, quo is, qui magistratibus ministrabat, præcingebatur; quamquam Gellius Valgium Rufum sequi mavult, ut lictores a ligando dicerentur, sicut lectores a legendo, victores a vincendo. Licia autem ea fila sunt, quæ staminibus implicantur in tela, de quibus Virgilius: [n]

(e) D. l.
2. §. Capta.
& Nov. 24.

(f) L. Si
Tribunus.
de excuf.

(g) Verb.
Consulium.

(h) D.
lib. 18.

(i) Inst.
de obl. que
ex del. na. §.
Conceptum.

(k) Lib.
5. de ling.
Lat.
[l] Verb.
Lanc.

(m) Cap.
3.

(n) Geor-
gic. 1.

*Septima post decimam felix & ponere vites,
Et prensos domitare boves, & licia tela
Addere.*

Et alio loco: (o)

*Terna tibi hæc primum triplici diversa
colore
Licia circumdo.*

(o) E-
clog. 8.

Ita.

Itaque arbitror, ut appareret, eum magistratus jussu in domum alienam ingredi ad furtum concipiendum, licio præcinctum fuisse. Idem Gellius libro XVI. ait, (a) furtorum quæstiones cum lance & licio evanuerunt. Conceptum furtum dicitur, cum apud aliquem, testibus præsentibus, furtiva res quæsitæ & inventa est, ut Justinianus (b) scribit. A capiendo autem id dicebatur, opinor, quod furtum cœptum illic esset. Quæ omnia obsolescerunt; nam Prætores manifesto furto actionem in quadruplum dederunt, concepto & oblato tripli. Justinianus [c] hanc quoque tripli actionem omisit, & manifesto furto quadrupli reliquit, nec manifesto dupli. Nec manifestum autem arbitror in XII. eadem dupli pœna, quam Solon fanxit, fuisse punitum, quod Cato initio libri de re rustica significare videtur. Cætera, quæ ad hunc locum pertinerent, quarto libro Emendationum & opinionum scripsimus.

XXX. Si furtim arbores cæsæ sint, & ex lege Aquilia, & ex XII. Tabularum dandam actionem, Labeo ait apud Paulum libro IX. ad Sabinum. [d] Ea autem lex erat, ut, qui injuria cecidisset alienas arbores, lueret in singulas asses XXV. quod Plinius Secundus initio libri XVII. naturalis historię scripsit. Asses autem tum libriles erant, hoc est, libram æris pendebant, ut sæpe dictum est. Ad eam legem Cajus, ut opinor, scripsit, cum libro I. ad legem XII. Tabularum ait: *Sciendum est autem eos, qui arbores, & maxime vites ceciderint, etiam tamquam latrones puniri.* Item illud: [e] *Certe non dubitatur si adhuc adeo tenerum sit, ut herba loco sit, non debere arboris numero haberi.* Eiusdem legis esse arbitror ea verba, CAEDERE, CINGERE, ET SVBSECARE; quæ Paulus libro IX. ad Sabinum ita interpretatur: (f) *Cedere est non solum succidere, sed etiam ferire cadendi causa: cingere est deglabrare: subsecare est subsecuisse.* Ideoque

Ulpianus ait libro XXXVIII. ad edictum: (g) *Si quis radicitus arborem evellerit, vel exstirpaverit; hac actione non tenetur: neque enim vel cedit, vel succidit, vel subsecuit. Aquilia tamen tenetur, quasi ruperit.* Sed fortasse hæc ad edicti verba pertinent: illa ad XII. quæ sequuntur: *Sive autem quis suis manibus, sive dum imperat servo arbores cingi, subsecari, cedi; hac actione tenetur. Idem & si libero imperet.* Aut etiam utroque loco ad edicti verba respexit. Apud Alfenum libro VII. Digestorum in lege locationis scriptum fuisse dicitur: [h] *REDEMPTOR SILVAM NE CAEDITO, NEVE CINGITO.* Quæ verba ex superscriptis intelligentur.

XXXI. Idem Plinius libro XVIII. (i) scribit: *Frugem aratro quæsitam furtim nocte pavisse, ac secuisse, puberi XII. Tabularum capitale erat, suspensumque Cereri necari jubebant, gravius quam in homicidio convictum.* Impubem Prætoris arbitratu verberari, noxamve, duplionemve decerni. Hujus legis mentio fit, ut arbitror, ab Ulpiano libro XLI. ad Sabinum: (k)

Si glans, inquit, ex arbore tua in meum fundum cadat, eamque ego immisso pecore depascam; Aristo scribit, non sibi occurrere legitimam actionem, qua experiri possim. Nam neque ex lege XII. Tabularum de pastu pecoris, quia non in tuo pascitur: neque de pauperie, neque de damni injuria agi posse. In factum itaque erit agendum. Hæc igitur fortasse Pliniana est, quæ ab Ulpiano de pastu pecoris dicitur: quamvis hic glandis, ille frugis mentionem fecerit. Addit Cajus libro IV. ad legem XII. Tabularum. (l) *Qui ædes, acervumve frumenti juxta domum positum combusserit, vinculus verberatus igni necari jubetur; si modo sciens, prudensque id commiserit. Si vero casu, idest, negligentia, aut noxiam sarcire jubetur, aut, si minus idoneus sit, levius castigatur.* Appellatione autem ædium omnes species ædificii continentur.

XXXII. Huic legi adfinis illa est, cujus verba Servius Grammaticus refert: *NEVE ALIENAM SEGETEM PELLEGERIS.* cum illud Virgilianum carmen interpretaretur: (m)

Atque satas alio vidi traducere messes.

Erant enim ex lege XII. Tabularum omnia hæc cantationum genera punita. Nam Plinius libro XXVIII. (n) scribit, legum ipsarum verba fuisse: *QVI FRUGES EXCANTASSET, & alibi: QVI MALVM CARMEN INCANTASSET.* Quibus verbis Crinitus abusus est, item superiorum aliquot legum, libro V. de honesta disciplina.

XXXIII. De injuriis apud Gellium libro XX. (o) hæc verba referuntur XII. Tabularum: *SI INIVRIA ALTERI FAXIT XXV. AERIS POENAE SVNTO.* Quam legem cum Q. Labeo interpretaretur, ita scribit: *L. Neratium improbum hominem, atque immani vecordia, pro delectamento habuisse os liberi hominis manu sua verberare, servoque quem cum crumena affium plena ducebat, jubere solitum, ut injuriam passo XXV. asses ex lege XII. Tabularum numeraret.* Quamobrem Prætores edixerunt, Recuperatores se injuriis æstimandis daturus. In eadem lege scriptum erat: *SI MEMBRVM (p) RVPIT NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO.* Qua de re Justinianus scribit libro IV. Institutionum (q): *Pœna, inquit, injuriarum ex lege XII. Tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat; propter os vero fractum nummarie pœnæ erant constitutæ quasi in magna veterum paupertate. Sed postea Prætores permittebant ipsis, qui injuriam passi sunt, eam æstimare.* Sed apud Gellium (r) Sextus Cæcilius dicebat, non omnes injurias XXV. libris æris æstimatas, etsi ea pecunia magna illis temporibus esset; sed atrociores injurias, ut de osse fracto, liberis, vel servis factas, impensiore damno vindicatas, item alias talione. Ad quam talionem non ante veniebat, quam is qui injuriam fecerat, pacisci nollet. Verum & id ad æstimationem judicis redigi solitum ait. *Nam si reus, inquit, quis*

(a) Cap. 10.

(b) Inst. de perp. & tem. action.

(c) Inst. de obl. que ex del. nasc. §. Pœna.

(d) L. 1. arbor. fur. cas.

(e) L. 2. Certe. ead.

(f) L. Cadere. ead.

(g) L. Furtim. co.

(h) L. In lege. locati.

(i) cap. 3.

(k) L. Qui servanda. rum. in fine. de præser. verb.

(l) L. Qui ædes. de incendio, & ruina.

(m) E. clog. 8.

(n) cap. 2.

(o) cap. 1.

(p) Al. RAPSIT.

(q) Inst. de injur. §. Pœna.

(r) d. lib. 20.

de

depacisci noluerat, *judici talionem imperanti non parebat, astimata live, iudex hominem pecunia damnabat.* Eiusdem legis mentio fit ab eodem Gellio libro XVI. (a) & a Sex. Pompejo, (b) ex quo Gellius corrigendus est. Ad hanc legem fortasse pertinet quod Quintilianus libro I. [c] scribit, in Duodecim reperi, *NI ITA PAGUNT: cui simile est, inquit, cadunt: inde prima positio, etiam si vetustate exoleverat, pago, ut cado; unde non erat dubium sic pepigi nos dicere, ut cecidi.* Utitur eo verbo is, qui ad Herennium rhetorica scripsit libro secundo in lege an efficta, an vera? *REM VBI PAGUNT ORATIONE PAGUNT.* Et Cicero libro I. de legibus ludens in ea sententia, quam inter Stoicos & Academicos tulit. Nam cum Quintus frater interrogasset, quam nam sententiam dicerent? *Requiri, inquit, placere terminos, quos Socrates pepigit, isque parere.* Ad eandem etiam illa quoque forsitan referenda sunt, quæ Ulpianus ait libro XVIII. ad edictum: (d) *Lex Aquilia omnibus legibus, quæ ante se de damno injuria locutæ sunt, derogavit; sive XII. Tabule, sive alia, quæ fuit.* Et quod paulo ante retuli ex eodem Ulpiano libro XLI. ad Sabinum (e).

(a) Cap.
10.
(b) Verb.
Tatio.
[c] Cap.
6.

(d) L. 1.
ad l. Aquil.

(e) d. l.
Qui servan-
dar. §. ult.
de præf. verb.
(f) cap.
9.

XXXIV. Huc accedit, quod Cicero libro IV. de Republica scripsit, ut D. Augustinus refert libro II. de Civitate Dei: (f) *Apud Græcos fuit etiam lege concessum, ut quod vellet comædia nominatim, de quo vellet, diceret. Itaque quem illa non artigit? vel potius quem non vexavit? cui pepereit? Nostræ contra XII. Tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent; in his hanc quoque sancientiam putaverunt: SI QVIS OCCENTAVISSET SIVE CARMEN CONDIDISSET QVOD INFAMIAM FACERET FLAGITIVMVE ALTERI. Præclare: iudiciis enim, ac magistratum disceptationibus legitimis propositam vitam, non poetarum ingenii habere debemus, nec probrum audire, nisi ea lege, ut respondere liceat, & iudicio defendere.* Occentavisset, non actitavisset scripsisse Ciceronem arbitror, ut eruditissimus vir Lud. Vives probat, Sextum Pompejum secutus, qui ita scribit: *Occentassint antiqui dicebant, quod nunc, convicium fecerint dicimus; quod id clare, & cum quodam canore fit, ut procul exaudiri possit.* Paulus libro V. Sententiarum: *Injuriarum, inquit, actio lege XII. Tabularum introducta est, de famosis carminibus, membris ruptis, & ossibus fractis.* Arnobius libro IV. *Carmen malum conscribere, quo fama alterius coinquinetur, & vita, Decemviralibus scitis evadere noluisit impune. Ac ne vestras aures convicio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis injuriis.* De eadem hac lege idem Cicero initio libri quarti Tusculanarum Quæstionum ita scribit: *Id etiam XII. Tabulæ declarant condi iam tum solitum esse carmen; quod ne liceret fieri ad alterius injuriam, leges sanxerunt.* De hac Flaccus in arte:

Tom. I.

Successit vetus his comædia, non sine multa Laude: sed in vitium libertas excidit, & vim Dignam lege regi; lex est accepta, chorufque Turpiter obtinuit, sublato jure nocendi.

Et in epistola ad Augustum: [g]

Quin etiam lex, Peenæque lava, malo quæ nollet carmine quemquam Describi; vertere modum formidine fustis Ad bene dicendum, delectandumque redacti.

Sed lege Cornelia de injuriis, [h] & quodam S. C. capitalis pœna in eam conversa est, ut is intestabilis sit, ut alio loco dictum est.

XXXV. Nunc ad actiones veniamus. Et Pomponius libro singulari Enchiridii (i) scribit, ex XII. Tabulis actiones compositas fuisse, quibus inter se homines disceptarent, quas ne populus prout vellet institueret, certas, solemnæque esse voluerunt. Hæque legis actiones, idest, legitimæ, propter XII. Tabulas appellatæ sunt. Sed & legum interpretandarum scientiam & actiones apud collegium Pontificum fuisse scribit, qui constituebant inter se quis eorum præfesset singulis annis: *eaque consuetudine, inquit, populus annis prope centum usus est.* Postea cum Appius Claudius proposuisset, & ad formam redegisset has actiones; Cn. Flavius scriba ejus libertini filius subreptum librum populo tradidit; & adeo gratum fuit id munus populo, ut Tribunus Plebis fieret, & Senator, & Ædilis Curulis. Liber autem, qui eas actiones continet, appellatur jus civile Flavianum. Sed quia, augefcente civitate, deerant quædam genera agendi, non post multum temporis spatium Sex. Ælius alias actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur jus Ælianum. Hæc Pomponius de actionibus ait. Livius vero de Flavio libro IX. ita scribit: P. Sulpicio Averrione, P. Sempronio Sopho Coss. Cn. Flavius Cn. F. scriba patre libertino Ædilis Curulis fuit, antea Tribunus fuerat, & Triumvir nocturnus, item coloniarum deducendarum. Civile jus repositum in penetralibus Pontificum evulgavit, Fastosque circa forum in albo proposuit, ut quando lege agi posset, sciretur. De fastis & nefastis diebus nota sunt Nasonis carmina: (k)

*Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur;
Fastus erit, per quem lege licebit agi.*

Macrobius quoque libro I. Saturnaliorum (l) scribit, dies aut festos esse, aut profestos, aut intercios. Festos diis dedicatos; profestos hominibus ob administrandam rem publicam, atque privatam; intercios diis, hominibusque esse

(g) Lib.
2. epist. 1.

(h) L.
Lex Cornelia. §. Si quis. de inj.

(i) L. 2.
§. Deinde ex his legibus. de orig. jur.

(k) Lib.
1. Fastor.

(l) Cap.
16.

communes : qui ita appellati sunt, quod inter cæsa & porrecta fari Prætori, jusque dicere licebat; cum vero hostia cædebatur, aut cum porriciebatur in ignem, fari non licebat. Quod Varro [a] ita accipit, ut mane & vesperi nefas sit. Idem refert, Q. Mucii sententiam fuisse, ut expiari vix posset qui prudens id verbum emisisset: manumissum vitio liberum esse dicebat. [b] Profestos dies in fastos, comitiales, comperendinos, statos, & præliares dividit; item alia divisione in fastos, atque nefastos: *Fasti sunt*, inquit, *quibus licet fari Prætori tria verba solemnia, DO, DICO, ADDICO. Comitiales, quibus cum populo agi licet, hoc est, comitia haberi.* Sed fastis lege agi poterat, cum populo non poterat; comitialibus utrumque fieri poterat. Comperendini dicebantur, quibus vadimonium liceret dicere, & reum comperendinari, vadibus, ut arbitror, datis. Stati dies, qui iudicii causa cum peregrinis interponebantur, ut in XII. Tabulis apud Ciceronem libro I. de Officiis, *AVT STATVS DIES CVM HOSTE*: & Plautum in Curgulione, *Si status condictus cum hoste intercedit dies.* Hostes autem peregrinos olim appellatos antea scripsimus. Stati appellabantur, ut opinor, quod susteret se quis in iudicio: nam Sex. Pompejus ait: *Status dies vocatur iudicii causa constitutus.* Præliares & justos dies Macrobius ita distinguit, ut iusti sint continui triginta dies, quibus exercitu imperato vexillum rufi coloris in arce positum esset; quod apud Dionem quoque legisse me arbitror: præliares omnes, quibus fas esset res repetere, vel hostem laceffere. Itaque Flavius fastos proposuisse dicitur, ut dies fasti, quibus lege agi liceret, cogniti essent. Sed ea Tabula, qua fasti continebantur, occultata fuisse dicitur, quoad Flavius eam protulit, quod Pomponium non scripsisse mirandum esset, nisi animadvertissem, Ciceronis tempore non satis hæc inter antiquitatis peritissimos constare. Ita enim M. Cicero libro VI. ad Atticum (c) scribit: *In libris de Republica unum ἰσοπέδιον requiris de Cn. Flavio Anni F.* (ita enim scriptum in aliquibus libris reperi hoc loco, & apud Gellium libro VI. [d] licet sint qui Cn. F. scribant, ut apud Livium) *Ille vero ante Decemviros, inquit, non fuit; quippe qui Ædilis Curulis fuerit: qui magistratus multis annis post Decemviros institutus est. Quid ergo profecit, quod protulit fastos? Occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. Nec vero pauci sunt auctores, Cn. Flavium scribam fastos protulisse, actionesque composuisse; ne me hoc, vel potius Africanum [is enim loquitur] commentum putes.* Et in eodem libro: [e] *Illud de Flavio & fastis, si secus est, commune erratum est, & tu belle ἠπὸρπης, & nos publicam prope opinionem secuti sumus, ut multa apud Græcos.* Ex hac fastorum tabula illud fortasse sumptum est, quod Macrobius libro I. Saturnaliorum (f) refert, in Duodecim fuisse, SOLIS OC-

CASVS SUPREMA TEMPESTAS ESTO; quod A. Gellius libro XVII. (g) plenius refert. In XII., inquit, *Tabulis ita scriptum est: ANTE MERIDIEM CAUSAM CONICITO, CVM PERORANT AMBO PRAESENTES. POST MERIDIEM PRAESENTI LITEM ADDICITO. SI AMBO PRAESENTES, SOL OCCASVS SUPREMA TEMPESTAS ESTO.* Varro tamen scribit [h] post XII. Tabularum legem Prætoriam id quoque tempus jubere esse supremum, quo Prætor supremam populo in comitio pronuntiaffet. Legis verba refert Censorinus de die natali. Idem Cicero in oratione pro L. Muræna, quam dixit adversus Ser. Sulpicium, has ipsas actionum formulas irridens, & jurisconsultorum auctoritatem minuens, ita scribit: *Possent agi lege necne, pauci quondam sciebant: fastos enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia qui consulebantur, a quibus etiam dies tamquam a Chaldeis petebantur.* Chaldaei, ut ex libris de divinatione constat, divinationem ex astris & ex natali die ducebant, iidem dies salutare atque atros cuicumque rei agendæ prædicabant; ad eorum similitudinem Cicero ait, dies a consultis peti solere, quibus agi liceret: *Sed postea inventus est, inquit, scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit, & ab ipsis cautis jurisconsultis eorum sapientiam compilarit.* Idem libro I. de Oratore: *Veteres illi, inquit, qui huic scientiæ præfuerunt, obtinendæ, atque augendæ potentiae suæ causa pervulgari artem suam noluerunt: deinde posteaquam est editum, expositis a Cn. Flavio primum actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent.* Actio autem, ut Justinianus definit, (i) nihil aliud est, quam jus persequendi in iudicio, quod sibi debetur. Hæc in formulas quædam fuerant redactæ a Claudio & Ælio, ut antea dictum est, de quibus veteres scriptores multa retulerunt. Sed eas formulas Imperator Constantinus sustulit, item Theodosius non impetratæ actionis exceptionem, ut ex libro II. Constitutionum Justiniani & Theodosii (k) constat.

XXXVI. Ad actionum materiam pertinere arbitror, quæ in eisdem legibus de in jus vocando dicebantur. Itaque apud Gellium libro XX. (l) referuntur hæc ejus legis verba: *SI IN IVS VOCAT, SI MORBUS, AEVITASVE VITIUM EXTITIT, QVI IN IVS VOCABIT, IVMENTVM DATO: SI NOLET, ARGERAM NESTERNITO.* Quæ verba ita Sex. Cæcilius interpretabatur, ut morbus non gravem ægrotationem cum febre significaret, sed valitudinis, atque imbecillitatis vitium aliquod: ille enim alter morbus fonticus a Decemviris appellatur, ut proximo capite dicitur. Jumentum vero non unicum pecus tergo vehens, sed, ut ipse appellabat, vectabulum aliquod, quod junctis pecoribus trahebatur, unde nomen accepit. Argera plostrum erat undique tectum, atque munitum, quasi arca quædam magna vestimentis instrata, qua nimis ægri, aut senes portari cu-

(g) Cap.

2.

(h) Lib.

5. de ling.

Lat.

(i) Inst. de action. in princ.

(k) L. 1.

de 2. C. de

juris formu-

lis, & imp.

act. sublat.

de l. Uni.

de omiſſa a-

ction. imper.

in C. Theod.

[l] Cap. 1.

(a) L. 5. de ling. Lat.

(b) Macrobius. ibid.

(c) Epist. 1.

[d] Cap. 9.

[e] Ead. epist.

(f) Cap. 3.

ban-

bantes solebant: quod Nonius quoque Marcellus multis exemplis confirmat, in quibus XII. Tabularum verba refert: item Varro in libris de lingua Latina. (a) De ætate in Annali lege diximus, pro ætate id nomen accipi solere. Itaque si quis in jus vocatus sit, & levi morbo, aut ætatis imbecillitate impediatur, quominus sistere se possit, vehiculum illi, qui vocat, dabit; lecticam sternere non cogetur. Hujus legis initium a Cicerone refertur libro II. de legibus: *A parvis, Quinte, inquit, didicimus: Si in jus vocat, atque ejusmodi alias leges nominare. Ex quo loco illud quoque apparet, initiis legum nonnumquam relatis, totas leges referri videri, quod hodie nostri usurpant.* Cajus vero libro I. ad legem XII. Tabularum de in jus vocando ita scripsit: (b) *Plerique putaverunt, nullum de domo sua in jus vocari licere: quia domus tutissimum cuique refugium, atque receptaculum sit; eumque, qui inde in jus vocaret, vim inferre videri.* Sic Cicero pro domo: *Quid est sanctius, inquit, quid omni religione munitius, quam domus uniuscujusque civium? Hic aræ sunt, hic foei, hic dii penates, hic sacra religionis cæremonie continentur, hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.* Idem Cajus ait: (c) *Sed etiam a vinea, & balineo, & theatro nemo dubitat in jus vocari licere.* Item: (d) *Neque impubes puellas, quæ alieno juri subiectæ essent, in jus vocare permissum est.* Hæc ad XII. Tabulas pertinuisse arbitramur, quando in Cæii libris reperiuntur, etsi de legum sententia nobis non constet.

XXXVII. Ulpianus tamen libro LXXIV. ad edictum scribit: (e) *Lex XII. Tabularum, si iudex, vel alteruter ex litigatoribus morbo fontico impediatur, jubet diem judicii esse diffisum.* Ad hanc legem Juliani verba referuntur libro V. Digestorum. (f) *Quæsitum, inquit, est cum alter ex litigatoribus febricitans discessisset, & iudex, absente eo, pronuntiasset, an jure videtur pronuntiasse; respondit: Morbus fonticus, etiam invitis litigatoribus ac iudice, diem differt. Fonticus autem existimandus est, qui cuiusque rei agenda impedimento est. Litiganti porro quid magis impedimento est, quam motus corporis contra naturam, quam febrem appellant? Ex quibus verbis apparet, diem esse diffisum significare, differri oportere judicium: quo pacto Gellium libro XIV. (g) usum esse alii animadvertent. De fontico morbo Javolenus libro XIV. ex Cassio (h) scribit: *Morbus fonticus est, qui cuique rei nocet.* Sextus Cæcilius, (i) ut paulo ante dicebam, morbum vehementiorem vim graviter nocendi habentem Decemviros quodam loco appellasse ait. Hujus nominis origo explicatur a Venulejo libro V. Actionum: (k) *Quotiens morbus, inquit, fonticus nominatur, eum significari Cassius ait, qui noceat. Nocere autem intelligi, qui perpetuus est, non qui tempore finiatur.**

Sed morbum fonticum eum videri, qui incidit in hominem postquam is natus sit. Fontes enim nocentes dicuntur. Sextus quoque Pompejus Ælium refert ita fonticum in XII. interpretantem, hoc est, cum justa causa, aut qui noceat, quod fontes significat nocentes. Addamus hoc loco, quod Cajus ait libro I. ad legem XII. Tabularum (l): *Si is, qui fidejussorem dedit, ideo non steterit, quod Reipublicæ causa abfuerit; iniquum est fidejussorem ob alium necessitate sistendi obligatum esse, cum ipsi liberum esset non sistere.* (m) Idem ait: *Qui in jus vocatus est, duobus casibus dimittendus est; si quis ejus personam defendet, & si, dum in jus venit, de re transactum fuerit.* Ad hunc etiam locum conveniret, quod de stato die cum hoste capite XXV. dictum est.

XXXVIII. Acerbissimæ autem legis, quæ ad eos, qui judicata non faciunt, pertinet, verba apud Gellium libro XX. (n) sunt hæc: *AERIS CONFESSI, REBUSQUE IVRE IUDICATIS TRIGINTA DIES IVSTI SVNTO. POST DEINDE MANVS INIECTIO ESTO, IN IVS DVCITO, NI IUDICATVM FACIT: AVT QVI PSEUDO EO IN IVRE VIM DICIT, SECVM DVCITO, VINCITO AVT NERVO, AVT COMPEDIBVS XV. PONDO NE MINORE: AVT SI VOLET, MAIORE VINCITO. SI VOLET, SVO VIVITO. NI SVO VIVIT, QVI EVM VINCTVM HABEBIT, LIBRAS * FARRIS IN DIES DATO: SI VOLET PLUS DATO. Et postea: TERTIIS NVNDINIS PARTIS SECANTO: SI PLUS MINVSVE SECVERVNT, SINE * FRAUDE ESTO.* Hac lege, ut Sextus Cæcilius dicebat, admonebantur cives Romani fidem servare, quam omnium maxime majores coluerant. Confessi igitur æris alieni judicatis justis dies XXX. dati sunt conquirendæ pecuniæ causa. Justos autem appellabant, quasi justitium quoddam, jurisque inter eos interstitutionem & cessationem, quibus diebus nihil cum his agi jure posset. In maximo tumultu ac perturbatione Reipublicæ tumultum decerni, justitium indicere, saga fumi, tabernæ claudi solebant, ut ex Philippica V. atque aliis apparet. Nam, cum nemo jus diceret, & omnes militaribus vestibus induti Reipublicæ conservandæ operam darent, facillime opem Reipublicæ ferebant. Addit Cæcilius, nisi æs alienum illis diebus dissolvissent, ad Prætorem vocari solitos, qui creditoribus eos addicebat: tum nervo, atque compedibus vinciebantur: deinde eos pacisci fas erat; nisi pacti forent, in vinculis sexaginta dies habebantur, in quibus diebus trinis nundinis continuis (quid nundinæ essent, in Cæcilia & Didia lege scriptum est) ad Prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabatur, ut, si quis eos eximere vellet, quod nobilissimi quique facere solebant, tantam pecuniam solveret. Hinc ille jocus apud Nævium, ut Cicero libro II. de Oratore refert: *Videtur, inquit, esse misericors ille, qui judicatum duci videt, percunctaturque ita, Quanti addictus?*

(l) L. Si is qui. si quis cautio.

(m) d. l. Neque impubes. de in jus vocand.

(n) cap. I.

* Vel LIB. FERIENDO DIES. Urfin. leg. FARRIS ENDO DIES. * SE.

Cumque illi responsum esset, mille nummum: Si addidisset, inquit, tantummodo, ducas licet; esset illud genus ridiculi præter expectationem; sed quia addidit, Nihil addo, ducas licet; addito ambiguo altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, falsissimus. Ambiguum autem erat, nihil addo, quoniam ad adjectionem referri poterat, qua quis in licitatione utitur; & ad ea, quæ agebat, hoc est, nihil verborum addo, nihilque amplius a me expectes, eum libere ducito. Tertius nudinis, ut Gellius scribit, capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant. Capitalis pœna acerbissima fuit, ut, si plures creditores essent, addicti corpus inter se secarent. Qua pœnæ immanitate effectum est, ut Cæcilius dicebat, ne umquam aliquis eam subiret. Namque additi & vinciri multos, inquit, vidimus, quia vinculorum pœnam deterrimè homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem, equidem neque legi, neque audiui. De hac eadem Quintilianus libro III. ita scribit: Sunt quædam non laudabilia natura, sed iure concessa, ut in XII. Tabulis debitoris corpus inter creditores dividit licuit, quam legem mos publicus repudiavit. Tertullianus quoque: Judicatos, inquit, (a) in partes secari a creditoribus, leges erant, consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, & in pudoris notam capitis pœna conversa est, bonorum adhibita proscriptione. Quod vero in hac lege dicitur: SI VOLET, SVO VIVITO: NI SVO VIVIT, QVI EVM VINCTVM HABEBIT, LIBRAS FARRIS IN DIES DATO: Cajus libro II. ad legem XII. Tabularum (b) scribit, Verbum VIVERE putare quosdam ad cibum pertinere; sed Ofilium ad Atticum scripsisse, his verbis & vestimenta & stramenta contineri; sine his enim vivere neminem posse. Ulpianus quoque libro LVIII. ad edictum scribit: (c) Verbo VICTVS continentur, quæ esui, potuique, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt. Vestem quoque victus habere vicem, Labeo ait. Addit Cajus libro XXII. ad edictum provinciale: (d) Et cætera, quibus tuendi, curandive corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significantur. Hæc tamen omnia vera sunt, cum victus solius mentio fit: nam si de victu & stratu, aut de victu & vestitu dictum sit, tum quod adjectum est, priori nomine non continebitur. Si victum, vel stratum (e) (inquit Licinnius Rufinus libro tertio decimo Regularum) inferri quis iudicato non patitur, utilis in eum pœnalis actio danda est, vel, ut quidam putant, injuriarum cum eo agi poterit. Hoc pacto intelligendum est quod Ulpianus libro LVIII. ad edictum [f] scribit; cujus verba mendosa circumferuntur. Sunt autem in Florentino libro hæc: In stratu omne vestimentum contineri, quod iniiciatur, Labeo ait; neque enim dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium περικλυμα. In victu ergo vestem accipiemus non stragulam,

in stratu omnem stragulam vestem. Pallium autem non solum Græcorum vestem significat, sed & stragulam & peristromata. Ovidius libro I. Amorum:

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur

Strata, neque in lecto pallia nostra sedent?

Item Juvenalis Satyra VI.

Tunc corpore sano

Advocat Archigenem, onerosaque pallia jactat;

Abditus intera latet, & securus adulter.

Quod Baius animadvertit. Itaque quod Cajus ait, vestimenta & stramenta verbo VICTUS contineri: ad XII. Tabulas pertinet, in quibus stratus nulla mentio est: Ulpianus vero est ad Rufini verba, aut illis similia referendus. Fære autem, ut ex hac lege apparet, pro frumento veteres utebantur: unde matrimonii genus, quod farre adhibito contrahebatur; & ut Sextus Pompejus ait, ador farris genus appellabant, quasi edor ab edendo, vel quod aduratur & torreatur. Adoream quoque laudem, sive gloriam dicebant, quia gloriosum eum putabant, qui farris copia abundaret. Virgilius (g) hac de causa ait:

Instituuntque dapes, & adorea liba per herbas Subiiciunt epulis.

XXXIX. Noxales actiones, ut Justinianus scribit, constitutæ sunt aut legibus, aut edicto Prætoris. Legibus, veluti furti ex lege XII. Tabularum; damni injuriæ ex lege Aquilia [h]: Edicto Prætoris, veluti injuriarum & vi bonorum raptorum. Celsus tamen differentiam facit inter legem Aquiliam, & legem XII. Tabularum apud Ulpianum libro XVIII. ad edictum. (i) Nam in lege antiqua si servus, sciente domino, furtum fecit, vel aliam noxam commisit, servi nomine actio est noxalis nec dominus suo nomine tenetur: At in lege Aquilia, inquit, dominus suo nomine tenetur, non servi. Legis XII. Tabularum ea ratio est, quasi voluerit servos dominis in hac re non obtemperare: Aquiliæ, quasi ignoverit servo, qui domino paruit. Sed tamen Julianus libro LXXXVI. scribit: SI FURTVM FAXIT, NOXAMVE NOCVIT. (verba autem hæc alicujus legis initium, ni fallor, in XII. sunt) etiam ad posteriores leges pertinere, ut etiam servi nomine cum domino agi possit noxali iudicio, neque Aquilia servum excuset, sed dominum oneret. Hanc legem fortasse Cajus interpretabatur libro VI. ad legem XII. Tabularum (k) cum illud scripsit: Noxiæ appellatione omne delictum continetur: ita enim in Tusco libro est, non noxæ. Justinianus quoque (l) in eandem rationem definit: Noxa est ipsum corpus, quod nocuit, id est, servus; noxia ipsum male-

(a) Tertullianus in Apologet.

(b) L. Quos nos. in fine de verb. signif.

(c) L. Verbo victus. eod.

(d) L. Et cætera. eod.

(e) L. Si victum. de re jud.

(f) L. In stratu. de verb. signif.

(g) An. 7.

(h) Inst. de noxal. action. §. Sunt autem.

(i) L. 2. §. 1. eod. tit.

(k) L. Plebs. in fine. de verb. signif.

(l) Inst. de noxal. action. in pr.

male-